
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/mysticatheologia0001rpth

MYSTICA THEOLOGIA

DIVI THOMÆ

MYSTICA THEOLOGIA

DIVI THOMÆ

UTRIUSQUE THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ ET MYSTICÆ

PRINCIPIS

AUCTORE

R. P. THOMA A VALLGORNERA Ord. Præd.

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

EDITIO QUINTA

Curante Fr. J. J. BERTHIER ejusd. Ord.

EXACTA

Tomus I.



TAURINI (ITALIA)

Ex officina " MARIETTI „ anno 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congr. et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

—

MCMXXVII

3526

MONITUM.

Opus istud ab auctore infectum remansit: unde quasi documentorum et quidem egregiorum, congeries apparet, neque in illo desunt quandoque textuum repetitiones et dispersiones. Quapropter Indicem rerum *eumdemque* Alphabeticum *addimus, ubi lector et studiosus argumenta passim tractata invenient.*

V. Nihil obstat

Taurini, die 4 Maii 1923.

Can. CAROLUS FRANCO, *Censor Archiep.*

V. Imprimatur:

C. FRANCISCUS DUVINA *Prov. Gen.*

(28-IV-24-5).

PRÆFATIUNCULA EDITORIS

De hujus *Theologiæ Mysticæ* auctore, Thoma nempe a Vallgornera, hæc habet summus Echard, eruditione ac scientia omnimoda conspicuus:

« F. Thomas de Vallgornera, Catalanus, conventus Barcinonensis alumnus, vir doctrina et pietate clarus, ac inter ævi sui primi nominis theologos celebratus, magisterii laurea decoratus fuit; cumque Catalania ab Hispanis deficiens in ditionem regis Francorum transiit, conventuum ejus principatus datus est Vicarius generalis, anno MDCXLII: quod munus annis pluribus gessit. Obiit vero XV Septembris MDCLXV, ætatis circiter LXX, postquam ediderat eruditum proculdubio juxtaque et pium, styloque pro rei materia satis facili et accommodo, scholasticæque theologiæ barbarie, quantum licuit, immuni, cui titulus:

« *Mystica Theologia D. Thomæ, utriusque theologiæ scholasticæ et mysticæ principis, etc.* Barcinonæ, Antonii Lacavalleria, 1662, in fol., pagg. 442...

« Item. *De Rosario B. Mariæ Virginis.* Opus piis meditationibus, Scripturæque et SS. Patrum doctrina excultum; ibid. 16 fol.

« Sic nos monebat Hyacinthus de Parra in memor. mss. missis. »

Quæ dicta, etsi pauciora, sufficiant de ipso auctore nostro (Cf. *Année Dom.*, 15 sept.). Quoad opus autem ejus præcipuum hic a nobis rursus editum aliqua addenda videntur; atque imprimis de ipsamet editione principe. Circa quam singulare istud prorsus evenit, quod ipse auctor nonnullis hujusce editionis exemplaribus multa addidit atque

inseruit. Quod ut fieret, cerussa dealbati primo paginarum numeri in exemplaribus illis fuerunt, novique propter additas paginas superadjecti sunt; vel relictis articulorum, capitulorum numeris, novi tamen adnexi apparent. Hinc sub hoc titulo, nondum exactis tribus annis post emissum in lucem opus, eodemque anno quo auctor functus vita est, rursus prodiit, scil.: *Mystica Theologia Divi Thomæ utriusque Theologiæ Scholasticæ et Mysticæ principis, a R. A. P. fratre Thoma a Vallgornera, Magistro, Ordinis Prædicatorum, nunc denuo ab eodem auctore fere dimidia parte aucta et completata multis additionibus adjectis sub his signis N. A. — Barcinonæ, ex Typographia Antonii Lacavalleria, anno 1665.*

Sic nempe auctum primigenium volumen paginis 527 constat. Unde habetur non *nova* sed eadem 85 paginis *editio aucta*. Neque editor in titulo mox exscripto diffitetur, siquidem editionem simpliciter novam nullatenus asserit.

Nos in hac editione nostra exhibemus primo textum integrum qualis anno 1662 publici juris factus est, deinde in *Appendicem* alteri volumini adjectam, remittimus additiones omnes quæ anno 1665 prodiere. Hinc illud præ cæteris commodum erit quod dum auctoris totum utrumque habemus, primigenium opus scil. et additiones: utrumque tamen separatim habetur. Cur autem separatim habenda videantur hæc ratio nobis adest, quod nempe, dum auctor obierit, teste Echard, die 15 sept., censor alter additionum nonnisi die 18 ejusdem mensis, eodem anno, sententiam de iisdem prælo lucique dandis protulit, prout apparebit ex ipsomet documento in *Appendice* referendo.

Suspicandum ergo est additiones, auctore mortuo, prælo mandatas esse, etsi sane de ipsius auctoris mente. Hac aliisque rationibus satius erit sejunctim easdem haberi.

Etsi autem titulo altero (cui adeo credendum non est, utpote qui opus asserat « fere dimidia parte » auctum, cum tamen nonnisi 85 paginæ additæ fuerint) habeatur *Theologiam mysticam* ab ipso « auctore » completatam esse: hoc tibi rem non faciat, cum intelligi optime possit eo sensu quod cum fragmentis auctoris compleri potuerit.

De ipso opere nihil est quod addamus, præter illa quæ doctissimi viri Echard, quem fere exscripsit Hurter in suo *Nomenclator Theologicus*, et ipsius auctoris Examinatores, quorum testimonia infra legenda sunt, tribuerunt.

Cuique cæterum legenti patet auctorem recti ingenii, profundæ simul scientiæ eximiæque pietatis fuisse.

Hoc cæterum adnotare imprimis juvat istam D. Thomæ theologiam mysticam esse quæ, dum adeo immutatis fundamentis nititur, vanis phantasiis non infrequentibus scriptorum piorum nullatenus indulget. Quod ipsemet auctor in Prolegomenis (p. XVII) præmonuerat: « Doctrina mystica divi Thomæ est tantæ auctoritatis, eo præcise quia fundata est in doctrina scholastica, ut verbis exprimi non possit. Illa doctrina mystica, quæ non repugnat principiis doctrinæ scholasticæ habet firmum fundamentum: et ideo lectores qui legunt Mysticam Theologiam in Divo Thoma inveniunt illam firmissimam et bene fundatam; e contrario qui in aliis libris legunt, qui solum præcise de rebus mysticis tractant sine duce et præceptore, sub specie devotionis in duriusculis verbis materiam hauriunt errorum. » Hoc prudenter dictum sane fuerat ubi Molinosi et asseclarum somnia imminebant, nec imprudenter ævo hoc nostro dictum erit. Quapropter librum vix jam reperibilem omni exhibemus fiducia studiosis, præsertim animarum rectoribus

Vix opus est ut moneamus nos textui auctoris strictim adhæsisse. Quum tamen innumera menda in primigenia editione ex typographorum oscitantia occurrerent, ea correximus, collatis Doctoris Angelici, aliorumque auctorum textibus, etsi frustatim nonnunquam referantur. Neque ulla immutatio a nobis invecta est, inscio lectore. Hoc unum advertimus, scilicet hac consueta formula referri alicujus, præsertim Angelici auctoritatem, quod vix sententia fluat, nempe: « D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Hebr. IV, lect. 2: Discretor cogitationum et intentionum cordis, dicit sanctus: Ex duobus... » Quod nos sic emendavimus: « D. Thomas explicans... dicit sic: Ex duobus... » (Vol. I, p. 4. n. 4). Quod nonnunquam admisimus, ubi scil. stare loquendi modus illæsa syntaxi omnino non potuit.

Adverte cæterum aliquando, etsi rarius, haberi in ipsomet priori textu formulam hanc, scilicet: « D. Thomas explicans... dicit sic... » unde forsan colligendum est typographum legisse « sanctus » in auctoris codice qua abbreviatum, ubi revera « sic » legendum fuisset.

Quidquid id fuerit, ubi lector hunc loquendi modum prædicta formula, scil.: « dicit sic » terminatum inveniet, meminerit illam nos licentiam plerumque accepisse. Frequentius forsan alias lectori occurrent nonnullæ dicendi formæ quas emendandas melius fore opinatus esset: eas tamen ubicumque dimisimus.

Faxit Deus ut iste tibi prosit liber, charissime lector atque pro nobis orandi occasionem præbeat.

Fr. Joachim Joseph Berthier

Ord. Præd., S. Th. Mag.

DIVO THOMÆ AQUINATI

EMINENTISSIMO PRINCIPI

UTRIUSQUE THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ ET MYSTICÆ

FRATER THOMAS A VALLGORNERA

IN ORDINE PRÆDICAT. MINIMUS

LIBRUM OFFERT, DICAT ET CONSECRAT

Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem; Habacuc II. « Scribe visum: » auctor ostenditur imperio. Unde præmittitur: Et respondit mihi Dominus, et dixit: « Scribe. » Auctor enim Scripturæ sacræ Spiritus sanctus est. Spiritus enim est qui loquitur mysteria, sicut dicitur I. Cor. c. XIV. — Minister ostenditur in scribentis actu; dicit enim: « Scribe. » Fuit autem lingua prophetæ organum Spiritus sancti, sicut in Ps. XLV dicitur: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. — « Et explana eum. » Explanatur autem ab eo visus, seu visio, tribus modis. Primo, per similitudinis adaptationem; secundo, per sententiæ expressionem; tertio, per verborum venustatem. — « Super tabulas » cordis carnalis. II. Corinth. III: Epistola nostra vos estis, scripta non in tabulis lapideis, sed in tabulis carnalibus. — Utilitas autem explanationis ostenditur in hoc quod sequitur: « ut percurrat. » Percurrere enim est expedite in finem currendo devenire. Est autem finis triplex, scilicet finis legis, finis præcepti, et finis vitæ. Finis legis Christus est, ad justitiam omni cre-

denti, sicut dicitur ad Rom. x. Finis præcepti charitas est; I. Timoth. I. Finis vitæ mors est. Statutum est hominibus semel mori; Hebr. IX. — « Ut percurrat qui legerit; » ac si dicat: Ut qui legerit sine impedimento dubitationis percurrat credendo in Christum; credens amet, et in amore perseveret. — Materia tangitur in hoc quod sequitur: « Quia adhuc visus procul. » — Et est principaliter materia hujus libri apparitio Filii Dei. — « Et apparebit in finem. » Loquitur de tertia apparitione, quæ est in fine omnis miseriæ. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, et non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque labor, sed neque ullus dolor, quoniam priora transierunt.

Sanctissime Princeps, hæc verba Habacuc dicta sunt a te de sancto propheta Isaia in sensu accommodatitio, et in eodem sensu de te sunt intelligenda. Tu es Princeps, sic de te canit Ecclesia. Quem omnes Theologorum Academiæ, tanquam Principem ac parentem Theologiæ, merito venerantur ac laudant. Tu es Princeps ille de quo dicitur Isaiæ III: Esto Princeps noster. Et quamvis per humilitatem respondisti: Nolite me constituere Principem, quia non sum medicus; et in domo mea non est panis, neque vestimentum: quia pestiferæ superbiæ nunquam persensisti stimulum, es medicus spiritualis; quia per tuam doctrinam sanas infirmitates spirituales, in domo tua est panis, per quem delectatur et nutritur mens nostra; est vestimentum virtutum heroicarum. — Fuit conveniens Adamo, tanquam principi, ac primo parenti generis humani scientia infusa; sic a te docetur p. p., qu. 94, art. 3. Et sicut primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnem scientiam, in qua homo natus est instrui, sic tibi, tanquam Principi ac parenti Theologiæ fuit conveniens scientia infusa. Joannes Pontifex Maximus: Non absque speciali Dei infusione perfecit. — De Christo quia Princeps et Ca-

put Ecclesiæ, dixit Paulus ad Coloss. II: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei. Et anima tua vocatur thesaurus gratiæ. Fossanova tunc suscipit thecam thesauri gratiæ, cum Christus Thomam efficit hæredem regni gloriæ. David, Ps. LXXXVIII, loquens de Filio Dei dicit: Veritas mea; et, ut dicit noster Princeps, lect. 8, super cap. I Joannis, cognitio omnis veritatis; et misericordia mea, idest omnium gratiarum, cum ipso, idest in ipso: in te, quia caput et Princeps, fuit cognitio omnis veritatis et omnis gratiæ. — Et sic dixit de te abbas Tritemius: Inter omnes Doctores sui temporis facile obtinuit Principatum, et cognitionem omnium. — De Christo dicitur Isa. IX: Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Tu Princeps et Pater: ut Princeps accipis a Doctoribus Ecclesiæ, quos ut Patres semper veneratus es; ut Pater communicas tuam scientiam filiis. Princeps per eminentiam, Pater per influentiam. Doctrina tua est Principis per eminentiam, quia de cœlo venit. Joan. III: Qui de cœlo venit super omnes est: quod vidit et audivit hoc testatur. Et, ut tu exponis, in his verbis proponitur conditio doctrinæ Christi, quæ cœlestis est, unde dicit: « Qui de cœlo venit. » Ostendis dignitatem suæ conditionis, quæ altissima est: « Super omnes est. » Concludis dignitatem doctrinæ, quæ certissima est: « Quia quod vidit et audivit hoc testatur. » Hoc idem de tua doctrina canit Ecclesia: Cœli doctus oraculo; et Pontifex: Cœlestis doctrina. Est altissima, quia de cœlo: celsa vocatur ab Ecclesia. Firma, quia quod vidisti et audivisti in extasi aut raptu hoc testatus es.

Tertio Reg. III dicitur: Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis; et præcedebat Salomonis sapientia omnium Orientalium et Ægyptiorum sapientiam, et erat sapientior cunctis hominibus. Salomon autem cognovit ista, ut dicit Abulensis, per infusionem Dei. Innocen-

tius V Pontifex de te loquens dixit: Ecce plusquam Salomon hic. — In opusculo De regimine Principum dicitur a te quod Princeps dicitur quasi primum locum tenens, sub regali vel imperiali dominio. Et Doctor Gregorius, homil. 34 in Evangelia: Principari vero est inter reliquos priorem existere, dominari vero est etiam subditos quoque possidere. Merito secundum hanc doctrinam vocaris Princeps, quia caput Theologorum omnium.

Secundo Reg. XXIII: David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres. In quibus verbis ostenditur quod princeps has conditiones debet habere: fortitudinem, ne superetur, quia debet esse David, idest manu fortis; cordis tranquillitatem, ne perturbetur, quia debet esse sedens, idest tranquillus; status auctoritatem, ut formidetur, quia debet esse in cathedra, idest in eminentia status; status stabilitatem, ne fraudetur, quia sapientissimus; mentis serenitatem, ut imitetur (1); bonam societatem, ut consulatur, quia debet esse inter tres, idest non solus. Tu es Princeps sedens in cathedra, et eminenter inter omnes, et merito compararis aquilæ, quia de illa dicitur Job XXXIX: Et in arduis ponet nidum suum; Interlinearis: In supernis ponet concilium. In arduis ponis tuam cathedram, idest in medio Doctorum, et supernis concilium. Merito ergo D. Antoninus de te loquens dicit: Summus doctor in Theologia; et Sixtus Senensis: Scholasticæ Theologiæ instaurator. Sapientissimus non solum inter tres, sed etiam inter omnes Principes. Manu fortis, quia pro Deo adversus hæreticos, reliquosque christiani nominis hostes dimicasti; non octingentos tantum uno impetu interfecisti, sed innumeros doctrinæ tuæ gladio confudisti. Recte igitur Gedeonis gladius diceris, quia in Ecclesiæ hostes potenti virtute dimi-

(1) Hic et alias verbum *imitari* in sensu passivi usurpatur (Edit.).

cas. Habes tranquillitatem, nec turbaris fluctibus maris, quia doctrina tua est perpetua ; habes status auctoritatem, quia sedes in cathedra Doctorum, et vocaris scholasticorum vexillarius; status stabilitatem, quia es sapientissimus. Mentis strenuitatem ut imiteris, quem fere omnes sequuntur; bonam societatem, quia semper loqueris ex consensu Patrum Ecclesiæ.

Princeps idem est quod primo Capiens cœli munera. Et I. Paral. II dicitur : Qui percusserit Jebuzæum primus erit Princeps et Dux. Tu Princeps, quia primo capiens cœli munera. In tuo officio dicitur: O anima sanctissima, qua contemplante dulciter, corpus linquebat infima, stans sursum mirabiliter. Nullo prorsus fultus subsidio, levabatur in raptus gaudio. Percussisti Jebuzæum, hoc est malos habitantes Jerusalem, idest in Ecclesia sancta. — Abraham, Gen. XXIII, dicitur Princeps Dei, designans virum perfectum, ut dicit Hieronymus. Tu virtutum viva imago; Morum norma, canit Ecclesia: quia juxta tuam vitam mores nostri componendi sunt. Tu es unus Principum fodientium puteum, ut dicitur Numer. XXI, et ideo Abyssi nomine divinitus es appellatus (1), quia doctrinarum omnium pluvias quas accepisti in totum terrarum orbem copiose ac liberaliter effudisti, juxta illud Salomonis præceptum, Proverb. V: Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Tua enim doctrina veluti cœlestibus imbribus omnes affluenter alluimur quicumque tuam scholam ex desiderio sapientiæ frequentamus. Principes Juda sunt confitentes et laudantes Deum : tu perpetuo laudabas Deum, orando, legendo, scribendo, et aliquando dormiens dictabas. Principes Zabulon fortes in continentia: tu virginitatem perpetuo coluisti. Principes

(1) *Thomas* idem quod *abyssus* et *geminus* (Edit.).

Nephthalin, puri in contemplatione: nunquam te dedisti lectioni aut scriptioni nisi post orationem; in difficultatibus locorum sacræ Scripturæ ad orationem jejunium adhibebas. Merito ergo Princeps diceris.

Utriusque Theologiæ (*princeps*). Thomas geminus interpretatur. Geminus nomen est duarii numeri, atque idem quod duo, vel bini. Tu Princeps utriusque Theologiæ Scholasticæ et Mysticæ, quia geminus. Et invenitur singulariter in te quod doctrina mystica in tuis operibus non est separata a scholastica, sed veluti conglutinata cum ipsa, ut habeat eamdem auctoritatem in Ecclesia, quam habet scholastica. Et cum Theologia Mystica infundatur a Spiritu Sancto, et ut plurimum in oratione, tu eras tam assiduus in oratione, et continuus in rerum cœlestium et divinarum contemplatione, et frequentissimus in extasibus et raptibus, ut merueris quod infunderetur tibi tanta abundantia et tanta copia Theologiæ Mysticæ. Merito ergo potest dici de te illud Psal. XCIII: Beatus homo quem tu erudieris, Domine. — Istius Theologiæ fuit primo edoctus ab Apostolo Paulo Dionysius Areopagita, et veneratur ut primus Princeps. Sed tamen scripsit divus Dionysius Theologiam Mysticam cum tanta obscuritate (ut fatetur D. Thomas in Commentario de divinis nominibus), ut pene inintelligibilis videatur. Hoc autem fecit, non ex imperitia, sed, ut dicit D. Thomas, ex industria, ut sacra et divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Plerumque utitur stylo et modo loquendi quo utebantur Platonici; volentes reducere omnia in principia simplicia et abstracta, posuerunt species rerum separatas: hoc modo loquitur D. Dionysius. De te canit Ecclesia: In lucem pandit abdita, dum supra sensus hominum obscura facit cognita; quia tuo prodigioso ingenio propalasti, et verum (licet obscurum) velut alter Hercules ex inferis

Cerberum excitasti. Nonnulli enim Græcorum, teste Pierio Valeriano, abstractum Herculis opera ex obscuris Erebi penetralibus Cerberum patefactam ab heroe Philosophiam, quæ prius in arcanis delitescebat, indicare non incongrue existimaverunt. Unde præter edomita tot monstra, Herculem ipsum Plutonem telo sauciasse finxerunt. Sapiens enim vir obscura etiam perscrutatur, abditaque ingenio suo attingit, quod est Cerberum ex inferis evocare, et Plutonem ipsum telo impetere ac ferire. Tu princeps pandis in lucem abdita, præsertim difficillima loca D. Dionysii, quæ superant humani intellectus virtutem et vires. De te dicit Ecclesia: Scripta ejus, et multitudine, et varietate, et facilitate explicandi res difficiles, ac securitate cumprimis integerrimæ doctrinæ adeo excellunt, ut ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici jure sit adeptus. Tu totam Theologiam Mysticam Divi Dionysii, non semel, aut bis, sed pluries commentasti, et veluti tuam effecisti, et potes dicere illud Job XXIX: Arcus meus in manu mea instaurabitur. Nam sanctorum Patrum, præsertim D. Dionysii, doctrinam propriam faciendo in manu tua instaurasti, novumque illi robur contulisti.

Doctrina mystica Divi Thomæ est tantæ auctoritatis, eo præcise quia fundata est in doctrina scholastica, ut verbis exprimi non possit. Illa doctrina mystica, quæ non repugnat principiis doctrinæ scholasticæ, habet firmum fundamentum: et ideo lectores qui legunt Mysticam Theologiam in Divo Thoma, inveniunt illam firmissimam et bene fundatam; e contrario qui in aliis libris legunt, qui solum præcise de rebus mysticis tractant sine duce et præceptore, sub specie devotionis in duriusculis verbis materiam hauriunt errorum. Accidit istis spiritualibus indisciplinatis, quod his qui sine scholasticorum præsidio Patrum lectionem aggrediuntur, in quibus (ut tu, Princeps, dicis opusculo Contra errores Græcorum,

c. 1) multa inveniuntur quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta a modernis servatur: non sunt contemnenda, vel abjicienda: sed nec ea extendere (*legens*) potest, sed exponere reverenter. Idem dicendum est de lectione mysticorum, et ubi deprehendimus non posse pati expositionem, et dogmatibus scholasticis contraire, etiam expurganda est.

« Scribe visum. » Si auctor ostenditur imperio (ut tu dicis, Princeps noster), auctor illius tu es, et ideo inscribitur Mystica Theologia Divi Thomæ, cum materia et forma essentialis tua sit. Ego minister sum et instrumentum animatum, ut ostenditur in actu scribentis. Et sic istam Mysticam Theologiam reddo cui reddenda est: quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Doctrina mea non est mea, sed tua. Multi sunt qui Regibus, Principibus, Proceribus, sua dicare assueverunt, ducti aut ratione meritorum eorumdem, nimirum magnitudinis, nobilitatis ac pietatis; vel saltem proprii commodi, utpote sperandæ utilitatis, aut capiendi honores: ego solummodo ut indulgeam justitiæ dictanti reddere unicuique quæ sua sunt. Age ergo benigne, Princeps sanctissime, suscipe munusculum amplissima tibi voluntate oblatum, respiciens potius ad affectum dantis, quam ad doni sensum.

« Et explana eum, » per similitudinis adaptationem, per sententiæ expressionem, per verborum venustatem. Posui pulchras similitudines, quæ quidem sunt necessariæ nobis propter connaturalitatem sensus ad rationem. Est enim naturale rationi nostræ accipere a sensibus. Unde perspicacius capit ea quorum similia ad propositum videt. Unde Dionysius in epistola ad Titum secunda, demonstrat quod necessariæ sunt sensibiles figuræ in Scripturis, dicens: Quicumque plana cum audierint, in se ipsis componunt figuram quamdam, ad intellectum Theologiæ ipsos manuducentem. Et explicare contingit dupliciter: uno modo quantum ad substantiam ma-

teriæ, alio modo (*quantum*) ad ea quæ continentur implicite. Utroque modo a me explicatum est, etiam per sententiæ expressionem, et verborum venustatem. — « Super tabulas, » i. e. in tabulis apertis et expansis, quæ publice cuilibet ad legendum proponantur. Jam factum est. — « Ut percurrat. » Percurrere enim est expedite in finem currendo devenire. Finis vitæ spiritualis charitas est: ad istum finem est currendum.

« Ut percurrat qui legerit; » ac si dicat, ut qui legerit sine impedimento dubitationis percurrat credendo in ipsum. Quia est doctrina Principis Theologiæ, qui mirabiliter raptus, atque a terra elevatus, ab imagine Crucifixi, ad quam conversus orabat, prolatam clarius hanc vocem audivit: Bene scripsisti de me, Thoma. Doctrinam D. Thomæ non purus homo, non Angelus, non denique alius, cujus verbis falsitas subesse possit: sed Christus Dominus, in cujus ore dolus inventus non est, laudavit atque approbavit. O divina sapientia, quæ Christo placuit, et divino præconio digna est. Et sic sine impedimento dubitationis percurrat in lectione illius. — « Quia adhuc visus procul. » Principalis materia hujus libri est de via purgativa, illuminativa et unitiva. — « Et apparebit in finem. » Loquitur de apparitione intellectuali et fruitiva, quæ est finis vitæ spiritualis, hic imperfecte, in patria vero perfecte.

AD LECTOREM

In omni opere suo dedit confessionem sancto et excelso in verbo gloriæ; Eccli. XLVII. Verba hæc dicuntur de David ad litteram. In quibus ostenditur quadruplex causa, scilicet materia, modus seu forma, finis et agens. Materia est universalis, quia David in libris Psalmorum generalem habet totius Theologiæ materiam. Unde signatur materia in hoc quod dicit: « In omni opere suo, » quia de omni opere Dei tractat. De opere creationis. Psal. VIII: Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. De opere gubernationis, quia omnes historiæ veteris Testamenti tanguntur. Ps. LXXVII: Aperiam in parabolis os meum. De opere reparationis, quantum ad caput, scilicet Christum, et quantum ad omnes effectus gratiæ. Ps. III: Ego dormivi et somnum, etc. Omnia enim quæ ad fidem incarnationis pertinent, sic dilucide traduntur in Psalmis, ut fere videantur Evangelium. De opere glorificationis. Ps. CXLIX: Exultabunt sancti in gloria. — Modus seu forma in sacra Scriptura multiplex invenitur: narrativus, admonitorius, exhortatorius et præceptivus. Et iste modus seu forma invenitur in Psalmis, quamvis in illis per modum laudis et orationis: Confitebor tibi, Domine. Et ideo dicit: « dedit confessionem, » quia per modum confitendi loquitur. Et hinc sumitur ratio tituli, qui est: Incipit liber hymno-

rum, seu soliloquiorum Prophetæ David de Christo. Hymnus est laus Dei cum cantico; canticum autem invitatio mentis de æternis habita prorumpens in vocem. Docet ergo laudare Deum cum exultatione. Soliloquium est collocutio hominis cum Deo singulariter, vel secum tantum, quia hoc convenit laudanti et oranti. — Finis Psalmorum est oratio, quæ est elevatio mentis in Deum. Ps. CXLVIII: Elevatio manuum tuarum sacrificium vespertinum. Sed quatuor modis anima elevatur in Deum: scilicet ad admirandum celsitudinem potestatis ipsius; Is. IV: Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc; Psal. CIII: Quam mirabilia sunt opera tua, Domine. Et hoc est elevatio fidei. Secundo elevatur mens ad tendendum in excellentiam æternæ beatitudinis; Job XI: Levare poteris faciem tuam absque macula, eris stabilis, et non timebis; miseriæ quoque oblivisceris, et quasi fulgor meridianus consurget tibi. Et hæc est elevatio spei. Tertio elevatur mens ad inhærendum divinæ bonitati et sanctitati; Isaiæ LI: Elevare, consurge, Jerusalem, etc. Et hæc est elevatio charitatis. Quarto elevatur mens ad imitandam divinam justitiam in opere; Thren. III: Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Et hæc est elevatio justitiæ. Et iste quadruplex modus insinuatur cum dicit: « sancto et excelso, » quia duo ultimi modi elevationis pertinent ad hoc quod dicit: « sancto; » duo primi ad hoc quod dicit: « excelso. » « In verbo gloriæ. » — Notandum autem quod aliud est in sacra Scriptura, et aliud in aliis scientiis. Nam aliæ scientiæ sunt per rationem humanam editæ: hæc autem Scriptura per instinctum spirationis divinæ. II. Petri I: Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt, etc. Et ideo lingua hominis se habet in Scriptura sacra sicut lingua pueri dicentis verba quæ alius ministrat. Et ideo dicit: « in verbo Domini, vel gloriæ. » Et

potest dici hæc Scriptura verbum gloriæ, quia quadrupliciter se habet ad gloriam: scilicet quantum ad causam a qua fluit, quia a verbo glorioso Dei hæc doctrina emanavit; quantum ad continentiam, quia in isto libro gloria Dei continetur; quantum ad modum emanationis: gloria enim idem est quod claritas, et revelatio hujus prophetiæ gloriosa fuit.

« In omni opere suo confessionem dedit sancto. » In omni opere meo do gloriam sancto Doctori Divo Thomæ, et honorifico Principem utriusque Theologiæ; quia opera mea illius sunt, ipsi laudem honorifica oratione tribuo. David omnem suam fortitudinem, omnem victoriam de Goliath et Philisthæis, omnia præclara sua facinora attribuit non sibi, sed Deo, quocirca in omni opere dedit confessionem, idest laudem Sancto suo, non sibi, sed Deo, qui est sanctus per essentiam, ideoque eum laudavit et glorificavit hymnis verbisque magnificis. Sic ego do totam gloriam et laudem Sancto, quia ipsi debetur, quia opus illius est, nullus laudatur ex operibus alterius, nisi per accidens, ut dicit D. Thomas in IV, dist. 45, q. 2, art. 1, quæst. 1, ad 3. Laus non datur alicui nisi secundum ordinem ejus ad actum: unde laus est ad aliquid, ut dicitur in I. Ethic. Et quia ex opere alterius nullus efficitur, vel ostenditur bene dispositus, vel male ad aliquid, inde est quod nullus laudatur ex operibus alterius nisi per accidens, secundum quod ipse est aliquo modo illorum operum causa, auxilium vel consilium præbendo, vel inducendo, vel quocumque alio modo.

Materia hujus libri est universalis, quia tractat de creatione hominis in justitia originali, de lapsu illius, et de reparatione. De opere gubernationis, quomodo gubernanda est anima mediante vita purgativa, illuminativa et unitiva. D. Thomas affirmat multis in locis quod gratia et charitas causant istos tres effectus: inflammare voluntatem, assimi-

lari rei amatæ, et uniri et transformari se in ipsam. Primus pertinet ad viam purgativam, secundus ad viam illuminativam, tertius ad unitivam. Et alio in loco, idem sanctus (*ait*) quod gratia et charitas habent alios tres effectus, qui fere unum et idem sunt, causare vigorem virtutis, splendorem veritatis et fervorem charitatis. Exodi v dicitur: Eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro: mediante via purgativa, illuminativa et unitiva.

Principium Theologiæ Mysticæ est via purgativa, qua vetus Adam exuitur. In peccatorum depulsione eo tendendum est ut omnino pereant, et in bello adversus vitia inito nitendum est ut penitus cadant et intereant; in mortificatione sensuum et virium nostrarum, non id quærimus ut eas extinguamus, sed ut ab omni vitiosa consuetudine vindicemus; divina lex non petit ut simus affectuum ac passionum naturalium expertes, sed ut hæc omnia ad ordinem revocata maneant, et gratiæ beneficio ac mortificationis præsidio se a pravis motibus distortisque cohibeant. Via purgativa est spinis et tribulis consita, crucibus plena, tenebris undique circumfusa, invia et inaquosa, cruces, tribulationes, perplexitates animi, et plurimos incipientium, et aliquando etiam proficientium, in via purgationis ariditates demonstrant. Hi namque ex parte cognitionis ambulant in tenebris et in umbra mortis sedent; unde dicunt: Deus meus, illumina tenebras meas; Psal. XVII. D. Thomas: Idest remove a me defectus et corruptiones, per quæ homo incidit in tenebras. Ex parte vero affectus, cum fletu seminant, et pane tribulationis et angustiæ, sive lachrymarum aqua sustentantur; unde de illis dicitur: Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, Psal. CXXV, quia fit ibi naturæ corruptæ purgatio.

In via illuminativa verificatur illud Cant. vii: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus. D. Thomas: Palma arbor est alta atque procera, stipitem quidem nudum habens, folia vero et fructus sursum ferens. Sic et contemplatio ad altissimam quamdam Dei cognitionem erigitur, et fructus plane cœlestes et Ecclesiæ utiles profert, licet aspicientibus initia ejus, quæ a secessione, et taciturnitate, et abnegatione incipit, nuda et sterilis videatur. In ista via verificatur illud Pauli, II. Corinth. iv: Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu. D. Thomas: Nota ordinem procedendi servatum ab Apostolo: nos aliquando ante conversionem eramus tenebrosi; nunc postquam Christus vocavit nos per gratiam suam, jam fulget in nobis virtus gloriæ claritatis Christi, et illuminat nos ut videre possimus, ad illuminationem sanctæ claritatis Dei, quæ quidem claritas fulget in facie Christi Jesu. — Contemplationis una est natura, multi vero gradus: sex assignat D. Thomas, 2 2, q. 180, a. 2. — Contemplatio quoad nos est diuturna dupliciter, scilicet quia competit nobis secundum incorruptibilem partem animæ, idest secundum intellectum, et quia in operibus contemplativæ corporalibus non laboramus; D. Thomas, 2 2, q. 180, a. 8. Contemplativi dicuntur, qui contemplationi totam vitam suam deputant; D. Thomas, 2 2, q. 81, art. 1, ad 5.

In via unitiva verificatur illud Psal. xxxv: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ. Audite D. Thomam: Viri spirituales satiantur refectione. Refectio spiritualis in duobus consistit, scilicet in donis Dei, et in ejus dulcedine. Quantum ad primum dicit: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. » Domus est Ecclesia. I. Tim. iii: Ut scias quomodo oporteat

te conversari in domo Dei. Et hæc domus, quæ modo est in terris, quandoque transfertur in cœlis. Psal. CXXI: In domum Domini lætantes ibimus. In utraque est ubertas donorum Dei. Sed in hac Ecclesia est imperfecta; sed in alia est perfectissima abundantia omnium bonorum, et hac satiantur spirituales viri. Psal. LXIV: Replebimur in bonis domus tuæ. Et quod plus est inebriantur, inquantum supra omnem mensuram meriti desideria implentur. Ebrietas enim excessus quidam est. Isaiæ LXIV: Quod oculus non videt, etc.; Cantic. V: Inebriamini, charissimi. Et qui sunt ebrii non in se sunt, sep extra se : sic repleti sunt spiritualibus charismatibus; tota eorum intentio fertur in Deum. Philipp. II: Nostra conversatio in cœlis est. Et non solum donis reficientur, sed etiam dilectione Dei. Job XXII: Tunc super Omnipotentem deliciis affluës, et elevabis ad Deum faciem tuam. Et ideo dicit quantum ad secundum: « et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Hic est amor Spiritus sancti, qui facit impetum in anima, sicut torrens. Isaiæ LIX : Quasi fluvius violentus , quem spiritus Domini cogit. Et videtur voluptatis, quia voluptatem et dulcedinem in anima facit. Sapientiæ XII: O quam bonus et suavis est spiritus tuus, Domine, in nobis. Et hoc potu potantur boni. Materia talis refectionis est quia qui conjungitur fonti, et qui tenent os suum ad fontem vini inebriantur : et sic inebriantur, quia « Apud te est fons vitæ, » idest tu es fons vitæ.

Invenies modum, quamvis per modum laudis et oratiónis. De oratione mentali disputatur ad longum in isto libro, et de comitibus illius. Cum enim oratio mentalis sit quasi universarum virtutum mater, quæ eas gignit et nutrit, et usque ad perfectionem provehit; et plane ut illustris quædam domina atque regina, non solum habet satellites eam præeuntes, sed etiam ancillas pulcherrimas ejus latus ex utraque parte cin-

gentes, ut illam tamquam Principem clarissimam in medio teneant: ita et Regina hæc, orationem dico, habet satellites: idest præcedentia orationem; et habet concomitantia, ipsam ad orationem sequuntur consolatio et donatio, devotio et ariditas. De omnibus speciebus orationis supernaturalis disputatur ad longum in isto libro.

Invenies finem: finis Psalmorum est oratio. Finis hujus libri est oratio unitiva per contemplationem acquisita. D. Thomas, explicans illud Psal. xlv: Vacate, et videte quoniam ego sum Deus, dicit: Finis pacis temporalis, secundum Philosophum, est contemplatio veritatis: unde pax est utilis finis vitæ activæ, et pax ordinatur ad contemplationem. « Vacate et videte: » unde patet quod Deus dat pacem, ut non vacent malis operibus, sed contemplationi veritatis. II. Corinth. vii: Ut vacetis orationi. Videre dicit duo: quod Christus est verus Deus; secundo, quod ejus fides debeat divulgari per totum mundum. Quantum ad primum dicit quod sit Deus; Deut. xxxii: Videte quod ego sim solus, et non sit alius præter me. Quantum ad secundum: Exaltabor in gentibus, idest demonstrabor altus in fide gentium.

Quatuor modis anima elevatur ad Deum, ad admirandum celsitudinem potestatis ipsius. Primo per fidem, ad videndum opera creationis ipsius, et in quantum est principium vitæ contemplativæ et activæ: et ostendit finem utriusque, ut docet D. Thomas, in iii, dist. 23, q. 2, a. 3, ad 6; et etiam quia vita spiritualis attribuitur fidei sicut in qua primo manifestatur, ut affirmat D. Thomas, 1 2, q. 110, art. 3, ad 1. Secundo, elevatur mens ad tendendum in excellentiam æternæ beatitudinis: et hæc est elevatio spei, quia, ut dicit D. Thomas, 1 2, q. 25, art. 1, in corpore, spes addit supra desiderium quemdam conatum et elevationem animi ad consequendum bonum arduum; et q. 2 de virtutibus, art. 2, ad 5: Spes elevat affectum ho-

minis ad summum bonum ut adipiscendum. Tertio, elevatur mens ad inhærendum divinæ bonitati: et hæc est elevatio charitatis, quia charitas elevat hominem in id quod metas naturæ excedit, ut dicit D. Thomas, q. 20, De verit., art. 2. Et charitas ponit nos et conjungit nos Deo, ut dicit D. Thomas in IV, dist. 12, q. 3, art. 2; q. 3, ad 1. Quarto, elevatur mens ad imitandam divinam justitiam, quia justitia Dei est principium distributionis, ut efficiens, et justitia Dei dicit ordinem creaturarum inter se et ad Deum. Ita D. Thomas, in IV, dist. 46, q. 1, q. 2, ad 1, et 2. Et totus ordo justitiæ Dei reducitur originaliter ad voluntatem Dei, ut docet idem sanctus 3 p., q. 46, art. 2, ad 3. De omnibus his elevationibus disputatur ad longum in hoc libro multis in locis.

« In verbo gloriæ. » Hæc doctrina mystica dicitur in verbo gloriæ quantum ad causam, quia infunditur a Deo gloriosissimo. Quantum ad continentiam, quia in isto libro gloria Dei continetur, quia, ut dicit D. Thomas, I. Cor. XI, lect. 2, Gloria Dei dicitur claritas ejus ab eo derivata, secundum illud Exodi ult. : Gloria Domini implevit illud; et in hoc libro refulget claritas præsertim in disputationibus de via illuminativa. Et quantum ad modum emanationis, quia charitas emanat a gloria Dei; et de charitate tamquam de perfectione disputatur in quæstione de via unitiva.

Censura A. R. P. Fr. Vincentii Merla S. Theologiæ Magistri Ordinis Prædicatorum.

Præsuli amplissimo Barcinonensi Domino D. Raymundo de Senmanat, et de Lanuça, obtemperandi ratio facem prætulit, censorem reddidit novi et luminosi operis cui titulus est: *Theologia Mystica sancti Doctoris Angelici*, a nobilissimo, ac sapientissimo, admodumque reverendo Patre Magistro Fratre Thoma a Vallgornera, ex Prædicatorum familia compositi: in quo etiamsi (ut opus novum) maxima cum intellectus attentione et voluntatis oblectatione perlegi, nec ullum verbum fidei orthodoxæ, ecclesiasticis decretis adversum suspectumve reperi: imo ubique floridam, ubique fructuosam, ubique saporosam doctrinam sanctorum Patrum redolet, et Angelici Doctoris mentem ad vivum exprimit ita (*quod ea*) quæ in sacro pectore latitabant, perspicue ostendit, et ejusdem sanctissimi Doctoris mentis, et pectoris clarissimum videatur speculum, ipsoque dictante exaratum. Opus plane aureum, quia sicut verum aurum in visceribus terræ absconditur, ita hoc opus absconditum erat in visceribus sapientiæ sancti Doctoris; est opus meo judicio tanto auctore dignissimum, decentissimum, ac propriissimum, in quo (velut alter Thomas angelicus) Thomas noster unus, imo singularis, et unicus inter innumeros et pene infinitos, qui in nostro sacro Ordine divinorum contemplationi intenti, scientia pleni, charitate accensi astant ante Dominum, hoc opus extraxit; et vere theologicum mysticum, quia mysticum interpretatur absconditum: inde Theologia Mystica, quæ est modus inveniendi Deum per abnegationem et per excessus mentales (*ut*) tamquam in divina caligine videatur Deus, hoc est in occulto et in abscondito; quod attendens propheta Isaias, c. LV, sub assertione exclamavit: Vere tu es Deus absconditus. Quod opus utile futurum fore doctis pariter et indoctis non dubito: quare laudatorem potius quam censorem postulare judico, sentio, censeo.

In hoc Conventu Sanctæ Catharinæ Virginis et Martyris, Barcinone. Die 25 Julii, anno 1661.

Fr. Vincentius Merla
ejusdem Ordinis Magister.

Censura Vincentii Vinyals S. Th. D. et primarii interpretis.

Ex commissione Perillustris D. D. Josephi a Boxados, et Llull Regentis in Regio Senatu Principatus Cathaloniæ, attente legi librum cui titulus: *Mystica Theologia Divi Thomæ*, auctore A. R. P. Fr. Thoma a Vallgornera, S. Theologiæ Magistro, Ordinis Prædicatorum. In quo nedum nihil Fidei Catholicæ puritati, vel christianorum morum integritati adversum inveni, aut dissonum: quinimo tanta eruditione doctrinam Sancti Thomæ pertractat, tot tantisque illius allegationibus Mysticam Theologiam illustrat, ut merito propositum suum, nempe Doctorem Angelicum, nedum scholasticæ, sed mysticæ etiam Theologiæ sine controversia principem

esse evidentissime demonstret. *Hoc enim peculiare habet doctrina Angelica*, inquit doctissimus magister Gravina (*Cathol. Præscrip., tom. I, pag. 3, in fine*), *ut nedùm puras subtilitates et speculationes, vel morum informationes, sed et dogmata, eorumque rationes mira soliditate pertractet, et tamquam manna voluntati uniuscujusque fidelium deserviat, ut sicut olim panem Angelorum manducavit homo, sic nunc Doctoris Angelici confectum panem de verbis Salvatoris manducet omnis Ecclesia a minimo usque ad maximum: siquidem ejus doctrina in oratorio illuminat, in suggestu prædicat, in Academiis disputat, in tribunalibus etiam forensibus judicat, in Conciliis determinat, in arenam descendens contra hæreticos triumphat.* Triumphet igitur etiam noster Magister Thomas a Vallgornera, qui finem intentum plenissime consequutus, Sanctum Thomam utriusque Theologiæ, scholasticæ nimirum et mysticæ, Principem demonstravit. Censeo igitur hoc opus dignissimum quod typis mandetur in communem utilitatem.

Dat. Barcinone die 30 Maji 1662.

Vincentius Vinyals
Doctor Theologus, et primarius Interpres.

Censura A. R. P. Fr. Petri Martyris Cerdæ S. Th. Magistri, Ordinis Prædicat.

Meditata diu noctuque studiis et exercitiis sibi solitis spiritualibus, A. R. P. M. Fr. Thomas a Vallgornera, ad aliorum utilitatem ac instructionem, profert in lucem tractatu præsenti Mysticæ doctrinæ Theologiæ; mystica, et abdita pervia cunctis faciens: quibus docti in spiritualibus evadant facile qui voluerint. Rem grandem! at jam ab aliis, dices, actam. Verum. Sed præstat hæc, quod ex textu fere tota sit Doctoris Angelici. Multi laboris opus, optimi, rari, et difficilis; cumque semper optima quæque rara sint, et difficilia (ait D. Hieronymus in Prologo ad vitas PP.), in istis tamen utrumque pariter convenere. Alii verum de hoc: sed quod auctoritate Angelici cuncta sint fere expressa isthæc, commendabilius reddit isthoc opus. Ultra quod, transitorie ab aliis dicta, hic latius elaborata traduntur. Quod si alii pariter, tamen non mediocrem affert repetitio cautelam, ut de vita magni Antonii idem D. Hieronymus ait. Vere nihil hic sapiens iste Magister emisit, quod revocare sit opus. Quique isthæc habeat, legat, colat, meditetur, ac hisce reguletur, gaudeat; seu Cresii opes se habere credat, quo nullo egeat, ut de Codice Pamphili dicebat ille Sanctus. Secure potest opus istud scylleos canes obturata aure transire, nihil continens sanæ doctrinæ non consonum. Ita censeo, judico et probo, ex mandato et commissione mihi factis per A. R. P. N. Magistrum Fratrem Mauritium de Leçana, Provincialem Aragoniæ Provinciæ, sacri Prædicatorum Ordinis.

Dat. in Conventu sanctæ Almæ Catharinæ Martyris, Barcinone, sexto idus Aprilis, anno 1662.

Fr. Petrus Martyr Cerda.

Licentia Patris Provincialis.

Frater Mauritius de Leçana, Prior Provincialis Aragoniæ, Ordinis Prædicatorum, Dilecto nobis in Christo, Reverendo Admodum Patri Fr. Thomæ a Vallgornera, Magistro sacræ Theologiæ, eruditissimo conventuali nostri Conventus sanctæ Catharinæ Martyris Barcinone, Salutem et Paternam benedictionem. Cum Nobis retuleris librum habere elaboratum sub titulo: *Mystica Theologia D. Thomæ utriusque Theologiæ Scholasticæ et Mysticæ Principis*, et ut prælo mandetur licentiam a Nobis postulaveris, Nos pro nostri muneris officio publicæ utilitati consulentes, prædicti libri examen S. Th. Magistro P. Fr. Petro Martyri Cerda, Cathedræ S. Scripturæ Universitatis Barcinonensis præstantissimo moderatori commisimus: cujus jam habita et inspecta laudabili approbatione, petitam licentiam quantum est de Nobis, aliis non prætermissis, libenter concedimus, ut cum obedientiæ merito illum prælo mandare possis. Vale.

Datis in nostro Collegio SS. Georgii et Dominici Civitatis Dertusæ, die ultima Aprilis 1662.

Fr. Mauritius De Leçana
Prior Provincialis.

THEOLOGIA MYSTICA

DIVI THOMÆ

QUÆSTIO I.

DISPUTATIO PROŒMIALIS

ARTICULUS I

Quid sit theologia mystica.

1. Universalis Doctor, cujus doctrina approbata fuit a Christo Domino, in proœmio opusculi LXXIII invocat Sapientiam ne illum errare permittat in periculum animæ suæ et in laqueum aliorum: sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Tanta est majestas atque sublimitas theologiæ mysticæ, ut merito timendum sit ne deficiamus in via veritatis, cum ipsa superet capacitatem nostram. Et ideo Deum invoco, et cœleste auxilium imploro. — O Sapientia æterna, quæ cæcos illuminas, ignorantes edoces, mutorum labia dissolvis, emitte radium lucis tuæ in sinum mentis meæ, quo perfusus, tum de theologia mystica digna concipere, tum concepta perficere atque distinguere, et distincta possim vocibus et litteris explicare.

2. Theologia est velut quædam impressio divinæ scientiæ, quæ est una et simplex omnium. D. Th. p. p., q. 1, art. 3 ad 2.

Est scientia nobis divinitus revelata; modus ejus revelativus, orativus, narrativus, comminatorius et præceptivus. — Ad ea quæ considerantur de Deo in theologia utimur effectibus ejus, naturæ vel gratiæ, loco definitionis, quia de Deo non possumus scire quid est, sed an est. D. Th. p. p., q. 1, art. 7 ad 1. Et idem Sanctus in expositione epistolæ ad Hebr., lect. 2, super cap. v, loquens de doctrina sacra, dicit quod est cibus animæ. Eccli. xv: Cibavit illum pane vitæ et intellectus; et etiam quod est cibus et potus, quia animam potat et satiat. Aliæ scientiæ tantum illuminant intellectum, hæc autem illuminat animam. Ps. xviii: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Nutrit etiam et roborat animam. In aliis scientiis sufficit quod homo sit perfectus secundum intellectum; in ista secundum intellectum et secundum affectum. — Non est certum utrum loquatur D. Thomas in hoc loco de doctrina sacra prout solum dicit theologiam speculativam, vel ut principaliter dicit theologiam mysticam; pro certo tamen habetur quod omne quod dicit de doctrina sacra convenit theologiæ mysticæ.

3. Mysticum ex D. Thoma sup. cap. i D. Dionysii De divinis nominibus, idem est quod secretum. Et ex eodem Sancto, explicans istud nomen: secretum, in expositione cap. xxiv Isaiæ, dicit: Dei magnalia sunt secreta. Primo propter eorum magnitudinem. Matth. xix: Non omnes capiunt verbum hoc, et Joan. iii: Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Secundo, propter eorum dignitatem. Matth. xiii: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Tertio, propter aliorum inidoneitatem. Matth. vii: Nolite sanctum dare canibus. Et sic dicit Apost. I. Cor. ii: Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam loquimur inter perfectos. Quæ verba Apostoli dupliciter explicantur a D. Thoma, primo super cap. i D. Dionysii De divinis nominibus, ostendens ex quibus procedendum sit in hoc opere, quia non est innitendum rationi humanæ, sed revelationi divinæ; in doctrina spiritus, spiritualibus. Mystica enim theologia est doctrina revelata et secreta. In illis doctrinis principiis humanæ sapientiæ inniti possumus, in quibus ea traduntur quæ hominibus cognoscibilia sunt et discibilia; et

ab his qui habent doctrinam illam et cognosci, et disci possunt. Sed in doctrina fidei proponuntur quædam homini ignota et indiscibilia, quibus habentes fidem inhærent in cognoscendo. In doctrina fidei non possumus inniti principiis humanæ sapientiæ, sed veritati divinæ, quæ excedit omnem humanam locutionem et cognitionem. In comment. Ep. I. Cor. II, sic exponit: " Et sermo meus, „ quo scilicet privatim, et singulariter aliquos instruebam; " et prædicatio mea, „ qua scilicet publice docebam, " non fuit in verbis persuasibilibus humanæ sapientiæ, „ idest per rhetoricam quæ componit ad persuadendum; nec nititur philosophicis rationibus: " sed in ostensione spiritus et virtutis, „ quantum ad hoc quod ipse per Spiritum loquebatur, quod sublimitas et affluentia doctrinæ ostendit. II. Reg. cap. XXIII: Spiritus Domini loquutus est per me. " Ut fides vestra non sit in sapientia hominum; „ idest non innitatur sapientiæ humanæ, quæ plerumque decipit homines, secundum illud Isaiæ XLVII: Sapientia tua, et scientia tua hæc decepit te. " Sed in virtute Dei, „ ut scilicet virtuti divinæ fides innitatur, et sic non possit deficere. " Sapientiam autem, „ idest profundam doctrinam, " loquimur inter perfectos. „ — Dicuntur autem aliqui perfecti dupliciter. Uno modo secundum intellectum, alio modo secundum voluntatem. Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, qui spiritualia et intelligibilia capere possunt, de quibus dicitur ad Hebr. V: Perfectorum est solidus cibus; eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem mali et boni. Perfecti autem secundum voluntatem sunt quorum voluntas super omnia temporalia elevata, soli Deo inhæret et ejus præceptis. Unde Matth. V, præpositis dilectionis mandatis, subditur: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Mystica theologia secreta, propter ejus magnitudinem, propter ejus dignitatem, propter aliorum inidoneitatem, non innititur humanæ sapientiæ, sed in ostensione spiritus et virtutis. Et est sapientia inter perfectos.

4. Mysticum idem est quod occultum. D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. Corinth. IV: Nolite ante tempus judicare (*ait*): Sunt autem occulta nobis quæ latent in corde, vel etiam in abscondito fiunt, et de his dicitur, Psal. IV: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Et de his homo est teme-

rarius judex. Illuminabit abscondita tenebrarum, idest omnia occulta. Mystica theologia occulta, sed illuminat abscondita suis radiis. — D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Hebr. IV, lect. 2: Discretor cogitationum et intentionum cordis, dicit sic: Ex duobus autem contingit quod aliquid non cognoscatur, scilicet aut quia est intra aliquod occultatum, et sic maxime sunt occulta quæ latent in corde, quia ipsum est valde inscrutabile. Jerem. XVII: Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Alio modo non cognoscitur aliquid quia est omnino ignotum et invisibile: et sic ea quæ sunt in voluntate sunt ignota. Theologia mystica occulta, quia omnes ejus actiones procedunt ab intellectu, a voluntate et a corde. — Et propter hanc etiam rationem mysticum vocatur divinum, non solum quia actiones mysticæ sunt divinæ, sed etiam quia solus Deus operatur in eis principaliter. — Tandem mysticum idem est quod sanctum. D. Th. in 4, dist. 8, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1: Aliquid dicitur sanctum dupliciter. Uno modo simpliciter et per se, sicut quod est subjectum sanctitatis, sicut Christus Dominus. Alio modo secundario et secundum quid, ex eo quod habet ordinem ad hanc sanctitatem. Theologia mystica sancta, quia vitam purgativam, illuminativam et unitivam ordinat ad sanctitatem.

5. Aliqui auctores, ut adæquate possint definire theologiam mysticam, fundati in doctrina D. Thomæ, 2 2, q. 24, art. 9, distinguunt tres gradus theologiæ mysticæ, quia D. Thomas in loco allegato ponit tres gradus charitatis, secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Et vocantur incipiens, perficiens et perfectus. Nam primo incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda vel fovenda, ne corrumpatur. In isto gradu jam purgantur purgatione passiva partis sensitivæ, et mens dicitur aliqualiter intrare divinam caliginem, et aliqualiter conquiescunt per amorem et contemplationem. — Secundum autem studium succedit ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes, quia ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Iste gradus secundus eminet supra primum,

quia non solum plura in divina caligine videntur mysteria, sed etiam quia perfectius et perfectiori modo videntur: nam in primo gradu non ita clare et distincte, sed tantum transitorie videntur; sed in hoc secundo clarius ac distinctius, et pene habitualiter inspiciuntur, et mens per affectum Deo firmiter ac suavissime adhæret. — Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhæreat, et eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo. In isto gradu mens totaliter transformata illustrationibus divinis, et amore ferventissimo liquefacta, non tantum per unionem affectivam (*sed etiam*) experimentalem, fruitivam et realem, quantum præsens status vitæ patitur, Deo copulatur: ita ut ex parte Dei prærequiratur illapsus ejus in animam, qui dicitur deosculatio, seu amplexus unitivus. — Secundum istos tres gradus, dicunt auctores esse ponendas tres definitiones theologiæ mysticæ. Et ambigua prius sunt dividenda quam definienda. Et divisa theologia mystica in istos tres gradus, totidem erunt assignandæ definitiones. Potestque confirmari ex loco citato Epist. ad Hebr., ubi dicitur quod alio cibo utuntur parvuli, alio homines: nam parvuli utuntur lacte, homines vero utuntur cibo solido; sic similiter alio cibo spirituali utuntur imperfecti, nimirum incipientes et proficientes, alio perfecti.

6. His non obstantibus, unica ponitur definitio theologiæ mysticæ, quæ convenit omni statui secundum proportionem, principaliter statui perfecto, minus principaliter aliis. Et est ista, quæ colligitur ex pluribus locis D. Thomæ: Theologia Mystica est contemplatio perfectissima et altissima Dei, et fruitivus ac suavissimus amor ipsius intime possessi. — Dicitur contemplatio altissima Dei, quia theologia mystica, cum sit scientia, essentialiter consistit in contemplatione sui objecti; et etiam quia, cum theologia mystica sit sapientia et sapientia sit principium elicitivum actus contemplationis, ideo theologia mystica consistit in contemplatione. Non tamen affirmo quod theologia mystica nihil aliud sit quam sapientia, quia, ut dicetur in articulis de contemplatione supernaturali, perfectissimus actus contemplationis, qui est supremus theologiæ mysticæ, elicitur ab altiori principio quam sit donum sapientiæ.

7. Dicitur fruitivus ac suavissimus amor ipsius intime possessi,

quia, ut docet D. Thomas, 1 p., q. 64, a. 1, cognitio quæ habetur per gratiam est duplex. Una quæ est speculativa tantum, sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revelantur. Alia vero quæ est affectiva, producens amorem Dei. Et hæc pertinet ad donum sapientiæ. Et, 2 2, q. 97, art. 2 ad 2: Duplex est cognitio divinæ bonitatis vel voluntatis. Una quidem speculativa. Et quantum ad hanc, non licet dubitare, nec probare utrum Dei voluntas sit bona, vel utrum Deus sit suavis. Alia autem est cognitio divinæ voluntatis sive bonitatis affectiva seu experimentalis, dum quis experitur in se ipso gustum divinæ dulcedinis, et complacentiam divinæ voluntatis, sicut de Hierotheo dicit D. Dionysius, cap. II De divinis nominibus, et in eodem loco D. Thomas, quod didicit divina ex compassione ad ipsa. Et 1 p., q. 43, art. 5 ad 2 dicit quod Filius mittitur cum a quoquam cognoscitur atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quamdam notitiam significat. Et hæc proprie dicitur sapientia, quasi sapida scientia, secundum illud Eccli. VI: Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus est. Et 1 2, q. 112, art. 5, in corp.: Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Secundum quem modum potest intelligi quod habetur Apocal. II: Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit: quia scilicet ille qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. Et solut. ad 1: Illa quæ sunt per essentiam sui in anima, cognoscuntur experimentali cognitione, in quantum homo experitur per actus principia intrinseca. Et solut. ad 5: Dicendum, quod illud verbum Abrahæ dictum potest referri ad notitiam experimentalem, quæ est per exhibitionem operis. In opere enim illo quod fecerat Abraham cognoscere potuit experimentaliter se Dei timorem habere. Et 2 2, q. 162, art. 3 ad 1: Cognitio veritatis est duplex. Una pure speculativa: et hanc superbia indirecte impedit, subtrahendo causam. Superbus enim neque Deo intellectum suum subjicit, ut ab eo veritatis cognitionem percipiat, secundum illud Matthæi XI: Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, idest superbis qui sibi sapientes et

prudentes videntur; et revelasti ea parvulis, idest humilibus; neque etiam ab hominibus addiscere dignatur, cum tamen dicatur Eccli. VI: Si inclinaveris aurem tuam, scilicet humiliter audiendo, excipies doctrinam. Alia autem est cognitio veritatis, scilicet affectiva. Et talem cognitionem veritatis directe impedit superbia, quia superbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis fastidiunt, ut Gregorius dicit, Moral. XXIII, quod superbi, etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experire non possunt. Has cognitiones experimentales vocat D. Thomas, cum multis Sanctis, variis nominibus. Vocat contemplationem, extasim, raptum, liquefactionem, transformationem, unionem, exultationem, jubilum, rapi in divinam caliginem, gustare Deum, amplecti sponsum, osculari eum, gignere de Deo et parere verbum, introduci in divina cellaria, inebriari torrente voluptatis, currere in odorem unguentorum suorum, audire vocem ejus, intrare in cubiculum, in pace in idipsum dormire et requiescere.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum theologiæ mysticæ.

8. Ab objectis primordialiter oritur habituum distinctio, et sic illorum cognitio ab objectis congruentissime incipit. Et hoc exposcit consuetus ordo doctrinæ. Angelicus etiam Doctor fidei, spei, charitatis, et aliarum virtutum materias tractandas ab objectis aggreditur, judicans congruum doctrinæ ordinem id postulare, ut a priori virtutum specificæ rationes, dignitates atque perfectiones patefiant. Cum igitur theologia mystica inter scientias veluti primatum teneat, ideo ipso doctrinæ jure poscente, de objecto illius in proœmiali disputatione tractamus, ut ab objecti dignitate dignitas et perfectio scientiæ pandatur. — Ista tria nomina, objectum, subjectum et materia, respectu potentiæ pro eodem sumuntur. Dicitur enim objectum quod potentiæ objicitur contemplandum, sicut objectum visionis quod visui videndum proponitur. Dicitur vero subjectum quia subjicitur prædicatis. Dicitur tandem materia circa quam potentia vel habitus versatur. – Objectum ex D. Thoma, 1 p., q. 1,

art. 3, et 2 2, q. 1, art. 1, est duplex, unum materiale, aliud formale. Objectum materiale est illud in quo ratio formalis invenitur, vel est illud circa quod versatur talis res. Objectum vero formale est ratio illa per quam objectum materiale attingitur: ex. gr. in potentia visiva objectum formale est color, seu visibile, materiale vero omne illud in quo invenitur ratio coloris, seu visibilis. Rursus objectum formale ex D. Th., 2 2, q. 50, art. 5, est duplex: unum adæquatum seu totale, et est illud quod comprehendit omnia quæ in tali scientia tractantur; aliud inadæquatum, et est illud quod non comprehendit omnia, sed aliquam partem objecti adæquati. In objecto formali duo reperiuntur. Primum est ratio formalis quæ, et est res ipsa quæ per se consideratur a scientia; dicitur etiam ratio formalis in esse rei, seu objectum formale quod. Secundum est ratio formalis sub qua, seu in esse scibilis, vel objectum formale quo, et est id sub quo potentia vel habitus attingit suum objectum formale quod. Sub ratione formali comprehenduntur multa, scilicet lumen sub quo tendit potentia, media quibus tendit. D. Thomas in Prologo Sentent., art. 4, loquens de objecto adæquato dicit quod debet servare has tres conditiones: prima ut ad ipsum reducantur omnia quæ tractantur in scientia, vel tamquam principia, vel tamquam partes, vel tamquam species, vel tamquam proprietates; secunda ut de illo sit principalis cura in tali scientia, et præcepta quæ traduntur sint de ipso; tertia, per objectum debent scientiæ specificari, et inter se distingui, non in esse rei consideratum, sed in esse scibilis.

9. Objectum formale quod, seu ratio formalis quæ, theologiæ mysticæ est divinitas, quia theologia est scientia de Deo. Objectum formale quo, seu ratio formalis sub qua divinitatem contemplatur, est lumen supernaturale, sive sit donum sapientiæ vel aliud eminentius; et etiam medium quo procedit. Objectum materiale theologiæ mysticæ comprehendit tam Deum quam creaturas: quibus ratio formalis divinitatis sive deitatis convenit, Deo essentialiter, creaturis autem participative. Theologia mystica non respicit Deum, ut objectum, sub eadem ratione qua theologia scholastica, et sub ratione pure speculativa: sed sub ratione affectiva et experimentali. D. Thomas explicans illud Psalmi XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis

est Dominus, dicit sic: Hortatur ad experiendum. Primo enim hortatur ad experientiam divini consortii; secundo ad observantiam divini timoris. " Gustate et videte. „ Experientia de re sumitur per sensum: sed aliter de re præsenti, et aliter de absente, quia de absente per visum, odoratum et auditum; de præsente vero per tactum et gustum: sed per tactum de extrinseca præsente, per gustum vero de intrinseca. Deus autem non longe est a nobis, nec extra nos, sed in nobis. Jerem. XIV: Tu in nobis es, Domine. Et ideo experientia divinæ bonitatis dicitur gustatio. I. Petri II: Si tamen gustatis quam dulcis. Proverb. ultimo: Gustavit et vidit quoniam bona est negotiatio ejus. Effectus autem experientiæ ponitur duplex. Unus est certitudo intellectus, alius securitas affectus. Quantum ad primum dicit: " Et videte. „ In corporalibus autem prius videtur, et postea gustatur; sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur, quia nullus cognoscit qui non gustat: et ideo dicit prius " Gustate, „ et postea " videte; „ et quantum ad secundum, " quoniam suavis est Dominus. „ Sap. XII: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis! Psal. XXX: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ! Hæc ille. Idem S. Doctor explicans illud Cantic. II: Et fructus ejus dulcis gutturi meo, (*dicit*): Quia expectat perfrui specie visionis illius et satiari dulcedine claritatis ejus. — Multa de experientia divinorum docet D. Thomas in multis locis suorum operum, præcipue in illis locis in quibus disputat de donis Spiritus sancti. Ad donum intellectus pertinet assentiri veritati quam penetrat, non credendo formaliter, sed aliqualiter experiendo saltem quid non sit. Et differt assentiri credendo, vel experiendo, aut penetrando, quia credens tantum adhibito testimonio adhæret, et præcise assentit, nec aliud quærit, neque investigat, neque discutit. Intellectus interiora penetrat, investigat occulta, ad priora extendit se ipsum, nititur velata detegere, et obumbrata illustrare. Sic nimirum per donum intellectus revelat Dominus condensa, per fidem venit de monte umbroso et condenso; per fidem captivatur intellectus, et quasi caligat oculus, et ambulat per viam deserti usque ad montem Dei; denique in terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparet Deo; quod frequenter experiuntur qui nuda et sicca fide orationi insistunt, quod quasi siccatur anima, et faucibus adhæret

lingua dum credit tantum, nec penetrat ad interiora mysteriorum Dei. At vero, ubi Spiritus sanctus incipit intus flare spiritu suo ut fluant aquæ, et per donum intellectus aperit nobis sensum, et reserat interiora austri, idest calidiorem auram suæ charitatis immittit, ut sentiamus et gustemus intus quam suavis est Dominus, tunc plane convertit captivitatem intellectus nostri, sicut torrens in austro, idest ad modum quo torrens altiori gelu concretus, solvitur a spirante austro; tunc fugantur nubila, et surgente aquilone venit auster, et perflat aromata mysteriorum fidei ut mittant odorem suum, sicut odorem agri pleni; tunc fiunt oculi nostri sicut columbæ, et non jam in terra arenti et inaquosa, sed plane resident juxta fluenta plenissima; tunc denique non exsiccatur anima, neque arescit in siti: sed sicut adipe et pinguedine repletur inundante lumine, et dirigitur oratio ejus sicut incensum in conspectu Domini. Hoc præstat donum intellectus.

10. Donum sapientiæ, secundum adæquatam rationem definitur: Habitus qui habet judicare de divinis ex instinctu et motione Spiritus sancti, qua unimur et subjicimur Deo quasi ex connaturalitate et experientia, seu gustu quodam divinorum. Ita D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 2, ubi dicit: Rectitudo judicii potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis; alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea de quibus judicandum est: sicut de his quæ ad castitatem pertinent per rationis inquisitionem recte judicat ille qui didicit scientiam moralem; sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam recte judicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum judicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis; sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam, secundum quod est donum Spiritus sancti. Quapropter ratio formalis sapientiæ est procedere ex causis et rationibus divinis, quæ sunt causæ altissimæ, ad indagandas veritates sive divinas, sive creatas; sed tamen istæ causæ divinæ et altissimæ per quas procedit sapientia ad reddendam rationem, non sunt notæ quasi quidditative per sapientiæ donum, sed quasi affective et mystice ex connaturalitate quadam et unione, seu experientia interiori divinorum. D. Th. 1 2, q. 68, a. 6. Mens hominis mo-

vetur per dona Spiritus sancti ad sequendum motionem ipsius: sed motio Spiritus sancti ad cognoscendum et intelligendum ea quæ spiritualia sunt modo mystico, id est ex affectu et connaturalizante et uniente nos Deo et rebus spiritualibus, est motio tendens ad experiendum intime istas res divinas in proprio genere · ergo tendit ad evidentiam mysticam et experimentalem, seu affectuosam. Quia theologia mystica et affectiva cognitio multoties invenitur in hominibus simplicibus et idiotis, qui tamen optime sentiunt de spiritualibus; ergo ista cognitio fundatur non in studio et quasi metaphysico discursu, sed in experientia.

ARTICULUS III.

Utrum in exercitio theologiæ mysticæ anima contemplativa tantummodo patiatur.

11. Certum est animam in exercitio theologiæ mysticæ pati, quia recipit dona supernaturalia, et virtutes supernaturales, et illuminationes supernaturales: et recipere est quoddam pati, in doctrina D. Thomæ, opusc. IX, q. 38. Novus effectus potest provenire in anima ex nova dispositione recipientis, sicut nova illuminatio in aerem ex nova dispositione aeris. Manifestum est enim quod Deus in animam agit non solum causando in ea aliquem habitum, puta gratiæ vel virtutis; sed etiam inclinando liberum arbitrium ad hoc vel illud, quod non proprie dicitur influere, sed magis movere ad actum: et respectu eorum dicitur pati. Et D. Thomas, p. p., q. 50, art. 2 ad 2, concedit quod intellectus recipit formam, et patitur ab ea non sicut materia formam, sed sicut receptio substantiæ immaterialis. Et, q. 75, art. 2, docet quod istæ formæ recipiuntur in ipso intellectu, et de novo adveniunt, et ab illis patitur intellectus, quia ut intellectus possit cognoscere aliqua, est necessarium quod nihil eorum habeat in sua natura, quia illud quod inesset ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum, sicut videmus quod lingua infirmi, quæ infecta est cholerico et amaro humore, non potest recipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei amara. Et in II, dist. 3, q. 1, art. 1 ad 3: Intellectus recipit formam in quantum est forma simpliciter non in-

dividuans eam, quia forma in intellectu habet esse universale; unde Philosophus, III De anima, text. 14, dicit quod intelligere pati quoddam est. Et dist. 5, q. 1, art. 1 ad 2, dicit quod passio et receptio dicitur æquivoce in operibus intellectualibus, unde non requiritur materia, sed potentia.

12. In exercitio theologiæ mysticæ non tantum anima contemplativa patitur, sed etiam vere per intellectum et voluntatem operatur, et propter finem; etenim, ut docet D. Thomas, 1 2, qu. 1, art. 1, actionum quæ ab homine aguntur, illæ solum proprie dicuntur humanæ quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis in quantum est homo. Manifestum est autem quod omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Et objectum voluntatis est finis et bonum, unde oportet quod omnes actiones humanæ propter finem sint. Cum autem mysticæ actiones sint actiones intellectus et voluntatis, et sint propter finem, dicendum est quod illæ vere et proprie operantur per intellectum et voluntatem; et in ordine ad illas non se habent istæ potentiæ mere passive, sed libere illas operantur, et propter finem.

13. D. Thomas, Quodlib. 8, art. 3, dicit: Quoddam enim patiens est quod in nullo cooperatur agenti, sicut lapis cum sursum projicitur. Quoddam vero patiens est quod cooperatur agenti, sicut lapis cum deorsum projicitur, et corpus hominis cum sanatur per artem. Et secundum hoc res quæ sunt extra animam tripliciter se habent ad diversas animæ potentias. Ad sensus enim exteriores se habent sicut agentia sufficientia, quibus potentiæ non cooperantur, sed recipiunt tantum. Ad imaginationem res quæ sunt extra animam comparantur ut agentia sufficientia: actio enim rei sensibilis non sistit in sensu, sed ulterius pertingit usque ad phantasiam, sive imaginationem;

tamen imaginatio est patiens quod cooperatur agenti. Ipsa enim imaginatio format sibi aliquarum rerum similitudines, quas nunquam sensu percipit, ex iis autem quæ sensu recipiuntur, componendo ea et dividendo: sicut imaginamur montes aureos, quos nunquam vidimus, ex hoc quod vidimus aurum et montes. Sed ad intellectum possibilem comparantur res sicut agentia insufficientia. Actio enim ipsarum rerum sensibilium nec etiam in imaginatione sistit, sed phantasmata ulterius movent intellectum possibilem: non autem ad hoc quod ex ipsis sufficiant, cum sint in potentia intelligibilia, intellectus autem non movetur nisi ab intelligibili in actu. Unde oportet quod superveniat actio intellectus agentis, cujus illustratione phantasmata fiunt intelligibilia in actu, sicut illustratione lucis corporalis fiunt colores visibiles actu: et sic patet quod intellectus agens est principale agens quod agit rerum similitudines in intellectu possibili. Phantasmata vero, quæ a rebus exterioribus accipiuntur, sunt quasi agentia instrumentalia. Intellectus autem possibilis comparatur ad res quarum notitiam recipit sicut patiens quod cooperatur agenti. Multo enim magis potest intellectus formare quidditatem rei, quæ non cecidit sub sensu, quam imaginatio. Ecce quomodo, quando intellectus et voluntas in exercitio theologiæ mysticæ recipiunt, et patiuntur et cooperantur, quia per proprias actiones et liberas attingunt sua objecta, et producunt suos terminos.

14. Contemplatio Dei, et amor, et fruitio ipsius sunt principaliores actiones theologiæ mysticæ: ergo si istæ consistunt in passione et receptione, visio beatifica, et amor, et fruitio ipsius consistent in passione: quod est omnino falsum, quia beati videndo Deum vitaliter agunt, et vivunt vita æterna, quæ utique est vita intellectiva, non corporea, quia Deus corporali modo non potest attingi: caro enim et sanguis regnum Dei non possidebunt. Ubi est sensus formalis quod possessio Dei, quæ est apprehensio ipsius, non fit per carnem et sanguinem: ergo non potest illa esse non elicita ab ipso intellectu; quia per visionem Dei in seipso habetur vita æterna. Joan. XVII: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum. Unde negari non potest quod beatitudo nostra pertineat ad actionem vitalem et visionem. Ad Rom. VI: Gratia Dei vita æterna. Joan. X: Ego vitam æternam do eis. Et I. Joan. III: Cum apparuerit similes ei erimus,

quia videbimus eum sicuti est, quia visio est actus vitalis, et quando est distinctus ab ipso vidente (siquidem est accidens illius) intrinsece et essentialiter petit elici et procedere ab ipso vivente, et non solum passive recipi in ipso, tum ratione generali ipsius actionis, quia de conceptu intrinseco actionis est esse ab aliquo: ergo implicat quod dicatur operari per aliquam operationem, si illa non egrediatur a se, sed tantum recipiatur; tum specialiter quia operatio et actus vitalis debet esse a principio se movente; sed operatio quæ pure recipitur in aliquo, aut ei unitur, non est a principio se movente, sed tantum moto, utpote recipiente tantum: ergo non est actio vitalis, et consequenter neque visio respectu talis intellectus cui communicatur, quia de ratione visionis est quod sit actio vitalis: hoc enim est genus ejus. Confirmatur quia Conc. Trid., sess. VI, cap. V et can. 4, definit hominem recipientem inspirationem a Deo non se habere ut quoddam inanime, quia agit inspirationem illam recipiens, habetque potentiam rejiciendi illam, scilicet antecedentem: ergo ut in beatitudine non se habeat ut quoddam inanime, necesse est quod agat beatitudinem illam recipiens; sed si visio solum esset recepta vel communicata, intellectus nihil omnino ageret, sed solum reciperet visionem illam: ergo se haberet ut quoddam inanime, et consequenter non vivens vita æterna.

ARTICULUS IV.

In exercitio theologiæ mysticæ non potest esse amor sine aliqua prævia cognitione.

15. In bona philosophia naturali, et secundum rationem naturalem, et ex natura rei, nunquam potest dari aliquis actus in voluntate, quem non præcedat aliqua cognitio intellectus; quia, ut dicitur in philosophia, objectum voluntatis est bonum apprehensum per intellectum, qua ratione voluntas dicitur appetitus rationalis. Et non aliam distinctionem invenit D. Thomas, p. p., q. 80, art. 2, inter appetitum naturalem, sensitivum et intellectivum, nisi quod naturalis sequitur formam naturalem, intellectivus autem sequitur formam apprehensam per

intellectum, sensitivus formam apprehensam per sensum: ergo nequit esse actus voluntatis sine prævia cognitione: hoc enim esset contra voluntatis naturam. Et hæc est sententia Aristotelis, VI Ethic., cap. II, asserentis appetitum nihil prosequi, vel fugere, nisi quod in cognitione fuerit. Et II De anima, c. III; et VII Ethic. cap. XI, dicit quod voluntas, aut dolor, non est sine perceptione jucundi vel molesti. Idem dicit Augustinus VIII De Trin., cap. IV, et lib. X, cap. I, dicens nullo modo posse amari ignotum, licet possit sciri quod non diligitur. Ex quo ortum habuit illud dictum: Nihil volitum, quin præcognitum. Et cognitio quæ debet præcedere ad volitionem, non sufficit tantum habitualis, sed requiritur actualis, sive formalis, sive virtualis: quia si sufficeret habitualis, sequeretur quod etiam in dormientibus posset esse usus libertatis, quia in illis est cognitio habitualis. Quod est falsum, etiam stando in ordine gratiæ secundum legem ordinariam: et de facto, quantumcumque aliquis raptum vel extasim patiatur, falsum est esse actum amoris sine prævia cognitione. — Extasis significat excessum quemdam mentis, quo intellectus alienatur et distrahitur ab objectis in quæ secundum suam naturam tendebat, ut attendat ad illa quæ sunt præter ejus naturam. Unde extasis et raptus formaliter non est nisi in intellectu, et solum est in voluntate causaliter; quatenus aliquando ex vehementia amoris mens extra se fertur ad considerationem eorum quæ pertinent ad rem amatam, et distrahitur a consideratione objectorum sibi naturalium, ut in altiora et divina objecta feratur: qua ratione hujusmodi amor solet appellari fervens, per similitudinem ad fervorem aquæ, quæ ebulliendo extra egreditur. Hoc supposito, multis in locis probat D. Thomas extasim vel raptum esse non posse absque cognitione. 1 2, quæst. 28, art. 3, dicit quod extasis contingit secundum vim apprehensivam et secundum vim appetitivam simul, et quod amor facit meditari rem amatam. Et, 2 2, quæst. 195, art. 1, dicit raptum consistere in abstractione a sensibus divina virtute facta, ita tamen ut homo elevetur ad supernaturalium cognitionem. Et, art. 3 ad 1, cum numerasset tres modos raptus, in omnibus illis asserit inveniri contemplationem. Et solut. ad 4, optime advertit signanter dixisse D. Paulum non tantum esse raptum usque ad tertium cœlum, ratione scilicet

contemplationis; sed etiam in paradisum, ratione scilicet delectationis consequentis; quia in raptu utrumque intervenit, alterum ex parte intellectus, et alterum ex parte voluntatis. D. Augustinus X de Trin. per plura cap., et epist. LXV, et super Psal. XXX, ubi agit de extasi et mentis excessu, eamdem tenet sententiam. Anselmus et Beda et D. Thomas super illud II. Corinth. V: Sive mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis, dicunt hujusmodi verba esse explicanda de cœlestium rerum amore, in quo non a contemplatione, sed a sensibus fit abstractio; et D. Greg. lib. V Moral., cap. XXI et XXII, cum egisset de somno spirituali, postea, cap. XXIII, concludit quod qui in divina contemplatione proficit, videt aliqualiter eum quem amat: nec enim posset eum tam ardenter diligere, nisi aliqualiter videret. Et D. Bernardus, Tract. de gratia et lib. arbit., dicit voluntatem semper habere rationem comitem et quasi pedissequam. Et D. Thomas, super Matth. XVII, loquens de Transfiguratione, dicit quod in somno spirituali licet mens dormiat per quietem a rebus sensibilibus, vigilat tamen per rerum divinarum cognitionem, juxta illud Cant. V: Ego dormio et cor meum vigilat. Et Abulensis, super cap. XIII Genes., q. 356 et 400, dicit in omni excessu mentis intercedere cognitionem. Idem docet Albertus Magnus, lib. De adhærendo Deo, cap. IX; et fere omnes scholastici.

16. Ratione etiam convincitur, quia de facto etiam in perfectissimis et valde spiritualibus, etiam angelis, dum in via steterunt, omnes asserunt habuisse perfectissimam cognitionem. Sponsa etiam quando, Cant. V, per divinæ quietis amorem dormiebat, cor ejus in altissima contemplatione vigilabat. Et David Psal. XXVIII dicebat: In meditatione mea exardescet ignis. Et Paulus in terram prostratus, sensuumque ministerio destitutus, semper habuit intellectualem cognitionem, juxta sententiam D. Augustini, in Psal. LXXVII: Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Si ergo præstantissimi amatores non habuerunt amorem absque cognitione, signum est nulli sanctorum de facto hujusmodi amorem fuisse communicatum; et consequenter hoc non pertinere ad legem communem et ordinariam gratiæ, quia alias alicui fuisset concessum. Nec potest dici experientiam esse contrariam; nam ab eo qui sic dicit expertum fuisse, interrogo an recordetur se habuisse amorem absque cognitione

vel non. Si secundum, quomodo hoc refert? Si primum, impossibile est quod affirmat. Quomodo ergo potest recordari se dilexisse Deum, quem non cognovit? Reminiscentia enim non est nisi ejus quod quis quandoque cognovit: sed non potest quis cognoscere quod Deum dilexit, nisi simul cognoverit ipsum.

17. Etiam de potentia Dei absoluta dari non potest actus voluntatis absque prævia cognitione. Est D. Anselmi in Monol., cap. XLVIII. Nam in divinis amor notionalis necessario et essentialiter supponit cognitionem notionalem; immo amor essentialis cognitionem essentialem: ergo inter utrumque est necessaria connexio, etiam in creatis, quia, ut docet D. Thomas, p. p., q. 77, art. 7, ideo voluntas dicitur appetitus rationalis, quia voluntas essentialiter præsupponit intellectum; ergo etiam actus voluntatis debet supponere actum intellectus. Et ratione probatur, quia si non esset essentialis dependentia volitionis ab intellectione, certe non video cur voluntas pro sua libertate non posset velle aliquid incognitum. Et hoc loquendo ex natura rei, non de potentia absoluta. — Declaratur magis; si voluntas de potentia absoluta potest velle objectum incognitum, aut talis volitio esset libera, aut necessaria. Non primum, tum quia ad actum liberum prærequiritur indifferentia ex parte objecti, quæ quidem indifferentia nequit intelligi sine propositione objecti ex parte intellectus; tum etiam quia talis actus esset meritorius aut demeritorius: nullus autem peccare potest, aut mereri sine cognitione. Rursus neque posset esse talis actus necessarius saltem quoad exercitium, quia voluntas circa nullum objectum necessitatur in via quoad exercitium per se loquendo, tum etiam quoniam quidquid vult voluntas vel est finis, vel ea quæ sunt ad finem: ad quamcumque autem volitionum istarum prærequiritur seu supponitur motio metaphorica finis, quæ consistit in hoc ut finis cognitus excitet voluntatem ad amorem sui, et volitionem mediorum.

18. Nec valet auctoritas D. Dionysii, quæ adducitur a contrariis, cap. VII De divinis nominibus, asserentis: Est quædam augustissima Dei scientia, quæ per ignorantiam scitur, ex conjunctione illa quæ exsuperat sensum, quando mens omnia alia transiliens, et se ipsam derelinquens, convincta fuerit lucidissimis radiis. Dionysius autem tantum intendit modum cognoscendi Deum in via, per remotionem et negationem imperfe-

ctionum creaturarum ab ipso, quod potius est intelligere quid non sit. Hanc ergo cognitionem per negationem appellavit D. Dionysius ignorantiam. Ita D. Th. 1 Cont. gent., cap. XIV. Unde monet Timotheum per ignorantiam amare, scilicet per cognitionem negativam ad Dei amorem ascendere. Et D. Thomas exponens hanc auctoritatem D. Dionysii, lect. 2 super c. VII De divinis nominibus, sic ait: Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitio, per remotionem scilicet, quod cognoscimus Deum per ignorantiam per quamdam unitionem ad divina supra naturam mentis, quando scilicet mens nostra recedens ab omnibus aliis, et postea etiam dimittens se ipsam, unitur supersplendentibus radiis deitatis, in quantum scilicet cognoscit Deum esse, non solum supra omnia quæ sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, et supra omnia quæ ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum in tali statu cognitionis illuminatur ab ipsa profunditate divinæ sapientiæ, quam perscrutari non possumus. Quod enim intelligamus Deum esse super omnia non solum quæ sunt, sed etiam quæ apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinæ sapientiæ nobis provenit.

ARTICULUS V.

In exercitio theologiæ mysticæ potest voluntas plus amare quam intellectus cognoscere.

19. Doctrina articuli habetur expresse apud D. Thomam, 1 2, qu. 27, art. 2 ad 2, ubi sic ait: Aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis quod non requiritur ad perfectionem amoris: cognitio enim ad rationem pertinet, cujus est distinguere inter ea quæ secundum rem sunt conjuncta, et componere quodammodo ea quæ sunt diversa, unum alteri comparando; et ideo ad perfectionem cognitionis requiritur quod homo cognoscat singillatim quidquid est in re, sicut partes, et virtutes, et proprietates. Sed amor est in vi appetitiva, quæ respicit rem secundum quod in se est. Unde ad perfectionem amoris sufficit, quod res prout in se apprehenditur, ametur: ob hoc ergo contingit quod aliquid plus ametur quam cognoscatur, quia potest

perfecte amari, etiam si non perfecte cognoscatur; sicut maxime patet in scientiis, quas aliqui amant propter aliquam summariam cognitionem quam de eis habent, puta quod sciunt rhetoricam esse scientiam per quam homo potest persuadere; et hoc in rhetorica amant. Et similiter est dicendum circa amorem Dei. Hæc D. Thomas. Ex qua doctrina adducenda est alia ejusdem Sancti, 3 p., q. 8 ad 1, et q. 64, art. 1 in corp.: Cum ipse illabitur in voluntatem, quamvis cognitio Dei debilis sit, tunc voluntas Deo adhærens per notitiam experimentalem et unitivi amoris amplexum, majorem notitiam acquirit quam speculative noverat intellectus; et tunc, ut dicit D. Thomas in III, dist. 27, q. 1, art. 1 ad 4, loquendo de amore qui est unio amantis ad amatum, est ibi triplex divisio. Ex hoc enim quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, et e contra, ut nihil amati amanti remaneat non unitum: et ideo amans quodammodo penetrat in amatum, et secundum hoc amor dicitur acutus, et quod amor vulnerat et transfigit jecur. Sed quia nihil potest in alterum transformari, nisi secundum quod a sua forma quodammodo recedit, ideo hanc divisionem penetrationis præcedit alia divisio, qua amans a seipso separatur in amatum tendens: et secundum hoc dicitur amor et extasim facere et fervere, quia quod fervet extra se bullit et exhalat. Quia vero nihil a se recedit, nisi soluto eo quod intra seipsum continebatur, sicut res naturalis non amittit formam, nisi solutis dispositionibus, ideo oportet quod ab amante terminatio illa, qua infra terminos suos tantum continebatur, amoveatur. Et propter hoc amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum suis terminis non continetur.

20. Cognitio ita est causa amoris quod, cum sit conditio et quasi applicatio objecti, potest aliquando amor excedere cognitionem propter dispositionem subjecti: quia videlicet, ut appetitus totum quod est in objecto appetat, sufficit illud in confuso videre; inde enim etiam latentia cupimus, licet latentia non videamus in se expresse. Cognitio autem solum perfecta est quando est distincta et expressa; amor vero perfectus est etiam circa absentia et latentia, atque ideo circa confuse cognita. Et sic potest esse imperfecta cognitio et perfectus amor, quia ad perfectionem amoris sufficit quod rem prout est in se desideret.

Potest autem aliquid amari in se, etiamsi cognitio qua manifestatur et proponitur objectum, sit confusa et non perfecta; quia amor trahit animum ad res, non res ad animum. Et sic apprehensa et manifestata re etiam in confuso tantum, amor rem ipsam cupit, non confusionem: siquidem ex parvo quod videt inquirit, et movetur ad inquirendum id quod non videt, et adhuc latet, et absens est. Imo circa hoc solet impatientior et vehementior esse amor, quia hoc est ferri ad rem ipsam in se. Cognitionem quam habemus de Deo in hac vita esse confusam, et veluti mere speculativam, non est dubitandum: et ideo majorem amorem possumus habere de Deo quam cognitionem. Quando enim Deus illabitur in voluntatem creatam, ut docet D. Thomas in II dist. 8, q. 1, art. 5 ad 3, et in Joan. XIII, lect. 4, et in I. Cor. II, lect. 2, facit percipere gustum vitæ æternæ: tunc amor inebriatur amore divino. Audite D. Thomam super Ps. XXXV in illa verba: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ. " Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. „ Domus est Ecclesia. Ad Timoth. III: Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei. Et hæc domus, quæ modo est in terris, quandoque transferetur in cœlis. Psal. CXXI: In domum Domini lætantes ibimus. In utraque est ubertas donorum Dei: sed in hac Ecclesia est imperfecta; in alia est perfectissima abundantia omnium bonorum spiritualium, et hac satiantur spirituales viri. Psal. LXIV: Replebimur in bonis domus tuæ. Et quod plus est inebriantur in quantum supra omnem mensuram meriti desideria implentur. Ebrietas enim excessus quidam est. Et, ut docet idem Sanctus in illa verba Psalmi XXII: Et calix meus inebrians quam præclarus est, hic calix est donum divini amoris, qui inebriat quia ebrius non est in se, nec secundum se loquitur, sed secundum impetum vini: sic ille qui est plenus divino amore loquitur secundum Deum. " Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. „ Hic est amor Spiritus sancti, qui facit impetum in anima sicut torrens. Isaiæ LIX: Quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit. Et videtur voluptatis, quia voluptatem et dulcedinem in anima facit. Sap. XII: O quam bonus et suavis est Spiritus tuus, Domine, in nobis! Et hoc potu potantur boni. I. Cor. X: Eumdem potum spiritualem biberunt. Vel torrente voluptatis tuæ, scilicet Dei, q[illegible]i

dicitur torrens; Prov. XVIII: Torrens redundans fons sapientiæ: quia voluntas ejus sic efficax est ut ei resisti non possit, sicut nec torrenti. Ad Rom. IX: Voluntati ejus quis resistit? Materia autem talis refectionis est quia qui conjunguntur fonti, et qui tenent os suum ad fontem vini, inebriantur: sic qui tenent os suum, idest desiderium, ad fontem vitæ et dulcedinis, inebriantur. I. Cor. XI: Alius autem ebrius est. Et sic inebriantur quia apud te est fons vitæ.

21. D. Thomas, 2 2, q. 26, art. 2, ad 1, dicit quod dupliciter est aliquid causa dilectionis: uno modo sicut id quod est ratio diligendi, et hoc modo bonum est causa diligendi, quia unumquodque diligitur in quantum habet rationem boni; alio modo quia est via quædam ad acquirendam dilectionem, et hoc modo visio est causa dilectionis: non quidem ita quod ea ratione sit aliquid diligibile quia est visibile, sed quia per visionem perducimur ad dilectionem. Non ergo oportet quod illud quod est magis visibile sit magis diligibile, sed quod prius occurrit nobis ad diligendum. O bone Deus, quamvis cognitio tui sit diminuta, amor tamen tui ad maxima semper tendit. D. Thomas explicans gradus amoris D. Bernardi, Opusc. LXII, in gradu secundo, in quo amor facit quærere incessanter, dicit ex D. Gregorio: Vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Super hunc gradum pedem anima ponit, cum per infirmitatem prius mutata, Deum quem quæsivit aliqualiter in lectulo ægritudinis, convalescens ad bonum frequenti et diligenti discursu rationis inquirit dicens: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi infirma infirmiter, surgam et circumibo civitatem, totam creaturæ universitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Psalmus CXL: Quærite faciem ejus semper; quærite, sed non invenietis ubique. Augustinus: Quærite quod quæritis, sed non invenietis ubi quæritis; beatam vitam quæritis in regione mortis? non est illic, quomodo enim beata, ubi nec vita? O anima mea, si sapienter, et cum hoc diligenter quæreres, hoc tribus signis ostenderes: primo, quia lumen peteres, ne tenebris impedireris; Psal. LXVI: Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam suam. Secundo, scienter interrogares, ut ad inveniendum expedireris; Matth. II: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Cant. III:

Invenerunt me vigiles, num quem diligit anima mea vidistis? Tertio, in nullo quod a requisito aliud est sisteres; sed sine mora transiens ad aliud oculos projiceres, donec tandem quæsitum invenires, ut illa quæ inclinavit se, et videns in monumento dilecti sui etiam angelos, nec alloquitur ipsos, nec diu intuetur, sed respondens interrogantibus breviter ab ipsis se avertit; et sequitur: Et conversa Maria, vidit Jesum stantem. Cant. III: Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. — Idem D. Thomas explicans gradum tertium, in quo amor facit operari indesinenter, dicit sic, ex D. Gregorio: Nunquam est amor Dei otiosus. Operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est: nimirum probatio dilectionis exhibitio est operis. Beatus vir, inquit Propheta, qui timet Deum, in mandatis ejus cupit nimis, Psal. CXI. Si vult nimis qui timet, quantum volet in mandatis qui amat? Dilectio enim primogenita est filia gratiæ, et ideo prior et potior timore. Ego, inquit, mater pulchræ dilectionis, et deinde timoris. Timor ergo amorem sequitur, ut posterior dignitate priorem; et tamen qui timet, cupit nimis in mandatis opere implendis. Amor ergo amplius volet, et amplius faciet. Nec primus quidem gradus sine opere est penitus, sed valde dissimilis huic. Super hunc enim gradum anima proprie pedem ponit tripliciter, cum operatur magna, et reputat parva; operatur multa, et reputat pauca; operatur diu, et reputat breve, et videntur ei pauci dies præ amoris magnitudine. Bernardus: Labor meus vix est unius horæ; et si plus est, non sentio præ amore. Nec mirum si amor multa opera pauca reputet, cum in mandatis, etsi multa faciat, plura tamen cupiat, quoniam in mandatis ejus cupit nimis. Si punctus ad omnia haberet concupiscentiam ad quæ habet potentiam, non reputaret multas de se fluentes centum vel mille lineas, cum habeat potentiam ad infinitas. Cæterum amor violentior est quam potentior. Nec mirum si non reputet amor opus magnum: non amanti enim aliquid magnum est amanti nihil. Seneca: Cogitare præter animum principaliter nihil est mirabile, cui magno nihil est magnum; magnus autem est qui magnum amorem habet. Bernardus: Qui magnam habet charitatem magnus est, qui modicam modicus est, qui nullam nullus est. Augustinus: Nihil majus est animo habente charitatem, præter eum qui dedit charitatem. Nec

mirum si non reputet se amor diu servîsse, etiam multo elapso tempore, cum hoc appetat semper, et sine fine facere. Nam in comparatione ævi omne tempus est sicut ad lineam punctus. Ubi nunc sunt qui in hoc tertio gradu pedem ponunt, qui non in hoc tertio gradu deficient? Pauca tamen est charitas quæ opera sua numerat ut multa, parva quæ ponderat ut magna, vel difficilia; brevis amor qui mensurat ut longa: sed vos qui tertium gradum calcatis, cum omnia bene feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. Desidiam quippe, ut dicit Gregorius, facit in opere bono minor amor Dei, fraudem minus amor sui: sed etsi non sit desidia in operando, caveatur superbia in reputando.

22. Quærit D. Thomas, 2 2, q. 27, art. 5, utrum Deus possit totaliter amari; et respondet in corpore articuli quod cum dilectio intelligatur quasi medium inter amantem et amatum, cum quæritur an Deus possit totaliter diligi, tripliciter potest intelligi: uno modo, ut modus totalitatis referatur ad rem dilectam: et sic Deus est totaliter diligendus, quia totum quod ad Deum pertinet homo diligere debet. Alio modo potest intelligi ita quod totalitas referatur ad diligentem: et sic etiam Deus totaliter diligi debet, quia ex toto posse suo homo debet diligere Deum, secundum illud Deuter. VI: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Tertio modo potest intelligi secundum comparationem diligentis ad rem dilectam, ut scilicet modus diligentis adæquet modum rei dilectæ. Et hoc non potest esse. Cum enim unumquodque in tantum diligibile sit in quantum est bonum, Deus, cujus bonitas est infinita, est infinite diligibilis. Nulla autem creatura potest Deum infinite diligere, quia omnis virtus creaturæ sive naturalis, sive infusa, est finita.

ARTICULUS VI.

Quid sit ingredi divinam caliginem,
vel ascendere ad superessentialem divinarum tenebrarum radium.

23. Caligo divina, ex D. Thoma, in I, dist. 8, q. 1, art. 1 ad 4 et 5; et in III, dist. 35, q. 2, art. 2, quæstiunc. 2 in corp., est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur: lux enim

ejus summa est creatæ mentis caligo, propter immensum ejus excessum. Explicans D. Thomas illud D. Pauli I. ad Tim. VI: Lucem habitat inaccessibilem, dicit: Res quæ sunt actus quidam, sed non purus, lucentes sunt, sed non lux; sed divina essentia, quæ est actus purus, est ipsa lux. Joan. I: Non erat ille lux. Deus autem habitat apud se, et hæc lux est inaccessibilis, idest non visibilis oculo carnis: sed intelligibilis, et tamen nullus intellectus creatus potest ad eum accedere. — Notandum est tamen quod dupliciter potest intellectus accedere ad cognitionem naturæ alicujus, scilicet ut cognoscat et ut comprehendat. Ad comprehendendum autem Deum impossibile est intellectum pervenire, quia sic cognosceret Deum ut cognoscibilis est: Deus autem perfecte cognoscibilis est in quantum habet de entitate et luce: hæc autem sunt infinita; ergo est infinite cognoscibilis: virtus autem intellectus creati est finita. Sed alius modus est cognoscendi Deum, scilicet attingendo Deum. Et secundum hoc nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoscendum id quod est Deus. Accedamus ad eum cognoscendum, hic per gratiam, et in futuro per gloriam. — Sed qualiter Deus habitat lucem inaccessibilem? Et in Psal. XCVI: Nubes et caligo in circuitu ejus; et Exod. IX: Moyses accessit ad caliginem in qua erat Deus. Respondet Dionysius: Omnis caligo est inaccessibile lumen. Est ergo idem quod hic lumen et ibi caligo: sed caligo est in quantum non videtur, lumen vero in quantum videtur. Sed aliquid est invisibile dupliciter: uno modo propter se sicut opacum. Alio modo propter excedentiam ejus, sicut sol ab oculo noctuæ. Sic quædam sunt nobis non conspicua propter defectum sui esse, et quædam propter excedentiam ejus, et sic Deus nobis quodammodo inaccessibilis est. Hæc ille.

24. D. Thomas explicans illud Joan. I: Et tenebræ eam non comprehenderunt, dicit sic: Accipiamus tenebras naturalem defectum creatæ mentis; nam ita se habet mens ad lucem istam de qua hic loquitur Evangelium, sicut se habet aer ad lucem solis: quia licet aer capax sit lucis solis, tamen in se consideratus tenebra est, et secundum hoc sensus est " lux, „ idest vita illa quæ est lux hominum, " in tenebris lucet „ scilicet in animabus et mentibus creatis, irradiando semper omnes. " Sed tenebræ eam non comprehenderunt, „ idest in-

ducere non potuerunt. Illud enim dicitur comprehendi cujus fines concluduntur et conspiciuntur. Quia, sicut dicit Augustinus, attingere Deum mente magna beatitudo est, comprehendere vero impossibile est. " Tenebræ ergo eam non comprehenderunt. „ Job XXXII: Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Jerem. XXXII: Magnus consilio et incomprehensibilis cognitu. — Alio modo potest exponi accipiendo tenebras, secundum Augustinum, pro naturali insipientia hominum, quæ tenebra dicitur. Eccle. II: Vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Ex eo ergo aliquis insipiens est quod privatur lumine sapientiæ divinæ: sicut ergo mentes sapientium participatione istius divinæ lucis et sapientiæ lucidæ sunt, ita ejus privatione tenebræ sunt. Quod ergo quidam tenebrosi sint, non est ex defectu istius lucis: quia in quantum est de se, in tenebris lucet, et omnes irradiat; sed ideo insipientes privati sunt ea luce, quia " tenebræ eam non comprehenderunt, „ idest non apprehenderunt, ad ipsius participationem eorum insipientia pertingere non valentes, aut post elati non durantes. Job XXXVI: Immanibus, idest superbis, abscondit lucem, idest lumen sapientiæ, et annuntiat de eo amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Baruch III: Viam autem disciplinæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. Licet autem aliquæ mentes sint tenebrosæ, idest sapida et lucida sapientia privatæ, nulla tamen adeo tenebrosa est, quin aliquid lucis divinæ participet, quia quidquid veritatis a quocumque cognoscitur, totum est participatione istius lucis quæ in tenebris lucet. Hæc ille.

25. Explicans D. Thomas illud ad Hebr. XII, lect. 4: Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, dicit sic: Sicut enim illud quod in caligine est clare videri non potest, et lux excellens hebetat oculum, ita et facit ipsum caligare qui lucem habitat inaccessibilem. Idem Sanctus explicans illud Cant. II: En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, dicit sic: Paries mortalis nostra conditio appellatur, quæ quodammodo inter nos et Deum quasi crassus et caliginosus quidam paries constitutus, non permittit nos ejus contemplatione frui. Nam primus homo conditus est ut visione et alloquio Dei frueretur: sed postquam peccavit, ap-

positus est quidam paries, ipsa videlicet mortalitas qua prægravamur. Nam, ut Sapiens dicit, corpus quod corrumpitur aggravat animam, et premit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sponsum ergo suum, quem superius capreis et hinnulis cervorum comparavit, nunc dicit post suum parietem stare, quia Christus aliquando vicinus fit ei, cui se, quantum humana mens capit, contemplari permittit. Aliquando vero elongatur, et quasi caprea vel cervus quibusdam saltibus effugit. Quia ergo paries appositus erat inter nos et ipsum, nec videre illum poteramus, dignatus est in ipso pariete facere fenestras et cancellos per quos utcumque sentiri, utcumque perspici possit: unde et sequitur: " Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. „ Quasi enim fenestræ et cancelli in pariete fiunt, cum ipse sua gratia se contemplari permittit, licet ipse in speculo et ænigmate. Potest etiam hoc quod dicit, " ipse stat post parietem nostrum, „ et ad humanitatem ejus referri: quasi enim post parietem nostrum stetit, quia carnem nostram sibi opposuit, in qua divinitas ejus latuit. Quod vero sequitur: " respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, „ hoc ad divinitatem ejus refertur. Ille enim qui per fenestras vel per cancellos intuetur, cuncta quæ foris aguntur videt, et ipse a nemine videtur: ita Deus cum omnia videat, et omnia perscrutetur, ipse investigari et comprehendi non potest. Hæc ille.

26. Notitia ergo Dei, aut visio ejus in hoc gradu nubila est, quia magis videtur in eo quid Deus non sit quam quid sit. Lumenque illud intellectum afficiens non tam lumen divinum aperit quam abscondit: sed in illa absconsione esse prorsus ineffabile exprimit. Species etiam ad hanc notitiam concurrens inexplicabilis est, quia nec repræsentat bonitatem, nec sapientiam, nec potestatem, nec aliquid aliud: sed cum hoc omnia hæc perfectissimo modo repræsentat, quia dum omni essentiæ et perfectioni oculos claudit, quamdam perfectionem universa in infinitum excedentem in objecta obscuritate detegit. Ibi autem hac caliginosa cognitione contenta, quanto minus distincte videt, tanto vehementius brachia charitatis ad amorem dissolvit. Idque Richardus de S. Victore insinuat dicens: Sæpe sub hoc statu Dominus descendit de cœlis, sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini im-

plet tabernaculum Fœderis. Sic tamen præsentiam suam exhibet ut faciem suam minime ostendat. Dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit. Infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas itaque ejus sentitur, sed species ejus non cernitur. Adhuc nubes et caligo in circuitu ejus. Et si videt quidem, videt quasi in nocte, videt quasi sub nube.

27. Dionysius Richelius sic ait: Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis et intelligentiæ vertex Deo uniri tamquam omnino ignoto, in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoscere: non quod ab illius inspectione omnifarie vacet, præsertim cum ista sit altissima et profundissima Deitatis contemplatio, cognitio, visio, huic vitæ possibilis; sed quia in hac contemplatione, et sapientissima ac ferventissima unione cum Deo, mens acutissime ac limpidissime conspicit quam superincomprehensibilis, et supersplendidissimus, et superluminosissimus, et superpulcherrimus, et superamabilissimus, et supergaudiosissimus sit ipse Dominus Deus omnipotens et immensus, atque quam infinite et indicibiliter a plena illius cognitione et beatifica ejus fruitione visioneque faciali immediate et clare intuitiva distet, deficiat et occumbat. Ideo præ admiratione et amore deficit, et defluit a seipsa, et obdormit in Deo creatore suo.

ARTICULUS VII.

Quomodo intelligatur illud dictum mysticæ theologiæ: In contemplatione silentium et otium servare.

28. Hoc sacrum silentium et otium contemplationis aliqui intellexerunt pro suspensione intellectus, quasi nihil omnino tunc operetur, et attribuitur Joanni Taulerio (immerito), qui affirmat perfectissimam contemplationem illam, præsertim quæ raptum comitatur, esse absque omni actu utriusque potentiæ, tam ex parte intellectus quam voluntatis. Dicit enim Joannes Taulerius in Institutionibus, cap. XII: Spiritus præ lumine absque luce; præ cognitione absque cognitione, et præ amore absque amore efficitur; et neque intus, ait, neque foris quid-

quid operari permittitur. Eumque contemplationis sublimis actum mystici Doctores vocant quietem, silentium, etc., per quæ anima dicitur esse in fundo, monere mentem ut non agat quin a Deo patiatur percipiendo Dei loquelam. Sed tamen ipsemet Taulerius se explicat dicens: Non quod absque dilectione sit; sed in sua cognitione, ubi contemplationis oculum ad se reflectit, omnis ei essentia, vita, vires, cognitio sua, amorque suus nimis parva videntur ad summum Deum comprehendendum.

29. Sed magister orbis D. Thomas, et cum eo fere omnes Scholastici, fundatus in doctrina sanctorum Patrum, silentium et otium sanctum affirmat non esse absque operatione intellectus et voluntatis. Nam D. Dionysius (ut notat D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 6), cap. III, De divinis nominibus, ait: Nos ipsos ad celsiorem divinorum clarissimorumque radiorum contuitum orationibus imprimis comparamus. Variosque ponit Sanctus motus animæ contemplantis, dividendo in rectos, obliquos, circulares. Et contemplatio ex S. Joanne Damasceno est ascensio mentis in Deum; mens autem non ascendit nisi per suum motum et operationem. Animæ contemplativorum in ipsa contemplatione cum Deo loquuntur, et a Deo etiam audiunt; loquutio autem et auditio non possunt fieri sine actu. — Nec valet quod aliqui mystici respondent, actus istos in anima præcedere Dei loquutionem, et manere interim (ex dulcedine a Deo immissa, et relicta ex præcedentibus actibus) suspensam, donec dilectus loquatur, remanente anima in quodam silentio. Non, inquam, hoc valet, quia quod interim relinquitur in illa suspensione vel est actus primus, sive sit habitus, sive lumen, aut aliquid simile; vel est actus secundus: si esset actus primus, sequeretur quod contemplatio esset diuturna, et duraret per totam vitam; si actus secundus, non potest intelligi, nisi quod sit actus intellectus vel voluntatis, et illa dulcedo relicta non pertinet ad contemplationem formaliter, et non tendit in Deum, sed in quoddam sensibile, vel intelligibile sub ratione sensibilis, quod potest sensum demulcere, et non meretur talis dulcedo nomen contemplationis, sed vel antecedenter vel consequenter dimanat ab illa, secundum quod superiores vires redundant in inferiores.

30. Probatur etiam sententia D. Thomæ, quia ex tali suspen-

sione et cessatione actuum intellectus et voluntatis, anima omnino otiosa est, et ex tali otio, vel quiete, vel silentio, nulla utilitas resultat in anima contemplantis: actibus enim charitas augetur non per habitus, vel per cessationem ab actibus charitatis; similiter devotio et fervor nonnisi actibus intellectus et voluntatis accrescunt, tum quia suspendere actum ab objecto quo fruitur anima contemplantis, non potest fieri nisi transferendo se in aliud objectum quod sit amabilius et intelligibilius, vel quod fastidium et tædium habeat cum conversatione Dei: et dum sumus in via, nunquam vacat anima ab omni actu, sed ex uno in alium transit; tum etiam quia potius cessatio ista ab omni actu vocari deberet casus a contemplatione potius quam contemplatio, ubi nec anima cum Deo negotiatur, et finem contemplationis talis anima non obtinet, nec interno cultui deservire potest, et potius dicenda esset somnolentia animæ. Removenda ergo est penitus hæc doctrina; nam periculosum est ut sub illa non se immisceat angelus Satanæ se transfigurans in angelum lucis.

31. Quando mystici theologi docent in contemplatione eximia dari otium et silentium, ita sunt intelligendi: non habere locum actum intellectus quantum ad multiplicitatem, operositatem, tædium, etc.; et similiter et actus voluntatis non esse cum amaritudine, conatu in resistendo. Quies vero et silentium non important cessationem ab actu, sed cessationem et pausam a tumultibus, a phantasmatibus perturbativis; Deoque anima simplici actu conjungitur quantum ad intellectum et inhæsivo amore soli Deo, et nulli creaturæ innititur. D. Thomas in I, dist. 1, q. 4, art. 1 ad 5, dicit quod est duplex quies, scilicet quies desiderii et quies motus. Quies desiderii est quando desiderium sistit in aliquo propter quod omnia facit et quærit, et non desiderat aliquid ulterius: et hoc modo voluntas justi quiescit in via in Deo. Quies autem motus est quando pervenitur ad terminum quæsitum, et ista quies voluntatis erit in patria. Hæc autem quies facit perfectam fruitionem, sed prima imperfectam. D. Thomas explicans illud ad Hebr. IV: Ingrediemur enim in requiem, dicit sic: Est autem duplex requies: una in bonis exterioribus, et ad istam egreditur homo a requie mentis. Alia est in bonis spiritualibus, quæ est intima, et ad istam ingreditur. Matth. XXV: Intra in gaudium

Domini tui. Cant. I: Introduxit me rex in cellaria sua. Divus Thomas Quodl. IV, art. 23 ad 16, dicit quod amplexus Rachelis significat quietem contemplationis, ad quam etiam consilia sequentes non statim a principio pervenire possunt, sed post longum exercitium bonorum operum: facilius autem ad prædictam quietem pervenitur per observantiam consiliorum, quam per exercitium mandatorum in vita sæculari. De ista quiete loquitur Sanctus, quæ est cum operatione intellectus et voluntatis, abstracta tamen a tumultibus et a phantasmatibus. Loquens Bernardus de amore Dei, cap. IV, ait: Hæc est perfectio, hoc est gaudium Domini, hoc est silentium in cœlo. Et in alio loco, loquens de otio spirituali, dicit sic: Otium spirituale non otium, sed negotium. Nec intus operari quidquam permittit, dicit Taulerius: ab ordinario scilicet amore, quem in eo statu perfici ibidem docuit, potius quam abstulit. Patiuntur autem a Deo tales animæ non ut ipsæ non agant, sed cum Deo agant. Unde idem Taulerius dulcem et ineffabilem passionem fieri dicit: nam ea non fit sine operatione vitæ; quia tamen propter Spiritus sancti impulsum mens movetur in receptione talis impulsus, licet passive se habeat illo veluti informata et constituta in actu primo, mens exit ad operandum; et hoc idem dicendum est de voluntate. Nec favet contrariæ sententiæ auctoritas D. Dionysii, I De mystica theologia, ubi monet mentis actiones prætermittendas in contemplatione, et ea omnia quæ sub sensum cadunt. Et cap. VII dicit: Conjunctionem intimam cum Deo acquiri, abducta mente a rebus omnibus. Et alibi laudatur Hierotheus quod potius erat divina patiens quam agens. Loquitur enim Dionysius de actionibus mentis, quæ extra Deum morantur, et quæ contemplationem perturbant, et sunt impedimenta.

ARTICULUS VIII.

Quomodo sunt intelligendi mystici Doctores quando dicunt, quod anima in statu intimæ unionis annihilatur et liquefit.

32. Aliter disputant Doctores scholastici de annihilatione, aliter mystici theologi. Nam Scholastici loquuntur de annihilatione sicut de totali desitione rei: nam sicut omnis natura

creata est capax existendi per beneficium Creatoris et liberam voluntatem Dei, juxta illud Sap. XI: Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset conservaretur? ita est capax desinendi esse, si Deus velit suspendere concursum. Non hoc modo loquuntur mystici de annihilatione, sed in hoc sensu quod tunc anima annihilatur quando seipsam despicit, sic sui obliviscitur et omnium rerum creatarum, ut nullam earum memoriam, affectum et cogitationem apud se retineat, solo contenta Deo cui se totaliter tradidit. D. Thomas explicans illud Psal. X: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, dicit sic: Anima nostra duas habet facies: unam versus Deum, secundum rationem; aliam versus carnem, secundum naturam sensitivam, quæ tantum temporalia comprehendit. Et sicut quælibet res diligit proprium bonum, ita homo diligit illud quod æstimat animam suam. Peccatores æstimant animam suam quod principaliter intendunt, quia quælibet res est illud quod est principium in ea, sicut rex dicitur regnum. Qui ergo naturam sensitivam habent principale, diligunt eam; qui autem intellectivam, eamdem amant. Nullus ergo odit animam quantum ad id quod æstimat principale. Animæ in statu unionis odiunt et despiciunt animam quantum ad naturam sensitivam. Qui vult venire post me, ait æterna Veritas, Matth. XVI, abneget semetipsum. D. Thomas: Pro nihilo te reputes, mortifica sensus tuos tam internos quam externos, impera appetitibus tuis, cohibe judicium et voluntatem tuam, nihil sit in te quod non mortificatio comprimat, et non castiget abnegationis censura.

33. Tunc vere animæ annihilantur, quando amant despicientias et vituperationes ad imitationem Redemptoris, qui aquam contemptuum et injuriarum pro nobis potavit. Thren. III: Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. D. Thomas sic explicat hunc locum: "Ponet in pulvere os suum, „ humiliter loquens; Is. XXIX: De humo audietur eloquium tuum. " Dabit percutienti se maxillam, „ parabitur dare; Matth. V: Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei alteram. " Saturabitur opprobriis. „ Delectabitur quasi per hoc veniam sperans; Rom. V: Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus nostris; Isa. LIX: Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus.

Magister noster Christus despici atque contemni (*desideravit*), et hoc desiderium ostendit cum non sine triumpho et lætitiæ signis civitatem, in qua passurus erat, intravit; ostendit ex illis verbis: Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur. Baptismum appellat mortem, cruciatus, alapas, sputa, contumelias, contemptus, injurias, quia hæc omnia adversa et horribilia illi præ amoris magnitudine instar balnei erant in quo ad fomentum mergeretur. Si ille angebatur ut pro nobis ludibria sustineret, ita animæ in statu unionis desiderant contemptus et opprobria, et despiciunt omnia terrena et temporalia: et hoc est annihilari.

34. Tunc anima annihilatur, quando seipsam despicit per humilitatem, ad imitationem Christi Domini, qui, ut ait divus Paulus, ad Philipp. II, semetipsum exinanivit, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis. D. Thomas explicans hunc locum, dicit: Pulchre autem dicit " exinanivit. „ Inane enim opponitur pleno. Natura autem divina satis plena est, quia ibi est omnis bonitatis perfectio. Exod. XXXIII: Ostendam tibi omne bonum. Natura autem humana et anima non est plena, sed in potentia ad plenitudinem, quia est facta tamquam tabula rasa. Est ergo natura humana inanis. Dicit ergo " exinanivit, „ quia naturam humanam assumpsit. Tangit ergo primo naturæ humanæ assumptionem, dicens: " formam servi accipiens. „ Homo enim ex sua creatione est servus Dei, et natura humana est forma servi; Psal. XCIX: Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; Isaiæ XLII: Ecce servus meus; Psal. III: Tu autem, Domine, susceptor meus es. Cur dicit convenientius formam servi quam servum? Quia servus est nomen hypostasis, vel suppositi, quod non est assumptum, sed natura: quod enim suscipitur distinguitur a suscipiente. Non ergo Filius Dei assumpsit hominem, quia daretur intelligi quod homo esset aliud a Filio Dei, cum tamen Filius Dei factus sit homo. " Humiliavit semetipsum.„ Commendat humilitatem Christi, quoad mysterium passionis ejus. Et primo ostendit humilitatem Christi; secundo, modum: " factus obediens. „ Est ergo homo, sed valde magnus, quia idem est Deus et homo, et tamen humiliavit se. Eccli. III: Quanto major es, humilia te in omnibus; Matth. XI: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Modus humiliationis et signum humilitatis est obedientia, quia proprium superbo-

rum est sequi propriam voluntatem, quia superbus quærit altitudinem : ad rem autem altam pertinet quod non reguletur alio, sed ipsa alia regulet; et ideo obedientia contrariatur superbiæ. Unde volens ostendere perfectionem humilitatis et passionis Christi, dicit quod factus est obediens, quia si fuisset passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis : quia obedientia dat meritum passionibus nostris. Sed quomodo factus est obediens? Non voluntate divina, quia ipsa est regula; sed voluntate humana, quæ regulata est in omnibus secundum voluntatem paternam. Matth. XXVI : Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et convenienter introducit in passione obedientiam, quia prima prævaricatio est facta per inobedientiam. Ad Rom. VIII : Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per obedientiam unius hominis justi constituuntur multi. Prov. I : Vir obediens loquetur victorias. Sed quod magna et commendabilis sit hæc obedientia, patet quia tunc est obedientia magna, quando sequitur imperium alterius contra motum proprium : motus autem voluntatis humanæ ad duo tendit, ad vitam et ad honorem. Sed Christus non recusat mortem. I. Petr. III : Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Item, non fugit ignominiam. Unde dicit : Mortem autem crucis, quæ est ignominiosissima. Sap. II : Morte turpissima condemnemus eum. Hæc ille.

35. Tunc anima annihilatur quando patitur dejectionem, et quando sui obliviscitur, et omnium rerum creatarum. Primum probatur ex D. Thoma explicante illud D. Pauli, ad Philipp. IV, lect. 2 : Scio humiliari. Dicit sic : Humilitas quandoque dicit virtutem quamdam, Luc. XIV et XVIII : Qui se humiliat, exaltabitur; quandoque dejectionem, Psal. CIV : Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Et sic loquitur hic : Scio humiliari, idest abjectionem sustinere moderate, sicut oportet. Secundum probatur ex D. Thoma explicante illud Psal. XLIV : Et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Loquitur, ait, cum anima sancta : Si oblivisceris populum tuum et domum patris tui, ex hoc acquires decorem spiritualem. Psal. XXV : Domine, dilexi decorem domus tuæ. Et hic decor concupiscitur a sponso spirituali; propterea dicit : " Et concupiscet rex decorem tuum. " Et hic decor est pulchritudo justitiæ. Jerem. XXXI : Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ. Concupiscet, idest delecta-

bitur in eo. Isaiæ LXII: Quia complacuit Dominus in te. Et hoc est desiderandum, quia ipse rex est magnus in potestate, in natura, in honore. Primum habet quia rex: ideo est Dominus; Psal. XCIX: Scitote quoniam ipse est Dominus. Secundum, quia ipse est Deus; Psalm. XCV: Quoniam Deus magnus Dominus. Tertium, quia adorabunt eum; Psalm. LXXXV: Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.

36. Anima in statu intimæ unionis liquefit. D. Thomas loquens de liquefactione, 1 2, q. 28, art. 5 ad 2, dicit: Liquefactio importat quamdam mollificationem cordis, quia opponitur congelationi: ea enim quæ sunt congelata in se ipsis constricta sunt, et non possunt de facili subintrationem alterius pati. Ad amorem autem pertinet quod appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante. Unde cordis congelatio vel duritia est dispositio repugnans amori: sed liquefactio importat quamdam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile ut amatum in ipsum subintret. Et divus Thomas in III, dist. 27, q. 1, art. 1 ad 4, loquens de amore, dicit: Quia vero nihil a se recedit, nisi soluto eo quod intra seipsum continebatur; sicut res naturalis non amittit formam, nisi solutis dispositionibus quibus forma in materia retinebatur: ideo oportet quod ab amante terminatio illa quæ infra terminos suos tantum continebatur, amoveatur. Et propter hoc amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum suis terminis non continetur. Anima in statu intimæ unionis liquefit, ut sponsus in ipsam ingrediatur, et veluti terminis non contineatur. D. Thomas exponens illud Cant. v: Anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est, dicit sic: Quanto, inquit, vicinius adventum sponsi mei persensi ad tactum secretæ inspirationis, tanto magis quidquid in me erat frigidum incaluit, ita ut nihil mihi libeat jam nisi lacrymis resolvi. Loquitur enim sponsus interna sui inspiratione, cum Christus sanctam animam inspirat, eique cœleste desiderium suggerit. Et ideo eo loquente liquefit, quia quo magis cœlestibus afflatur desideriis, eo amplius terrenis emoritur, et quasi insensibilis mundo efficitur, solumque desiderio cœlesti vivit. Et D. Bernardus explicans eamdem auctoritatem, Lib. de diligendo Deo, sic ait: Quomodo stilla aquæ multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum et saporem vini inducit et colorem; et quomodo ferrum igneum et candens

igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quam lumen ipsum esse videatur: sic omnem in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem; alioquin quomodo omnia in omnibus erit, si in homine de homine quidquam supererit? Hæc igitur animæ liquefactio fit per omnimodam ejus conformitatem ad voluntatem Dei, per hoc quod ejus voluntas penitus transformatur in voluntatem Dei.

37. D. Thomas explicans illud Psal. XXI: Factum est cor meum tamquam cera liquescens, dicit sic: Quærit Augustinus quomodo de Christo capite verum sit; quia hoc videtur provenire ex superabundanti timore, quod non est dicendum de Christo: quia etsi fuerit in eo timor naturalis, non tamen fuit tantus quod liquesceret cor. Et ita intelligitur de Christo non secundum se, sed quantum ad membra quæ sunt cor Christi, quæ et præcipue diligit. Ad Philipp. I: Eo quod vos habeam in corde. Et sequitur: Testis mihi Deus quomodo cupiam vos esse in visceribus Jesu Christi. Hi fuerunt Apostoli, qui fuerunt ossa ad sustentandum infirmos in Ecclesia, sicut ossa sustentant carnes. Rom. IX: Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere. Et fuerunt corda eorum sicut cera liquescens. Primo, mala liquefactione per timorem, sicut in fuga discipulorum, Matth. XXVIII: Tunc, relicto eo, omnes fugerunt; et in negatione Petri, Lucæ XXII: At ille negavit, dicens: O homo, nescio quid dicis. Secundo, bona liquefactione, sicut in conversione discipulorum, ut patet in Petro et Andrea. Vel dicendum, quod liquefactio etiam est amoris. Cant. V: Anima mea liquefacta est. Res, antequam liquefiat, dura est et constricta in se; si liquescit, diffunditur et tendit a se in aliud. Timor etiam quandoque indurat, quando scilicet non est magnus: et sic est etiam de amore; quando supervenit amor, tunc homo tendit in aliud quod antea in se erat. Et de hac liquefactione potest exponi etiam de Christo, secundum quod est caput. Nam hoc liquefieri et est a Spiritu sancto; et est in medio ventris, idest affectus. Vel per cor Christi intelligitur sacra Scriptura, quæ manifestat cor Christi. Hoc autem erat clausum ante passionem, quia obscura: sed aperta est post

passionem, quia eam jam intelligentes considerant, et discernunt quomodo prophetiæ sint exponendæ.

38. Liquefactio nihil est quam alicujus duri aut solidi occasione caloris, vel adjunctione humoris dissolutio. Liquescunt justi quando calor divinæ charitatis ipsos percutit, et quando radius solaris seu divinæ inspirationis ipsos penetrat et perfundit. Est liquefactio contritionis, quæ scilicet sicut nubes liquefacta emittit lacrymas. Psal. XXI: Factum est cor meum sicut cera liquescens in medio ventris mei. Et alibi: Emittet verbum suum et liquefaciet ea, scilicet corda, pœnitentia et contritione. Flavit spiritus ejus et fluent aquæ. Est liquefactio devotionis. Metallum enim durum quandoque virtute ignis liquescit, ita quod secundum voluntatem suam artifex in varias formas et imagines ipsum vertit. Sic vere quandoque fit quod justus per devotionem taliter liquescit quod omnem duritiam indevotionis et obstinationis dimittit, et in diversas virtutum imagines spiritus artifex ipsum flectit. Exod. XVI: Cum incaluisset sol, liquefiebat manna. Est liquefactio compassionis. Nam sicut rosa posita in alembico liquescit et resolvitur in fumum, qui tandem in aquam medicinalem hominibus distillatur: sic homo ardore miseriarum alienarum compunctus, per compassionem resolvitur, et in aquam refrigerativam et lenitivam beneficiorum mutatur, inquantum aliis benefacit et subvenit, vel saltem piæ compassionis lacrymis irrigat.

ARTICULUS IX.

Quomodo sunt intelligendæ istæ phrases mysticæ theologiæ: In statu intimæ unionis Deus osculatur et amplectitur animam; et sponsalitia et matrimonium spirituale init cum anima.

39. Certum est quod mystici theologi loquuntur de osculo sancto. De quo loquitur D. Thomas ad Rom. XVI, lect. 1; et II. Cor. XIII, lect. 3; et I. Thessal. cap. V, lect. 2; et Cant. I. Osculum sanctum est quod in signum sanctæ Trinitatis datur. Et osculum est signum pacis: nam per os, in quo datur osculum, homo respirat; et ideo, quando homines dant sibi mutuo

oscula, signum est quod uniunt spiritum suum ad pacem. Est pax sancta quam fecit Deus. Ad Philipp. ult.: Et pax Dei quæ exsuperat, omnem sensum. Et hæc fit per osculum sanctum, quia unit spiritum ad sanctitatem. Et ex hoc inolevit consuetudo quod fideles et sancti viri in signum charitatis et unionis se invicem osculantur. Et datur pax in ecclesiis in osculo sancto. Et sic per osculum significatur summa quædam suavitas animæ a Deo infusa in divini Spiritus communicatione. Et ideo Cant. I dicitur: Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino. Per ubera Christi, inquit D. Thomas, dulcedo intelligitur, qua veluti lacte anima nutritur. Vinum autem austeritatem legis significat. Sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Legis gratiæ melior est austeritate Legis mosaicæ. Fragrantia unguentis optimis. Unguenta dona sunt Spiritus sancti, vel etiam operationes virtutum; de quibus Apost. II. Cor. XV: Christi bonus odor sumus Deo. Cant. II: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Per lævam a D. Thoma præsentis temporis prosperitas, vel etiam dona Dei intelliguntur, quæ sanctis in præsenti conferuntur. Per dexteram vero beatitudo cœlestis patriæ accipitur. Læva Dei sunt pignora Spiritus sancti, et Scripturarum divinarum intellectus, et cætera dona ac charismata quibus sancta Ecclesia in præsenti consolatur. Caput principale mentis accipitur. Læva ergo sponsi sub capite sponsæ est, quia hæc omnia dona ad hoc percipit Ecclesia vel anima fidelis, ut per hæc discat suspirare æterna. Dextera vero sponsi eam amplexatur, quia tota intentio Ecclesiæ vel animæ fidelis hæc est ut ad æternam beatitudinem quandoque perveniat, et spe sui Conditoris gaudeat. Et bene prius læva sub capite, post Sponsi dextera eam amplectitur, quia nemo ad amplexus æternæ beatitudinis poterit pervenire, nisi hic mysteriorum cœlestium et donorum divinorum studuerit esse particeps. Hæc ille.

40. Deum inire sponsalitia et matrimonium cum anima sancta passim reperitur in D. Thoma, in Expositione Cant. in princ. cap. I; et in cap. IV: Veni de Libano, soror mea sponsa. Similiter: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Favus distillans labia tua, sponsa. Hortus conclusus soror mea sponsa. Cant. V: Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Et super Psal. XLIV, super ista

verba: Speciosus forma præ filiis hominum; et: Audi, filia. Et super cap. XXII Matth. et XXV. Et in IV, dist. 17, q. 1, a. 2, q. 2 ad 3. Et dist. 37, q. 1, art. 5. Et dist. 39; et II. Cor. XI, lect. 1. De matrimonio spirituali loquitur D. Thomas in IV, dist. 49, q. 4, art. 1 ad 1, et in aliis locis. Et in præsenti non immoramur in disputando utrum Deus ineat sponsalitia et matrimonium spirituale cum anima sancta, quia de isto puncto disputabitur ad longum Qu. IV, de unione, quia res difficilis est et obscura, et veluti principale punctum theologiæ mysticæ. Et quia ista omnia fiunt media unione, multa modo dicenda sunt de unione, quamvis ad longum in quæst. ultima.—Sanctus Doctor 1 p., qu. 8, art. 3: Deus communi unione unitur creaturis quæ ex ejus immensitate procedunt, secundum quam in omnibus est per essentiam, præsentiam et potentiam. Præter istum, novum et singularem modum habet existendi in anima, quem explicavit Dominus, Joan. XIV: Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Quod explicans S. Thomas, 1 p., q. 43, art. 3 (*ait*) non tantum fieri per immissa dona, sed etiam manente in anima justorum ipso auctore donorum, sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Ubi duplex unio insinuatur in anima justi, una per intellectum, altera per affectum seu voluntatem. Et specialius adhuc in anima contemplativi utraque unio inspicitur, propter quod D. Thomas 2 2, q. 175, art. 2, ipsam contemplationem in raptu positam dixit formaliter pertinere ad intellectum, causaliter ad affectivam partem: quod de aliis speciebus vel modis intellectualis cognitionis dicendum est; et de utraque explicandum est quid et qualis sit ista unio.

41. Loquendo ergo de unione intellectuali, supponitur commune philosophorum proloquium, magis unum fieri ex intellectu et re intellecta, quam ex materia et forma. In rebus corporalibus non potest subtiliter eorum esse ingredi intellectum, sed ipsius loco transmittitur vicaria species, ut lapidis, ignis, etc. In rebus spiritualibus, quia nullum est intermedium impediens, spiritus spiritui jungi potest. Unde scriptum est, I. Cor. VI: Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo; absque medio vel specie, ut est intellectio beatorum in patria: ubi etsi beatus non sit Deus realiter, nec enim spiritus in spiritum transit, fit (ut loquitur Cajetanus) Deus intelligibiliter. Quod si tantæ

perfectionis sit res intellecta cum intellectu, ut utriusque rei intellectæ et intelligentis substantia uniatur, ex tali intellectione intelligentis et ejus quod dicitur vel intelligitur, fit ejusdem naturæ communicatio; et est singularissimum in sanctissima Trinitate, ubi Pater per intellectionem eamdem numero naturam communicat Filio, etc., et hac unione major excogitari non potest. In hac vero vita, cum detur homini divinam naturam intelligere, quod maxime per contemplativos efficitur, unio datur viæ hujus proportionata, ut cum Deo per contemplationem unus spiritus efficiatur.

42. Sciendum ergo est ex S. Thoma II sent., dist. 23, q. 2, a. 1, tripliciter a nobis aliquid intelligi, vel cognosci posse: primo modo, per suam essentiam; secundo modo, per aliquem effectum influentem in intellectum cognoscentis; tertio modo, per effectum aliquem extra intellectum videntis, in quo divina similitudo resultat. Exemplum est in visione corporali: primo modo videtur lux oculum informans sine similitudine relicta in oculo; secundo modo, per speciem relictam in oculo videtur lapis; tertio modo, ex similitudine repræsentata in speculo, et in oculum diffluente, videtur lapis. Etiam eodem modo in visione seu cognitione intellectuali contingit. Primo enim modo Deus videt et cognoscit suam essentiam sibi intime præsentem; secundo Angelus ex sua natura, quæ est similitudo divinæ naturæ, cognoscit Deum naturaliter; tertio modo cognoscitur Deus per effectum naturalem, sicut cognoverunt philosophi; vel spiritualem, ut patet in fide nostra, qua adhæremus his quibus divina revelatio facta est, per quam dicimur videre in speculo. Ad primum modum cognitionis, qui est Deo naturalis, elevatur homo et angelus per gloriam. Ad secundum modum angelo naturalem, supra tamen ipsam naturam hominis, elevatur homo per gratiam: ita elevatus est Adam in statu innocentiæ, et post eum viri illi contemplativi, qui revelationes meruerunt accipere. Tertius modus communis est viatorum, etiam post culpam. Et eamdem doctrinam lege in QQ. de verit., q. 18, art. 1 ad 1. Prima harum visionum est perfectissima, tertia imperfectissima, secunda media inter utramque. Prima enim visio unico indiget medio, lumine scilicet gloriæ; tertia triplici medio creaturæ, per quam attendit ad Deum ex aliqua similitudine Dei accepta ex creatura, et est velut medium quo, sive illud naturale sit,

sive gratuitum, quo ad Deum dirigitur; media vero cognitio fuit in statu innocentiæ duplici tantum indigens medio, Dei scilicet similitudine, et lumine elevante, seu dirigente. Cum ergo cognoscimus Deum in hac vita, sive per cognitionem naturalem, sive gratuitam, fit unio quædam intelligentis cum re intellecta, infra unionem beatificam et supra cognitionem naturalem, et cognitione per fidem lumine prophetico illustrante intellectum contemplativi.

43. Excedebat vero visio ista secundum quam elevatus est Adam in statu innocentiæ, et elevantur contemplativi secundum modum intelligendi nostrum naturalem: nam in divinam cognitionem (loquendo de naturali cognitione) devenimus per creaturarum cognitionem ex sensibilibus effectibus; at primus homo in statu innocentiæ in effectibus intelligibilibus, vel per effectus intelligibiles, quos vocant species impressas et a Deo infusas, Deum intelligebat; quare nos a plena et lucida contemplatione intelligibilium impedimur, quia distrahimur a sensibilibus et circa ea occupamur: id autem non contingebat in eo statu, ex illius perfectione, ut docet D. Thomas 1 p. q. 94, art. 1. In cognitione vero supernaturali, tam in eo statu quam nostro, opus est illustratione divina fidei et prophetico lumine, vel novas species infundente, vel præacceptas ordinante. Quocumque istorum modorum fit unio intellectus cum re intellecta, sive naturalis cum ex sensibilibus effectibus divinam naturam cognoscimus sive supernaturalis per species infusas, vel cum eadem re intellecta unitur intellectus per fidem, vel per donum gratuitum prophetici luminis causantis species impressas, vel species exceptas a sensibus ordinantis.

44. Convenientia quoque rursus est inter modum intelligendi Adam et contemplativorum, quod utraque visio vel intellectio, sive in illo statu, sive modo cum ad divina cognoscenda elevamur, mediant vel intercedunt phantasmata, si non quantum ad acceptationem formarum intelligibilium, cum a Deo infundantur, saltem quoad usum. — Rursus convenientia est, quod quando ex effectibus sensibilibus procedimus ad cognitionem veritatis, syllogismis et discursu opus est, et tempore: at ubi intervenit irradiatio divina (ut cum per species inditas multa accepit Adam ex propria veritate, et acceperunt prophetæ et contemplativi), nullus discursus intervenit, et illa

infusio tempore non potest mensurari, nec ullum discursum involvit. De Adam clare id habetur p. p., qu. 94, art. 1; de contemplativis docet D. Thomas 2 2, q. 18, art. 6, ex doctrina S. Dionysii, De divinis nominibus, ubi tres modos contemplationis assignat. Unus est, per quem una difformitas removetur antequam ad uniformitatem cum Deo perveniat, et fit per hoc quod a rebus exterioribus aggregatur anima ad seipsam: id quod vocant mystici introversionem. Alter modus per quem removetur altera difformitas, quæ est per discursum rationis, quatenus omnes operationes animæ reducuntur ad contemplationem cujuscumque intelligibilis veritatis, uno videlicet intuitu, sicut intelligimus prima principia: in qua cognitione nullus error potest contingere. Tertius vero modus est quando per conformitatem unitis virtutibus, seu per conformitatem conformem angelis, prætermissis rebus omnibus, in sola Dei contemplatione quiescimus. Hæc ex S. Thoma.

45. Ex qua doctrina de his contemplationis modis exponitur famosum dictum mysticorum, scilicet animam, ut perfecta hæc sit unio, denudandam a phantasmatibus: non ut sine phantasia intelligat, id enim nec Adæ fuit concessum, sed ut removeatur difformitas a sensibilibus, et exterioribus, et ab ipso discursu rationis, ut sistamus in contemplatione primæ veritatis: et in hoc sensu idem S. Doctor, 2 2, q. 6, art. 7, asseruit necessariam esse munditiam cordis, ut anima sit depurata a phantasmatibus et erroribus; ut ea quæ de Deo dicuntur non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum hæreticas perversitates, ut accidere solet simplicibus contemplativis, qui, ut dicitur 2 2, q. 188, art. 5, Scripturas ignorant. Unde abbas Serapion incidit in hæresim Anthropomorphitarum (ut dicitur in Collat. PP.), eorum (*scil.*) qui Deum formam humanam habere putabant. Pro hac denudatione phantasmatum, ad sensum explicatum a D. Thoma 2 2, q. 8, art. 7, datur donum intellectus correspondens illi beatitudini: Beati mundo corde, ut si non videamus de Deo quid est, videamus tamen quid non est; et tanto in hac vita perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehendi potest; et hæc depuratio ab erroribus et corporalibus phantasmatibus, quæ inducunt hæreticas perversitates, causatur per donum intellectus quod hanc munditiam causat: nam mun-

ditia cordis, ut est depuratio ejusdem ab inordinatis affectibus, ad appetitivam partem pertinet, et fit per virtutes et dona.

46. Hunc gradum conscenderat Apostolus, qui dixit: Nos autem revelata facie; idest, ut explicat D. Thomas, remotis omnibus impuritatibus faciem intelligentiæ velantibus, gloriam, idest claritatem, Dei speculantes, in eamdem transformamur imaginem, idest in eam quam imaginamur et speculamur: abstractus enim homo a seipso absorbetur in Deum, non quod humanus spiritus in divinum transeat, sed utriusque natura integra permanente fiat quam maxima unio intelligibilis, non quidem ut fit in patria, nec per cognitionem naturalem, sed supernaturalem per fidem, quæ est in omnibus fidelibus, et per propheticam contemplationem, qua Deus videtur, non quidem, ut notavit Harpius, lib. III, cap. XXI, in sua essentia; sed, ut loquitur, in quadam pariformi divina imagine nostræ cogitationi incomprehensibili modo præsentata: quod est dicere, per inditas intelligibiles similitudines, vel de novo abstractas a phantasmatibus ex adjutorio divini luminis, quod declarat angelicus Doctor loco citato. Quando ergo per contemplationis altitudinem Deum intelligimus, intellectus humanus, non quidem absque medio, quod fit in patria, unitur Deo qui est res intellecta; sed mediantibus intelligibilibus effectibus ex prophetico dono, vel intellectus dono simplificante intellectum, illumque clarificante, ut in Deum tamquam in suam requiem se conjungat et quiescat. Ob quos effectus hæc diversis nominibus a DD. mysticis appellata est. Nam a quibusdam vocatur clarificatum medium inter nos et Deum, Harpius, lib. III, p. IV; claritas immensa, a Rusbrochio, De ordinat. spirit. nupt., lib. II, cap. IV; mansio Dei in centro animæ, a S. Teresia in libro Mansionum VII, cap. II. Et ex hoc destruitur error illorum spiritualium dogmatizantium cum Deo se esse absque medio in hac vita unitos. — Ex dictis colligitur descriptio hujus unionis intellectus. Videlicet unio per intellectum est Primæ et simplicis veritatis contemplatio, per intelligibiles effectus: inditas scilicet vel infusas species ex irradiatione divina; vel dispositas de novo ex præcedentibus phantasmatibus ex adjutorio divini luminis, vel ex dono intellectus. Addita est in descriptione particula: vel ex dono intellectus; namque quantum attinet ad justos, mens hominis ducitur præter contemplatio-

nem divinorum, ut adhæreat fini ultimo tamquam optimo, rectam habens de illo existimationem; quantum vero attinet ad injustos est qualiscumque in illis illustratio intellectualis, quæ non habet perfecti doni rationem, cum desit existimatio recta de ultimo fine. Etiam ipsum donum intellectus non solum se habet ad considerandum speculative quæ ad fidem pertinent, ipsaque intelligibilia secundum quod in se sunt, sed etiam prout sunt regulæ humanorum actuum in ordine ad ultimum finem. Ita D. Thomas, 2 2, q. 8, art. 3 et 5 ad 1 et 2. Quomodocumque autem contingat illustratio, assurgit mens humana, ut intelligibilia æterna contempletur, unde illis intelligibilibus intelligibiliter uniri dicendum est.

47. Loquendo vero de unione quantum ad affectum, communis est omnibus habentibus gratiam ista unio affectiva, secundum quam dicitur: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Ex Dei certe dono oritur supernaturalis lux in mente, ex qua cognoscimus ea quæ revelata sunt, et lumine naturali cognosci nequeunt, et Deum, ut est in se, lumine tamen obscuro, intelligimus, ita ut participemus Dei intellectualitatem, qua ut seipsum perfecte intelligit, ita eumdem (licet imperfecte) cognoscamus; et præter hanc cognitionem oritur etiam vis voluntatem reformans, ut in virtutibus divinis ei simus assimiles, unde etiam dictum est: Estote perfecti, sicut Pater vester qui est in cœlis perfectus est. Primum competit etiam fidelibus illis qui sunt extra gratiam. Secundum, solis justis, qui per gratiam secundum affectum habitualiter, vel actualiter Deo inhærent. Magna est unio sponsi cum sponsa, in qua duo sunt in carne una: at in affectiva qui adhæret Deo unus spiritus cum illo efficitur. Grandis est unio filii cum patre, in qua decisa substantia patris in eo est: multo major spiritualis unio, quamvis per adoptionem, in habentibus gratiam; ex qua ad patrem spirituum clamamus: Abba pater. Mirabilis unio est in hac vita per intellectionem: at major est unio per affectum, nam per intellectum res ipsas ad nos trahimus, nec secundum suum cogitandi modum intellectus ad ea quæ sunt se superiora ferri potest, nam nobiliori modo sunt in seipsis quam sint in intellectu; per affectum vero anima tendit in objectum, a quo magis trahitur quam trahat: amantis enim est trahi, non trahere; idem perficitur ex inclinatione appetentis,

et intendentis in objectum tamquam in terminum et finem, ut in se existens et possessum ab anima, et propterea actus voluntatis in via præfertur actui intellectus, et ob id charitas est fide excellentior. S. Thomas, 2 2, qu. 23, art. 6 ad 1; et qu. 27, art. 4, in corpore. Secus est in patria, ubi per intellectum apprehendimus quidquid Dei est intuitive sicuti est, ex qua unione intellectiva sequitur affectiva per amorem: unde essentialiter in contemplatione beatitudo consistit juxta doctrinam D. Thomæ.

48. Sed specialis modus, ut dicebamus supra ex p. p., q. 43, art. 3, quo unitur anima Deo, est secundum quod est in intellectu cognoscentis, vel in voluntate, tamquam amatum in amante. In utraque autem unione est gradatio tam in cognitione (unde etiam S. Thomas, 2 2, q. 174, art. 1, plures gradus propheticæ cognitionis tradit) quam etiam in affectu. Nam ex eodem Sancto, q. 43, art. 2 ad 2, ibi non solum cognitio roboratur, secundum quod Deus a quocumque cognoscitur, atque percipitur pro captu vel proficientis animæ, vel perfectæ animæ rationalis in Deo; sed etiam cum per affectivam proficit in aliquem novum actum et statum gratiæ, secundum quod aliquis proficit in gratia miraculorum, vel prophetiæ, vel ex fervore charitatis exponit se martyrio. Potest autem deprehendi iste affectus major, vel minor dupliciter. Primo ex quadam supereminenti luce et speciali revelatione, secundum quam dicit Apostolus: Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod simus filii Dei, ad Rom. VIII; absque eo quod potentiæ animæ hanc unionem in gratia cognoscere valeant. Secundo, ex parte ipsarum potentiarum, quando intellectus deprehendit se ferri in cognitionem summi veri, et voluntas perfectissime fertur in amore ad Deum; unde ille actus: Quis separabit nos a charitate Christi? an fames? an gladius? etc. Ex cognitione qua noscebat summum bonum, nec a timore male humiliante, nec a concupiscentia inflammante esse deserendum cognoscebat Apostolus, loco citato. Hic autem specialis modus affectivæ unionis tunc contingit, cum depuratis inordinatis affectibus animæ, expedite anima in suum centrum tendit, in Deo quiescendo, ferventissimis actibus insistendo: propter quod gustus, satietas, ebrietas, tranquillitas, jubilum, æternæ felicitatis delibatio solet appellari a DD. mysticis

49. Unio inchoata dicitur sponsalitium; perfecta vero et firma dicitur matrimonium spirituale, quia per eam anima fit unus spiritus cum Deo, juxta illud Apostoli: Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. Quod explicans D. Thomas, dicit: Quia scilicet unitur ei unitate spirituali, unde et dicitur ad Rom. VIII: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus; et Jo. XVII: Ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus; scilicet per connexionem spiritus. Et quia corpus deservit spiritui, consequens est ut etiam corpora nostra membra ejus sint, cui per spiritum unimur, non quidem carnali conjunctione, sed spirituali.

ARTICULUS X.

In quo aliæ phrases mysticæ explicantur.

50. Prima phrasis est: An in intima unione anima Deo seu Verbo sponso suo fruitur? D. Thomas, 1 2, q. 11, art. 1 in corp. dicit quod fruitio et fructus ad idem pertinere videntur, et unum ex altero derivari. Quid autem a quo, nihil ad propositum refert, nisi quod hoc probabile videtur quod id quod magis est manifestum prius etiam fuerit nominatum. Sunt autem nobis primo manifesta quæ sunt sensibilia magis, unde a sensibilibus fructibus nomen fruitionis derivatum videtur. Fructus autem sensibilis est id quod ultimum ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur; unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis; finis autem et bonum est objectum appetitivæ potentiæ: unde manifestum est quod fruitio est actus appetitivæ potentiæ. In art. 2 ejusdem quæst. docet D. Thomas quod frui perfecte convenit tantum rationali creaturæ; quia cognitio finis est duplex, perfecta et imperfecta: perfecta quidem, qua non solum cognoscitur id quod est finis et bonum, sed ratio universalis finis et boni, et talis cognitio est solius rationalis naturæ; imperfecta autem cognitio est qua cognoscitur particulariter finis et bonum, et talis cognitio est in brutis animalibus, quorum et virtutes appetitivæ non sunt imperantes libere, sed secundum naturalem

instinctum ad ea quæ apprehendunt, moventur. Unde rationali creaturæ convenit fruitio secundum rationem perfectam, brutis autem animalibus secundum rationem imperfectam. In art. 3 docet D. Thomas quod fruitio perfecta tantum est ultimi finis. Ad rationem fructus duo pertinent: scilicet quod sit ultimum, et quod appetitum quietet quadam dulcedine, vel delectatione. Ultimum autem est simpliciter et secundum quid: simpliciter quidem, quod ad aliud non refertur; sed secundum quid, quod est aliquorum ultimum. Quod ergo est simpliciter ultimum, in quo aliquid delectatur sicut in ultimo fine, hoc quippe proprie dicitur fructus, et eo proprie dicitur aliquis frui; quod autem in seipso non est delectabile, sed tantum appetitur in ordine ad aliud, sicut potio amara ad sanitatem, nullo modo fructus dici potest: quod autem in se habet quamdam delectationem, ad quam quædam præcedentia referuntur, potest quidem aliquo modo dici fructus; sed non proprie et secundum completam rationem fructus eo dicimur frui. Unde Augustinus in x de Trinit. dicit quod fruimur cognitis in quibus voluntas delectata conquiescit. Non autem quiescit simpliciter, nisi in ultimo, quia quando aliquid expectatur, motus voluntatis remanet in suspenso, licet jam ad aliquid pervenerit: sicut in motu locali, licet illud quod est medium in magnitudine sit principium et finis, non tamen accipitur ut finis in actu, nisi quando in eo quiescitur. In art. 4 dicit quod perfecta fruitio est finis habiti realiter; imperfecta est etiam finis non habiti realiter, sed intentionaliter. Dicit D. Thomas in II, dist. 9, q. 4 ad 6, quod actus fruitionis est triplex, scilicet comprehendere, seu tenere, videre et amare. Primo perficitur memoria, secundo intelligentia, tertio voluntas; primus adaptatur Thronis, secundus Cherubin, tertius Seraphin.

51. D. Bernardus, serm. LXXXV, in Cant.: Pergat quis forsitan quærere a me quid sit verbo frui? Respondeo: Quærat potius expertum, a quo id quærat. Aut si id mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum: Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. Hoc est: Aliud mihi cum Deo solo arbitro, aliud vobiscum; mihi illud licuit experiri, sed minime eloqui. O quisquis curiosus es scire quid sit hoc verbo frui, para illi non aurem, sed mentem: non docet hoc lingua, sed docet gratia; absconditur a sapien-

tibus et prudentibus, et revelatur parvulis. Magna, fratres, magna et sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur; digna adipisci quod non valet addisci; digna a Verbo et de Verbo concipere quod suis ipsa verbis explicare non potest. Cur hoc? Non quia sit meritum, sed quia sit placitum coram Patre Verbi sponsi animæ Jesu Christi Domini nostri. Non potest igitur verbis exprimi quid sit Deo frui; solum indicatur confuse quod est in eo suaviter in hac intima unione possesso mirabiliter delectari. Non ignoravit D. Bernardus quid sit fruitio speculative et practice; sed tamen in loco allegato noluit eam definire, sed commendare experientiam ejus. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Hebr. XII, lect. 4 in illa verba: Sed accessistis ad montem Sion Jerusalem cœlestem, dicit: Fruitio autem in duobus consistit, scilicet in visione intellectus et in delectatione affectus. Unde dicit Augustinus, fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Propter visionem enim dicit: Accessistis ad montem Sion. Sion enim significat altitudinem divinæ contemplationis. Jucunditas et delectatio affectus significatur per Jerusalem civitatem cœlestem Dei viventis. Ibi enim erit visio experimentalis pacis, quia nihil erit perturbans sive interius, sive exterius. Unde dicitur civitas Dei, idest civium unitas. In hac vita non est perfecta fruitio, quia, ut dicit D. Thomas in I, dist. 1, qu. 4, art. 1: Fruitio dicit delectationem in fine; unde perfecta fruitio non est, nisi sit perfecta delectatio, quæ esse non potest ante consecutionem finis, et ideo justus homo non perfecte fruitur; sed beati, qui consecuti sunt finem, vere, et perfecte, et proprie fruuntur. Unio fruitiva quæ in supremo gradu theologiæ mysticæ consistit, sine extasi non est. Ita Richardus de S. Victore: In hoc statu fit in cœlo silentium quasi hora dimidia, et dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretum rapitur, seipsam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, et inspectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit.

52. Secunda phrasis mystica est: Quod anima transformatur in Deum. Quæ non debet intelligi de transformatione propriæ naturæ in divinam: hoc enim est impossibile, ut jam diximus articulo antecedenti; sed per remotionem propriæ naturæ in perfecta participatione divinæ naturæ per eximium donum

gratiæ sanctificantis, ut explicat D. Thomas in III, dist. 27, q. 1, art. 1; et dist. 37, q. 1, art. 2; et in IV, dist. 12, qu. 2, art. 1: divini intellectus per sublime lumen contemplationis, divinæ voluntatis per ferventissimum amorem, et omnium divinarum perfectionum per alia dona supernaturalia; sic enim renovata anima videtur in Deum transformata. Subtiliter loquutus fuit D. Thomas super illud Isaiæ XL: Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: Sancti comparantur aquilis. Primo, propter volatus altitudinem. Job XXXIX: Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum; in quo eminentia contemplationis. Secundo, propter odoris subtilitatem. Lucæ cap. XVI: Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ; in quo fervor dilectionis. Cant. I: Curremus in odorem unguentorum tuorum. Tertio, propter loci sublimitatem. Proverb. III: Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro: Via aquilæ in cœlo; in quo studium cœlestis conversationis. Philipp. III: Nostra conversatio in cœlis est. Quarto, propter motus velocitatem. Thren. IV: Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis; in quo promptitudo bonæ operationis. Proverb. XXII: Vidisti hominem velocem in operibus suis? Quinto, propter renovationem. Psalm. CII: Renovabitur sicut aquila juventus tua: in quo studium emendationis et profectus. II. Cor. IV: Licet is qui foris est vetus homo corrumpatur, is qui intus est renovatur de die in diem. Sexto, propter membrorum pulchritudinem. Ezech. XIV: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum; in quo decor virtutum. Cant. IV: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Septimo, propter filiorum sollicitudinem. Deuter. XXXII: Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans; in quo sollicitudo Sanctorum. I. Cor. XI: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Hæc ille.

53. Qui enim superinduit novam formam vere dicitur transformatus in illam; et quia contemplativi et justi induunt gratiam, charitatem, dona supernaturalia, quæ quidem omnia sunt participationes divinæ naturæ, ideo transformantur in Deum. D. Thomas in III, dist. 27, q. 1, art. 1 in corp. dicit quod amor nihil aliud est quam quædam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne quod efficitur forma alicujus efficitur

unum cum illo, ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod est factum forma amantis. Et ideo dicit Philosophus, Ethic. IX, quod amicus est alter ipse. Et I. Cor. VI: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Et solutione ad 2: Amor est transformatio qua amans in amatum transformatur. Et solut. ad 5: Amans in interiora amati transformatur. Sic quando anima recipit novam formam divinam, dicitur transformari in illam. Qui enim induit novam formam vere dicitur transformatus in illam. Dicit D. Thomas in III, dist. 24, q. 1, art. 2: Homo per donum sapientiæ unitur altissimis causis transformatus in earum similitudinem. Quando anima dotatur dono sapientiæ, transformatur in Deum cognoscendo arcana Dei. Et hanc transformationem animæ describens S. Bernardus, Tract. de diligendo Deo, sic ait: Eo certe defæcatior et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est quod sentitur: sic affici deificari est. Sed clarius loquitur de vita solitaria Ad fratres de monte Dei, dicens: Super hanc autem alia est adhuc similitudo Dei in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritus nominetur; cum sit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc unitas Spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus sanctus, sed quia ipse est Spiritus sanctus, Deus charitas; cum per eum qui est amor Patris et Filii, et unitas, et suavitas, et bonum, et osculum, et amplexus, et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis et veritate unitatis, hoc idem homini suo modo fit ad Deum quod cum substantiali unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium; cum modo ineffabili incogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus: sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.

54. Tertia phrasis mystica est quid intelligant mystici nomine maculæ. Et respondetur ex D. Thoma, 1 2, q. 86, art. 1; et q. 89, art. 1; et 2 2, q. 87, art. 6, et in multis aliis locis, quod non solum intelligunt maculam peccati, sed quemcumque defectum, vel superabundantis cogitationis, vel etiam nescientiæ. Cujus dicti rationem sive radicem aperit D. Thomas, quæst. 13, De veritate, art. 4, dicens: Per se impediunt se invicem intellectivæ et sensitivæ operationes, tum per hoc quod in utris-

que operationibus oportet intentionem esse, tum etiam quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur, cum a phantasmatibus accipiat, et ita in sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur. Explicans D. Thomas illud Cant. v: Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? dicit sic: Exui me curis et occupationibus istius sæculi, et quomodo fieri poterit ut ad ea quæ deserui iterum revertar? Quod autem tunica sollicitudines et curas sæculi significet, Dominus ostendit, dicens in Evangelio, Matth. xxiv: Et qui in tecto est non descendat tollere tunicam suam, quod est aperte dicere: Qui in sublimi contemplationis arce consistit, non descendat, ut iterum occupationibus sæculi implicetur. Timet ergo anima sancta hac tunica se exuens in contemplatione sui Conditoris requiescens, iterum illa indui, et sæcularibus negotiis occupari. " Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? „ Hoc est actiones quibus pulverem tangere, hoc est terrena agere, consueveram, dignis pœnitentiæ fletibus ablui, adeo ut nihil nunc nisi divina me libeat meditari; " quomodo inquinabo illos, „ idest quomodo potest fieri ut iterum ad cogitanda terrena et caduca redeam, quæ nunc ex occupato et libero corde, divino fruor intuitu. D. Bonaventura super eadem verba, Opusc. 1 De septem itineribus, sic ait: Quomodo inquinabo eos iterum umbris et imaginibus corporalium? cum etiam intellectuales operationes et formæ in superintellectuali exercitio reputentur maculæ et offendicula.

55. Quarta phrasis theologiæ mysticæ: Utrum in exercitio theologiæ mysticæ omnes animæ potentiæ sint Deo unitæ, et æqualiter. D. Thomas, 1 2, q. 28, art. 3, in quo quærit utrum extasis sit effectus amoris, dicit quod extasim pati aliquis dicitur cum extra se ponitur; quod quidem contingit et secundum vim apprehensivam et secundum vim appetitivam. Secundum vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, quia ad superiorem sublevatur: sicut homo, dum elevatur ad comprehendenda aliqua quæ sunt supra sensum et rationem, dicitur extasim pati, in quantum ponitur extra naturalem apprehensionem rationis et sensus; secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis extasim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens

quodammodo extra seipsum. Hoc supposito, respondeo quod aliquando in hoc exercitio omnes potentiæ animæ sunt Deo unitæ; aliquando vero solus intellectus et voluntas, solutis aliis. Quod sic declaratur ex intimo Dei illapsu, de quo loquitur D. Thomas 3 p., qu. 8, art. 8 ad 1; et qu. 64, art. 1; et in II, dist. 8, art. 5 ad 3, et in multis aliis locis, in intellectum et voluntatem: tanto splendore lucis divinæ perfunditur intellectus et tanto fervore divini amoris in Deum supra et extra se ipsam rapitur voluntas, ut tunc omnes potentiæ partis sensitivæ totaliter suspendantur et omnino sopiantur, unde tunc nec imaginatio, nec alius sensus exterior aut interior operatur, cum tamen intellectus et voluntas nobilissimas, sed suavissimas tunc habeant circa Deum suas operationes contemplationis et dilectionis; et in hoc sensu dicuntur unitæ quod non habent operationes dictam unionem impedientes: nec enim possunt immediate Deo uniri sicut intellectus et voluntas, sed peracta unione suo modo participant aliquid supernæ dilectionis ac fruitionis, quasi micas cœlestis illius convivii. Et tunc dicitur unio totalis, quæ est quædam participatio æternæ gloriæ. — Contingit autem aliquando quod non sit tantæ lucis splendor, nec tantus fervor divini amoris, ut sic fortiter intellectum et voluntatem Deo uniant quod simul aliæ rapiantur potentiæ, vel quod perdurante voluntatis et intellectus unione solvatur alia potentia, puta imaginatio vel memoria: et tunc non ita quieta manet anima. Nec æqualis est semper unio intellectus et voluntatis; potest enim Deus inæqualiter illabi in has potentias, aliquando magis in intellectum per clariorem divinæ lucis splendorem, aliquando magis in voluntatem per ardentiorem amoris divini fervorem: et inde procedit inæqualis unio.

56. Quinta et ultima phrasis theologiæ mysticæ: Utrum semper iisdem mediis anima collocetur in exercitio theologiæ mysticæ. Respondetur quod diversis mediis in illo collocatur: nam interdum ad illud pertingit ex creaturarum consideratione; quidquid enim perfectionis, amabilitatis, pulchritudinis, dulcedinis, gloriæ, vel alterius hujusmodi divisim ac imperfecte reperitur in creaturis effectibus Dei, incomparabili et supereminentissimo modo, et cum excellentia penitus infinita totum convenit Deo earum Creatori. Ita S. Thomas, p. p., q. 32, art. 1

ad 2; et q. 45, art. 5 ad 3; et in III, dist. 1, q. 1, art. 3 ad 3. Interdum ad illud pertingit per anagogicam illustrationem et pure intelligibiles formas, per supernaturalia et divina charismata, per sapientiam unitivam, charitatem flammigeram, et fidem rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentia decoratam, de quibus D. Thomas, p. p., qu. 1, art. 10; et 1 2, qu. 102, art. 2; interdum absque suo conatu repente ad mysticæ theologiæ intuitum, raptum, extasim elevatur immensa Dei pietate, per prævenientem gratiam ipsum affectivæ partis apicem, ac intellectivæ potentiæ verticem immediate tangente, illuminante et inflammante tam valide ut imbecillis creatura confestim defluat et deficiat a se ipsa, ac super se mirabiliter in Deum transferatur. Ista gratia fuit figurata in illo fluvio aquæ vivæ, Apoc. XXII: Splendidum tamquam crystallum, procedentem a sede Dei et Agni, in medio plateæ ejus; et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum et fòlia ligni ad salutem gentium. D. Thomas explicans hunc locum, primo ostendit supernæ civitatis amœnitatem, secundo habitantium in ea gloriæ magnitudinem. Circa primum, quatuor specialiter facit. Primo ostendit civitatem amœnam esse valde propter aquæ meatum delectabilem; secundo propter arboris vitæ fœcunditatem, et ex utraque parte fluminis; tertio propter omnis mali carentiam et privationem; quarto propter gloriam Dei habitantium. — Circa primum primo describit aquæ fluentis pulchritudinem; secundo locum meatus ejus et originem, procedentem a sede Dei. Dicit igitur: " Et ostendit mihi fluvium, „ angelus scilicet qui mecum loquebatur, de quo supra, c. XXI: Et venit ad me unus de septem angelis; angelus, inquam, ille " ostendit mihi fluvium, „ hoc est Spiritus sancti gratiam lætificantem civitatem sanctam. Ps. XLV: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. De hoc etiam fluvio potest intelligi quod in Genesi dicitur c. XI: Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Et recte fluvio comparatur Spiritus sancti gratia; quia diversas generationes rigando, post unam in alteram fluit, et licet aliquando aliquibus subtrahatur, per aliquos tamen fluere nunquam desinit. Ps. CLIII: Rigans montes de superioribus tuis. Dicitur etiam " fluvius aquæ vivæ. „ Aquæ videlicet quæ reficiunt contra sitim mundanæ cupiditatis. Joan. IV:

Qui autem biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non sitiet iterum. Refrigerat contra ardorem carnalis voluptatis; Prov. v: Aqua frigida animæ sitienti. Purgat ab immunditia diabolicæ suggestionis; Num. xix: Qui aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. Dicitur etiam " aquæ vivæ, „ scilicet quia vivificat, quia nunquam deficit, quia semper fluit. Joan. iv: Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. " Ostendit mihi fluvium splendidum tamquam crystallum. „ Dicitur enim splendidum ad modum crystalli, quia in solis quos reficit interius et refrigerat, exterius in actione micat. Psal. cxlvii: Mittit crystallum suum sicut buccellas. — " Fluvium, inquam, procedentem de sede Dei et Agni. „ Procedit enim divina gratia de sede Dei et Agni, quia a sanctis DD. et prælatis Ecclesiæ, in quibus Deus præsidendo regnat, et alios juste gubernat, quotidie ministratur. I. Petr. iv: Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Hæc ille.

57. De ista gratia præveniente loquitur D. Thomas, 1 2, q. 111, art. 3 in corpore. Gratia dividitur in prævenientem et subsequentem, secundum diversos effectus. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis: quorum primus est ut anima sanetur, secundus est ut bonum velit, tertius est ut bonum quod vult efficaciter operetur, quartus est ut in bono perseveret, quintus est ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu et prior alio, ita gratia potest dici præveniens et subsequens secundum eumdem effectum respectu diversorum. Et hoc est quod Augustinus dicit in libro De natura et gratia. Prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur. Et in argumento Sed contra dicit idem Sanctus quod gratia Dei provenit ex ejus misericordia, et utrumque in Ps. lviii legitur: Misericordia ejus præveniet me; et iterum: Misericordia ejus subsequetur me: ergo gratia convenienter dividitur in prævenientem et subsequentem. In solutione ad secundum dicit: Gratia non diversificatur per hoc quod est præveniens et sub-

sequens secundum essentiam, sed solum secundum effectum sicut de operante et cooperante dictum est articulo antecedenti. Quia etiam secundum quod gratia subsequens ad gloriam pertinet non est alia numero a gratia præveniente per quam nunc justificamur. Sicut enim charitas viæ non evacuatur, sed perficitur in patria; ita etiam et de lumine gratiæ est dicendum, quia neutrum in sui ratione imperfectionem importat. Hæc ille. Ecce quomodo per gratiam prævenientem et subsequentem, quam Deus dat sua misericordia, pervenit homo ad exercitium theologiæ mysticæ.

QUÆSTIO II.

DE VIA PURGATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA INCIPIENTIUM

DISPUTATIO I.

DE PURGATIONE ACTIVA PARTIS COGNOSCITIVÆ

ARTICULUS I.

De duplici statu humanæ naturæ.

58. Quintus doctor et Ecclesiæ lumen D. Thomas p. p., q. 94, art. 2, distinguit statum animæ secundum integritatem et corruptionem. In primo statu Deus, a quo bona cuncta procedunt, hominem condidit velut epilogum operis sui, et quasi parvum quemdam mundum, in quo copulavit utramque naturam spiritualem et corporalem. Creavit illum in gratia et in justitia originali. Fecit illum rectum, ut dicitur Eccle. VII, et hæc rectitudo fuit rectitudo hominis divinitus instituti, ut inferiora superioribus subderentur, et superiora ab inferioribus non impedirentur. Accepit Adam omnem perfectionem secundum corpus et secundum animam quæ convenit homini. Dotatus fuit omnibus virtutibus et donis supernaturalibus, et omnibus habitibus naturalibus integris et perfectis. Habuit scientiam omnium, quia imposuit nomina omnibus animalibus. In isto statu felicissimo dilexit Deum super omnia. In isto statu non potuit decipi, et probabiliter dici potest quod in raptu vidit Deum. Habuit dominium super alias creaturas, præscivit Incarnationem Dei, non autem suum peccatum. In illo statu po-

tuit generare filios cum justitia originali et gratuita, et cum gratia. Habuit omnem scientiam, erat immortalis et impassibilis: non ex principiis naturæ, sed ex beneficio Dei. Omnia ista sunt D. Thomæ in art. qq. 94, 95, 96, 97, 98 p. p. Et ex pluribus aliis locis Operum ipsius.

59. Peccavit Adam peccato superbiæ, quia, ut dicitur Eccli. x, initium omnis peccati superbia. Et peccatum primi hominis est initium omnis peccati, secundum illud Rom. v: Per unum hominem peccatum intravit: ergo primum hominis peccatum fuit superbia. Et D. Thomas, 2 2, q. 163, art. 1, dicit quod ad unum peccatum multi motus convenire possunt, et ille habet rationem primi peccati in quo primo inordinatio invenitur. Manifestum est autem quod primo invenitur inordinatio in motu interiori animæ quam in actu exteriori corporis, quia, ut dicit Augustinus in I De civ. Dei, cap. XVIII, non amittitur corporis sanctitas, manente animæ sanctitate. Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, quam in id quod appetitur propter finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in statu innocentiæ institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spiritum: unde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani in hoc quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendat præter ordinem rationis. Relinquitur igitur quod prima inordinatio appetitus humani fuit in hoc, quod aliquod bonum spirituale inordinate appetiit. Non autem inordinate appetivisset appetendo id secundum suam mensuram ex divina regula præstitutam: unde relinquitur quod primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam. Unde manifestum est quod primum peccatum primi hominis fuit superbia. Hæc ille.

60. Per istud peccatum omnes vires animæ remanserunt quodammodo destitutæ proprio ordine quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum: scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ; in quantum vero voluntas

destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscibilis destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Ita D. Thomas 1 2, q. 85, art. 3.

61. Convenienter ponuntur in sacra Scriptura particulares pœnæ ex peccato primorum parentum. Primo quidem quantum ad hoc quod subtractum fuit eis id quod statui integritatis competebat, scilicet locus terrestris paradisi, quod significatur Gen. III, cum dicitur: Et emisit eum Deus e paradiso voluptatis. Et quia ad illum statum primæ innocentiæ per se ipsum redire non poterat, convenienter apposita sunt impedimenta ne rediret ad ea quæ primo statui competebant, scilicet a cibo ne sumeret de ligno vitæ, et a loco: collocavit enim Deus ante paradisum Cherubin, et flammeum gladium. Secundo autem puniti fuerunt quantum ad hoc quod attributa sunt eis ea quæ naturæ conveniunt tali beneficio destitutæ. Et hoc quidem et quantum ad corpus et quantum ad animam; quantum quidem ad corpus, ad quod pertinet differentia sexus, alia pœna attributa est mulieri, alia viro: mulieri attributa est pœna secundum duo propter quæ viro conjungitur, quæ sunt generatio prolis, et communicatio operum pertinentium ad domesticam conversationem. Quantum autem ad generationem prolis, punita fuit dupliciter. Primo, quantum ad tædia quæ sustinet portando prolem conceptam; et hoc significatur cum dicitur: Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. Et quantum ad dolorem quem patitur in pariendo; quantum ad hoc dicitur: In dolore paries. Quantum ad domesticam conversationem punitur secundum hoc quod subjicitur dominationi viri: Sub viri potestate eris. — Sicut autem ad mulierem pertinet ut subdatur viro in his quæ ad domesticam conversationem pertinent, ita ad virum pertinet quod necessaria vitæ procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. Primo quidem per terræ sterilitatem, cum dicitur: Maledicta terra in opere suo. Secundo per laboris anxietatem, sine qua fructus terræ non percipit; unde dicitur: In labore comedes de ea cunctis diebus vitæ tuæ. Tertio, quantum ad impedimenta quæ proveniunt terram colentibus; unde dicitur: Spinas et tribulos germinabit tibi. — Similiter etiam ex

parte animæ triplex eorum pœna describitur. Primo quidem quantum ad confusionem quam passi sunt de rebellione carnis ad spiritum; unde dicitur: Aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt se esse nudos. Secundo, quantum ad increpationem propriæ culpæ, per hoc quod dicitur: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Tertio quantum ad commemorationem futuræ mortis, secundum quod ei dictum est: Pulvis es, et in pulverem reverteris. Ad quod etiam pertinet quod Deus fecit eis tunicas pelliceas in signum mortalitatis eorum. D. Thomas 2 2, q. 164, art. 2.

62. Ex prædicta corruptione generali humanæ naturæ, tamquam ex vitiosa radice, tot spinæ seu vitiorum genera communiter in hominibus pullulant, ut admodum rari sint qui diversis vitiorum maculis non inficiantur. Semper et ubique deordinatæ ac effrenatæ desæviunt passiones, fervet amor terrenorum, desiderium temporalium, gaudium caducorum, odium virtutis, fuga spiritualium, tristitia in Crucis participatione. Ambitio corda mortalium continuo perturbat. Bernardus, Lib. III De consid.: O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places! Nihil acrius cruciat, vel molestius inquietat. Quanta ergo mortificatione indiget homo, ut ad pristinum statum felicissimum redire possit! — Mortificatione vitia extinguuntur. Vitia vel sunt carnalia vel spiritualia: de carnalibus triumphamus per disciplinam corporis, de spiritualibus per disciplinam cordis. — Mortificatione tentationes vincuntur. Temporalia bella superamus resistentia, et hostium subjectione: spirituale, quod est ei simile, in resistentia, et pugna, et hostium subjectione consistit. — Mortificatione virtutes acquiruntur. D. Thomas 1 2, q. 59, art. 2, dicit: Virtus prærequirit passiones sedatas, et ex consequenti sensus moderatos. — Mortificatione donum orationis impetramus, quo acquirimus vitam purgativam, illuminativam et unitivam perfectam: quo mediante ad illum perfectissimum statum quodammodo redire dicimur. Orationis et contemplationis donum cœtui virtutum adjungit. Si mortificatio est necessaria ad virtutes obtinendas, ad orationis donum comparandum etiam necessaria est.

Adde Append., nn. 1-87.

ARTICULUS II.

Utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes et perfectos.

63. Iste articulus est D. Thomæ, 2 2, q. 183, art. 4. Et in art. 1 hujus quæst. loquens de statu, in corpore articuli dicit quod status proprie loquendo significat quamdam positionis differentiam, secundum quam aliquis disponitur secundum modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate. Et status libertatem respicit, vel servitutem. In artic. 4 docet inveniri in rebus spiritualibus duplicem servitutem, et duplicem libertatem. Una quidem est servitus peccati, altera vero est servitus justitiæ. Similiter etiam est duplex libertas. Una quidem a peccato, alia vero a justitia, ut patet per Apostolum, qui dicit ad Romanos VI: Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: nunc vero liberati a peccato, servi estis facti Deo. Est autem servitus peccati, vel justitiæ, cum aliquis vel ex habitu peccati ad malum inclinatur, vel ex habitu justitiæ inclinatur ad bonum. Similiter etiam libertas a peccato est, cum aliquis ab inclinatione peccati non superatur. Libertas autem a justitia est, cum aliquis propter amorem justitiæ non retardatur a malo. Verumtamen quia homo secundum naturalem rationem ad justitiam inclinatur, peccatum autem est contra naturalem rationem, consequens est quod libertas a peccato sit vera libertas; quæ conjungitur servituti justitiæ, quia per utrumque tendit homo in id quod est conveniens sibi. Et similiter vera servitus est servitus peccati; cui conjungitur libertas a justitia, quia scilicet per hoc homo impeditur ab eo quod est proprium sibi. Hoc autem quod homo efficitur servus justitiæ, vel peccati, contingit per humanum studium, sicut Apostolus dicit loc. cit.: Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi ejus estis cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. In omni autem humano studio est accipere principium, medium et terminum. Et ideo consequens est quod status spiritualis servitutis et libertatis secundum tria distinguatur, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium; et

medium, ad quod pertinet status proficientium; et terminum, ad quem pertinet status perfectorum.

64. Eamdem difficultatem pertractat D. Thomas in III, dist. 29, q. 1, art. 8; et respondet in corp. artic. quod, sicut in augmento corporali distinguuntur diversæ ætates, secundum diversos effectus notabiles in quos natura proficit, quos prius exercere non poterat; ita etiam in augmento spirituali assignantur gradus diversi charitatis, secundum aliquos notabiles effectus quos in habente charitatem charitas relinquit. Primus autem effectus charitatis est ut homo a peccato discedat; et ideo mens charitatem habentis imprimis circa hoc maxime occupatur ut a peccatis præteritis emundetur, et a futuris præcaveat: et quantum ad hunc effectum dicitur charitas incipiens. Secundus effectus est ut jam fiduciam de liberatione peccatorum habens in bonum adipiscendum se extendat; et quantum ad hunc effectum dicitur charitas proficiens, non quia in aliis statibus non proficiat, sed quia in hoc statu præcipua cura est de adipiscendis bonis, dum homo semper ad perfectionem anhelat. Tertius effectus est ut homo jam ad ipsa bona, quasi connutritus quodammodo sibi naturalia habeat ipsa, et in ea quiescat et delectetur; et hoc ad perfectam charitatem pertinet. Status autem medius duo habet: unum, secundum quod comparatur ad primum statum, quia roboratur contra mala, de quibus charitas incipiens sollicita est; aliud quod nutritur, secundum quod tendit in statum tertium, semper magis ac magis bona quasi sibi comparando. Similiter etiam perfecta charitas duos habet gradus: unus est secundum quod in bonis communibus quasi jam secura conquiescit: et secundum hoc dicitur perfecta; alius secundum quod ad quælibet difficilia manum mittit: et secundum hoc dicitur perfectissima vel perfecta: perfecta quantum ad statum viæ, perfectissima quantum ad statum patriæ.

65. De eadem difficultate disputavit 2 2, q. 24, art. 9: Sicut infantilis ætas dicitur antequam habeat usum rationis; postea autem distinguitur alius status hominis, quando jam incipit loqui et ratione uti; iterum tertius status ejus est pubertatis, cum jam incipit posse generare; et sic deinde quousque perveniatur ad perfectum: ita etiam et diversi gradus charitatis distinguuntur secundum diversa studia ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit

homini studium principale ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent: et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat: et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhæreat et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo. Sicut etiam videmus in motu corporali quod primum est recessus a termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum, tertium est quies in termino. Hæc ille.

66. In exposit. cap. XLIV Isaiæ, hanc eamdem resolvit difficultatem super illa verba " Effundam spiritum meum. „ Datur spiritus incipientibus; primo, in principium vivificationis; Ezech. XXXVII: Ingressus est in ea spiritus, et revixerunt. Secundo in lavacro renovationis quem effudit in nos abunde. Tertio, in privilegium adoptionis; Rom. IX: Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei. Secundo, datur proficientibus; primo ad instruendum intellectum; Joan. XIV: Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Secundo, ad reficiendum affectum; Eccli. XXIV: Spiritus meus super mel dulcis. Tertio, ad adjuvandum actum; Rom. VIII: Spiritus adjuvat infirmitatem. Tertio, datur perfectis; primo in beneficium libertatis; I. Cor. III: Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Secundo, in vinculum unitatis; ad Ephes. IV: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Tertio, in pignus hæreditatis; ad Ephes. I: Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Hæc ille.

67. Pertractat hanc eamdem difficultatem, Opusc. LVIII, c. XIX: Circa spiritualem manducationem tria sunt consideranda, scilicet differentia personarum sic manducantium, ratio spiritualiter manducandi, effectus manducationis. Hujus primum est differentia personarum sic manducantium, quæ est triplex: incipientium, proficientium, perfectorum. Manducantium fuerunt quatuor millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis: in parvulis incipientes, in mulieribus proficientes, in viris per-

fecti significantur. — Secundum est ratio qua dicuntur jam dicti spiritualiter manducare. Unde sciendum quod primi, scilicet incipientes, manducant spiritualiter ratione fidei salutaris; secundi, ratione bonæ conversationis; tertii, ratione devotæ meditationis. De primis Habac. II, et ad Hebr. X: Justus ex fide vivit, tamquam ex cibo spirituali. Augustinus: Crede, et jam manducasti. Credere enim in Christum est credendo in eum ire, ipsi corde inhærere, in ipso delectari, et per veram charitatem membris ejus incorporari. — Secundi, scilicet proficientes, manducant ratione bonæ conversationis. Joan. IV: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: meus cibus est, etc. Eccli. XXIV: Qui timet Deum faciet bona, et cibabit eum pane vitæ, etc. Iste cibus conversationis consistit in tribus virtutibus, quasi in tribus ferculis, scilicet innocentia, pœnitentia et misericordia. De primo, Psalm. CI: Percussus sum ut fœnum, quia oblitus sum comedere panem meum, scilicet innocentiæ, dum delectabar cibo malitiæ. Augustinus: Panem de altari spiritualiter manducare est innocentiam ad altare portare, debitoribus peccata dimittere. De secundo, Psal. CXXVI: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris; scilicet pœnitentiæ pro peccatis. Tobiæ II: Manducavit panem cum luctu et tremore, memorans sermonum Amos: Dies festi vestri, idest gaudii in peccatis, convertentur in lamentationem et luctum. Psal. CI: Cinerem, scilicet pœnitentiæ, tamquam panem manducabam. De tertio, Prov. XI: Bene facit animæ suæ vir misericors; quia dum pauper ab eo reficitur, ipse multo magis a Deo spiritualiter pascitur. — Tertii, scilicet perfecti, manducant spiritualiter ratione devotæ meditationis; et in hac manducatione tria erunt quæ in comessatione corporali consistunt, scilicet appetitus, masticatio et delectatio. Primo debemus esurire spiritualiter Christum cibum nostrum intimo corde desiderando. Job XXXI: Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det ut de carnibus ejus saturemur? Quasi, optabant et desiderabant saturari. Eccli. XXIII: Qui edunt me, adhuc esurient. Et Gregorius: In spiritualibus deliciis saturitas appetitum parit, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Secundo, masticare magna distributione cogitationis. Ad Philip. IV: De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæ-

cumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Tertio, in eo debemus delectari interna dulcedine. Isa. LV: Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra; idest in dulcedine spiritualis gratiæ. Sap. VIII: Intrans in domum meam, conquiescam cum Dei sapientia, idest cum Christo qui est sapida scientia. Hæc ille.

68. Esse in spirituali vita istos tres status incipientium, proficientium et perfectorum satis clare insinuat Gregorius, XXIV Moral. c. VIII: ut testatur D. Thom. 2 2, q. 183, a. 4 in arg. Sed contra: Tres sunt modi conversorum, inchoatio, medietas atque perfectio. In inchoatione autem inveniuntur blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, in extremo vero perfectio plenitudinis. Et homil. XV in Ezech.: Alia sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. D. Augustinus (ut refertur a D. Thoma, 2 2, q. 24, art. 9 in arg. Sed contra) Tract. V, super primum caput Joannis: Charitas cum fuerit nata, nutritur: quod pertinet ad incipientes; cum fuerit nutrita, roboratur: quod pertinet ad proficientes; cum fuerit roborata, perficitur: quod pertinet ad perfectos. Hugo de Sancto Victore eosdem status cognoscit in Joseph Virginis sponso, in Samuele et Jacob. Possunt, inquit, per hos tres homines tres hominum species designari: in Joseph incipientium, in Samuele proficientium, in Jacob perfectorum. Monetur incipiens ut fugiat, docetur proficiens ut corripiat, invitatur perfectus ut recipiat. Joseph, inquam, cui dicitur, ut cum puero et matre fugiat in Ægyptum, incipientes significat, qui mundum debent fugere, et a terrenis sollicitudinibus declinare. Samuel vero, qui ascendit in Silo et moratur in templo, proficientes denotat: qui habitant in templo, cum cor suum sanctis meditationibus exercent; et aperiunt ostia templi, cum alios docent; loquuntur ad Heli, cum de emendatione prælatum monent; et regunt multitudinem, cum subditos disciplinæ lege coercent. Jacob denique, qui filius est Isaac et Rebeccæ, perfectos significat, qui gaudii spiritualis et patientiæ temporalis sunt filii, et gaudium habent in contemplatione, ac patientiæ virtutem in tribulatione.

69. Incipientes comparantur papilioni qui accensam lucernam circumiens, nunquam sistit, sed sine ullo ordine nunc huc, nunc

illuc pergit; et nunc quasi ebrius ad circulos redit: ita mens incipientium per multa variaque vagatur, et in nullo stabilitur. Hi profecto non contemplantur, nec meditantur: sed pie cogitant, et ex infimo orationis genere ad majora se præparant. Debent igitur hi paulatim et suaviter se ad pauciora colligere, et ordinem in consideratione tenere, et divina mysteria quietius et profundius investigare, ut cogitatio in meditationem transeat, et mens ex infimo gradu orationis in mediam et perfectiorem ascendat.

70. Jaculatoria, secundum aliquos, pro incipientibus est usus earum aspirationum, seu affectuum, quibus peccata detestantur, ut omni vitio et imperfectione purgentur, et ab hujus sæculi desideriis abstrahantur. Quare in omni loco et tempore, cum discretione tamen, his oratiunculis et aspirationibus poterunt ad Deum cor suum erigere: O Domine Deus meus, ego vilissimus sum peccator, indignus plane quem terra sustineat! O Domine, qui es summum bonum meum, quam longe per peccatum recessi a te, et habito in regione hac longinqua miseriarum mearum, ubi perdidi me! O Pater amantissime, peccavi in cœlum et coram te: vere non sum dignus vocari filius tuus, fac me, obsecro, ut unum de mercenariis tuis! O Deus dulcissime, pœnitet me, quia peccavi, quia inique egi, quia legem tuam transgressus sum: amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me! O Domine Deus, detestor peccata mea, abominor universa flagitia mea, utinam millies mortuus essem priusquam offendissem te! Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum, donec transeat iniquitas a me. Ablue me, o Christe Jesu, pretioso sanguine tuo, et ab omni peccato munda me! O Pater amantissime, da mihi ut fructus dignos pœnitentiæ faciam, et delicta mea debita castigatione puniam!

Adde Append., nn. 88-141.

ARTICULUS III.

Debent incipientes cognoscere gravitatem peccati mortalis, et purgari ab ipso.

71. Incipientes in vita spirituali dicuntur qui vitam spiritualem incipiunt, et a malis vitæ carnalis recedunt. Isti debent

cognoscere gravitatem peccati, quæ principaliter sumitur ab objecto, secundum D. Thomam, 1 2, q. 73, a. 3. Peccata differunt eo modo quo una ægritudo est altera gravior: tanto est gravior ægritudo, quanto tollitur debita humorum commensuratio per commensurationem prioris principii; sicut ægritudo, quæ provenit in corpore humano ex corde quod est principium vitæ, vel ex aliquo quod appropinquat cordi, periculosior est. Unde oportet quod peccatum sit tanto gravius, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium quod est prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine, et ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est gravius. Objecta autem actuum sunt fines eorum, et ideo secundum diversitatem objectorum attenditur diversitas gravitatis in peccatis: sicut patet quod res exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem, homo autem ordinatur ulterius ad Deum sicut ad finem; unde peccatum quod est circa substantiam hominis, sicut homicidium, est gravius peccato quod est circa res exteriores, sicut furtum: et adhuc est gravius peccatum quod immediate contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia, et hujusmodi; quia peccata habent differentiam ex objectis, et differentia quæ attenditur penes objecta, est prima et principalis. Hæc ille.

72. Gravitas peccati ex D. Thoma, 2 2, q. 20, art. 3, desumitur ex contemptu Dei in seipso. Hoc probat quia peccata quæ opponuntur virtutibus theologicis sunt graviora, quia habent Deum pro objecto; virtutibus theologicis opponuntur infidelitas, desperatio et odium Dei: inter quæ odium et infidelitas, si desperationi comparentur, sunt graviora. Infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit; odium vero Dei provenit ex hoc quod voluntas hominis ipsi divinæ bonitati contrariatur: desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, secundum quod est in se; desperatio autem secundum quod ejus bonum participatur a nobis: et ideo sunt graviora. Hæc ille.

73. Gravitas peccati ex D. Thoma, 2 2, q. 162, art. 6, sumitur ex aversione a Deo. In peccato duo attenduntur, scilicet conversio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato; et aversio a bono incommutabili, quæ est formalis

et completiva ratio peccati. Ex parte autem conversionis non habet superbia quod sit maximum peccatorum, quia celsitudo, quam superbus inordinate appetit, secundum suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis; sed ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem, quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel per ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni: sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo et ejus regulæ subjici. Unde Boetius dicit quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. Propter quod etiam specialiter dicitur, Jacob. IV, quod Deus superbis resistit. Et ideo averti a Deo et ejus præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus. Et quia id quod est per se semper potius est eo quod est per aliud, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum suum genus, quia excedit in aversione, quæ formaliter complet peccatum. Hæc ille.

74. Graviora sunt peccata quæ consistunt in actuali contemptu Dei. Ita D. Thomas in IV, dist. 9, q. 1, art. 3, q. 3: Sicut meritum præcipue consistit penes charitatem, ita demeritum præcipue consistit penes contemptum Dei; unde secundum quod aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundum hoc majorem reatum incurrit; et ideo illa peccata quæ in actuali contemptu consistunt, sunt graviora illis in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti. Peccatum blasphemiæ in contemptu principaliter consistit; et similiter peccatum accedentis indigne ad corpus Christi irreverentia quædam et contemptus essentialiter est. Et peccatum indigne corpus Christi manducantium comparatur peccato corpus Christi occidentium, in quantum utrumque peccatum in ipsum Christum committitur: sed tamen peccatum corpus Christi occidentium majus est, quia illud peccatum commissum est in ipsam Christi personam, hoc autem peccatum committitur in ipsum secundum quod est sub sacramento. Et ille qui corpus Christi in lutum projiceret magis peccaret quam manducans peccator, quia magis abutitur sacramento, secundum quod longius a debito usu sacramenti recedit quo ab homine justo sumendum est. Hæc ille.

75. Gravitas peccati ex parte Dei infinita est. Ita D. Thomas

in III, dist. 1, q. 1, art. 3 ad 5: Quantitas peccati ex duobus potest pensari, scilicet ex parte Dei in quem peccatur: et sic infinitatem quamdam habet prout offensa Dei est, quia quanto major est qui offenditur, tanto culpa est gravior; vel ex parte boni quod corrumpitur per peccatum: et sic quantitas culpæ finita est, in quantum est corruptio naturæ. Circumstantiæ etiam aggravant peccatum. Ita D. Thomas 1 2, q. 73. Et gravitas peccatorum in proximum est per se ex majori nocumento. Ita D. Thomas 2 2, q. 34, art. 4 in corp.

NOMINA PECCATORUM EX D. THOMA.

76. Postquam incipientes ponderaverint gravitatem peccati, debent attendere quid dicat D. Thomas de peccato, et quibus nominibus nominetur ab ipso. Quæst. II De malo, art. 9 ad 2 dicit, quod peccatum est mors animæ, in quantum est privatio gratiæ, per quam anima Deo uniebatur. Privatio autem gratiæ non est essentialiter ipsa culpa, sed effectus culpæ et pœnæ. Unde peccatum dicitur mors animæ, non essentialiter, sed effective; essentialiter vero peccatum est actus deformis vel inordinatus. Et D. Thomas, 1 2, q. 113, art. 9: Gratia omne bonum naturæ superat. Quam egestatem patietur infelix peccator qui gratiam, et virtutes, et Spiritus sancti dona, uno tantum perpetrato crimine amittit? Bene dicit Chrysostomus, hom. V, nihil esse peccante pauperius. Unde Jeremias, Thren. IV, ut hanc peccati deformitatem exprimeret, prius sanctitatis decorem depingit: Candidiores Nazaræi ejus nive: D. Thomas: Idest floridi nive; nitidiores lacte, quia assimilantur lilio in castitate; rubicundiores ebore antiquo, quia assimilantur rosæ in charitate; saphiro pulchriores, quia assimilantur violæ in humilitate: denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. Quid candidius nive? sed quid nigrius carbone? Quid candidius lacte? sed quid obscurius eo qui nec a concivibus potest cognosci? Quid splendidius ebore antiquo, quod temporis antiquitate rubescit? sed quid squalidius arida cute, quæ non vivam carnem tegit, sed ossa mortua et putrescentia cooperit? Quid pulchrius saphiro? sed quid fœdius ligno, quod ignis odor tetigit, et adurens flamma consumpsit? Tales peccatum homines pulchros reddit.

77. Audiant incipientes quibus nominibus nominetur peccatum a D. Thoma in expositione Isaiæ, super cap. v: Vocatur peccatum funiculus, vanitas, vinculum, plaustrum. Funiculus, et hoc quia trahit: primo ad peccati exemplum; Prov. vii: Statim eum sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et ignorat quod ad vincula stultus trahitur. Secundo, ad peccati usum; Jerem. ii: Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum, scilicet amoris. Tertio, ad æternæ mortis interitum; Prov. xxiv: Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. — Peccatum dicitur vanitas, et hoc quia deficit: primo, ab imitatione divinæ veritatis; Sap. xiii: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Secundo, a consecutione sperati finis; Eccle. ii: Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed hæc vanitas, et cassa sollicitudo mentis. Tertio, a longa durationé temporis; Eccli. xvii: Non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. — Peccatum dicitur vinculum, et hoc quia nectit, primo intellectum ne videat; Sap. xvii: Cum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt. Secundo, manum ne bona faciant. Tertio, pedes ne proficiant. De his duobus Matth. xxii: Ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores. — Peccatum dicitur plaustrum, et hoc quia opprimit, primo, servitutis onere; Jerem. xvii: Et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Secundo, cordis timore; Sap. xvii: Cum sit enim timida nequitia data est in omnium condemnationem. Tertio, conscientiæ inquietudine; Isa. lvii: Impium autem cor, quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Hæc ille.

78. Explicans D. Thomas illud Isaiæ xxiv: Amara potio, dicit: Potio peccati amara est, primo, propter conscientiæ remorsum, Proverb. v: Novissima illius amara sunt. Secundo, propter mortis metum; Eccli. xli: O mors, quam amara est memoria tua! Tertio, propter divinæ dilectionis defectum; Jerem. ii: Scito et vide quia malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum. Quarto propter pœnitentiæ planctum; Isa xxxviii:

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Explicans D. Thomas illud Isa. L: Iniquitatibus venditi estis, (*ait:*) Homo pro peccato vendit multa; primo, animi virtutem; Thren. I: Dederunt pretiosa quæque pro vili. Secundo, cœlestem hæreditatem; III. Reg. XXI: Propitius sit mihi Dominus ne vendam hæreditatem patrum meorum. Tertio, animæ libertatem; Eccli. X: Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Quarto, divini amoris honorem; Oseæ III: Diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinationem uvarum. D. Thomas explicans illud Isaiæ XLVI: Onera vestra ponderе gravi, (*ait:*) Peccatum quemadmodum onus fatigat; primo, propter sollicitudinem in excogitando; Proverb. IV: Non enim dormiunt nisi male fecerint. Secundo, propter laborem in exequendo; Sap. V: Lassati sumus in via iniquitatis. Tertio, propter confusionem in recogitando; Rom. V: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Quarto, propter frustrationem in expectando; Prov. XI: Expectatio sollicitorum peribit.

79. Purgantur peccata per sacramentum pœnitentiæ et per virtutem pœnitentiæ. Sacramentum pœnitentiæ habet tres partes, confessionem, contritionem et satisfactionem. Explicans sanctus Thomas Psalmum XXXVII in illis verbis: Et dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo, dicit sic: In his verbis reperiuntur partes sacramenti pœnitentiæ. " Et dolor meus „ refertur ad contritionem; " iniquitatem meam annuntiabo, „ ad confessionem; " et cogitabo pro peccato meo, „ idest satisfaciam pro peccato. Sacramentum Novæ Legis suave. Matth. XI: Jugum meum suave est et onus leve. Cujus præcepta gravia non sunt; et confessio non fit angelo, sed homini; et qui dicit hominem, abyssum dicit infirmitatis, qui aut in similia vel pejora peccata cadit, aut Deo tantillum se absentante, potuit cadere, et majoribus miseriis fœdari. Et homo iste, cui peccata pandimus, locum Dei tenet, cujus potestatem agit et personam refert; atque adeo divinitus viscera benignitatis induit, et sine ullo contemptu, imo cum magna miseratione casus peccatoris confitentis excipit; et cum tam inviolabili secreti sigillo, ut debeat omnes mundi cruciatus pati et ipsam mortem optare quam vel minimum peccatum confessione acceptum aperire. Si morbo gravi laborat infirmus medicum peritissimum et expertissimum, si potest,

accersit, cujus ope salutem amissam recuperet: ita gravissimo vulnere peccati saucius doctum et expertum et sanctum confessarium adeat, zelum Dei et salutis animarum habentem, cujus potestate et consilio animæ vulneribus medeatur. Dicit S. Thomas loquendo de confessario Opusc. LXIV: Sit ille charitativus et humilis, discretus et intelligens, sic quod possis ad ipsum confidenter recurrere, et sciat tibi remedium adhibere. Aliter autem si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Audivi a quodam confessore experto quod nullum vidit conversum et tactum divinitus, qui viros doctos et spirituales fugeret, et idiotis, et zelo religionis carentibus, et amatoribus libertatis peccata manifestaret. Illum confessarium debent eligere qui ad Dominum in veritate volunt converti, qui illos non palpet, sed curet; non decipiat, sed doceat; non in occasione manenti pacem de ore Dei adhuc irati promittat. — Quamvis expressa institutio hujus sacramenti non legatur, tamen quædam præfiguratio ipsius invenitur in hoc quod Joanni confitebantur peccata qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præparabantur; et in hoc etiam quod Dominus sacerdotibus leprosos transmittit, qui quamvis non essent novi testamenti sacerdotes, tamen in eis sacerdotium significabatur. Ita D. Thomas in IV, dist. 17, q. 3, art. 1, quæst. 5 ad 3. Et in eadem dist. et quæst., art. 3 ad 1, quæstiunc., dicit quod confessio præfigurabatur in Lazari mortui vivificatione. Et Dominus solis discipulis præcepit ut Lazarum solverent, ut patet Joan. XI. Et sic sacerdotibus est facienda confessio. — Materia remota hujus sacramenti sunt peccata: non materia ex qua, cum ex eis non componatur hoc sacramentum; nec materia in qua introducatur forma: sed materia circa quam destruendam versatur pœnitentia, sicut misericordia circa repellendam miseriam, et ignis circa lignum comburendum. Peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ; venialia sufficiens.

DE CONFESSIONE.

80. Materia proxima est confessio. Audiamus D. Thomam in expositione Psalmi XXXI. Dicit Propheta: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; dicit Sanctus: Sed quia duo debet homo confiteri, scilicet bona omissa et mala commissa, quantum ad primum dicit Propheta: " Delictum meum, „ scilicet

quod dimisi facere, quod debui, " cognitum tibi feci: „ non quod Deus non cognoscat, sed quando homo cognoscit peccatum suum, tunc vult etiam quod Deus cognoscat ut ignoscat. " Injustitiam meam non abscondi. „ Job XXXI: Si abscondi quasi homo peccatum meum. Proverb. XXIV: Qui abscondit scelera sua. — Efficacia confessionis ostenditur cum dicit: " Dixi: Confitebor, „ idest proposui in corde meo. " Confitebor Domino, „ idest ad honorem Domini. Josue VII: Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere. " Injustitiam meam, „ non bona mea. " Adversum me, „ non pro me. Aliquis confitetur peccatum suum, sed contra proximum dicens: Alius induxit me; contra naturam, dicens: Ex fragilitate sic accidit; contra Deum, dicens: Non potui resistere. Contrarium docemur II. Reg. ultimo, ubi David ait: Ego sum qui peccavi; ego sum qui inique egi. Hæc ille.

81. Confessio debet habere multas conditiones, quæ referuntur a D. Thoma in IV, dist. 17, q. 3, art. 4, quæst. 4. Et sunt quæ continentur in his versiculis: Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, integra, secreta, lacrymabilis, accelerata, fortis et accusans. Dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius. Ea quæ sunt de necessitate confessionis, vel competunt ei secundum quod est actus virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis; vel secundum quod est pars sacramenti. Secundum rationem virtutis in genere sunt quatuor conditiones. Prima, ut aliquis sit sciens, et quantum ad hoc confessio dicitur discreta. Est autem hæc discretio, ut majora cum majori pondere confiteantur. Secunda conditio est ut sit eligens, quia actus virtutum debent esse voluntarii, et quantum ad hoc dicitur libens. Tertia conditio est, ut propter hoc secundum debitum finem operetur, et quantum ad hoc dicitur quod debet esse pœnitentia pura, ut scilicet recta sit intentio. Quarta est ut jam immobiliter operetur, et quantum ad hoc dicit quod debet esse fortis, ut scilicet propter verecundiam non dimittat. — Quandoque confessio est actus pœnitentiæ virtutis. Quæ quidem primo initium sumit in horrore turpitudinis peccati, et quantum ad hoc confessio debet esse verecunda, ut scilicet non se jactet de peccatis propter aliquam sæculi vanitatem admixtam. Secundo progreditur ad dolorem de peccato commisso, et quantum ad hoc debet esse

lacrymabilis. Tertio in abjectione sui terminatur, et quantum ad hoc debet esse humilis, ut se miserum confiteatur et infirmum. Sed ex propria ratione hujus actus qui est confessio, habet quod sit manifestativa; quæ quidem manifestatio per quatuor impediri potest. Primo per falsitatem, et quantum ad hoc dicitur fidelis et vera. D. Thomas in Opusc.: Ut dicantur peccata certa ut certa, et dubia ut dubia; appetivi sic et sic; habui voluntatem deliberatam faciendi tale peccatum, et non dimisi nisi quia non potui, vel quia nescivi, vel quia timui verecundiam aut pœnam temporalem. Secundo per obscuritatem, et contra hoc dicitur nuda, ut non involvatur obscuritate verborum. Tertio per multiplicationem verborum, et contra hoc dicitur quod sit simplex, ut non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. Quarto, ut non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt; et quantum ad hoc dicitur integra. — Secundum autem quod confessio est pars sacramenti, sic concernit judicium sacerdotis qui est minister sacramenti. Circuire debet homo triplicem civitatem. Primo propriæ conscientiæ, recogitando peccata. Eccle. XII: Circuibunt in plateis plangentes antequam rumpatur funiculus argenteus. Secundo militantis Ecclesiæ, imitando justorum exempla. Psal. XLVI: Circumdate Sion et complectimini eam. Tertio cœlestis patriæ, cogitando sanctorum præmia. Cant. III: Surgam et circuibo civitatem. D. Thomas super Isaiam XXIII.

82. Redeamus ad expositionem Psalmi XXXI, secundum D. Thomam: " Beati quorum remissæ sunt iniquitates. „ In peccato est offensa Dei, macula, reatus pœnæ: contra hæc tria ordinat tria, quia Deus remittit offensam, maculam tegit, reatum pœnæ tollit non imputando peccatum. Quantum ad primum dicit: " Beati quorum remissæ sunt. „ Sed quia beatitudo est duplex, scilicet rei et spei, isti tales, quorum remissæ sunt iniquitates, sunt beati in spe; qui tandem erunt beati in re. Beatus enim ille est spe, in quo præcedit causa beatitudinis, et via quæ est virtus, et præcipue perfecta; unde in quo virtus perfecta apparet, potest dici beatus in spe, sicut arbor bene florens potest dici fructificans. Post corruptionem primi hominis isti flores non erant, sed spinæ peccatorum. Et ideo beatitudo peccatoris quæ est in spe non est hujusmodi; sed quod Deus remittat peccatum, et sic fructificet. Jerem. IV: Novate vobis

novale, etc. " Remissæ. „ Isa. XL: Dimissa est iniquitas illius; Luc. VI: Dimittite, et dimittetur vobis. — Quantum ad secundum dicit: " Et quorum tecta sunt peccata. „ Peccata sunt maculæ animæ. Jerem. II: Quam vilis factus es. Quando quis habet in se turpe et illud tegitur, tunc oculos intuentis turpitudo non offendit. Deus autem tegit turpitudinem peccatorum, sed quomodo? Totaliter, scilicet abluendo animam. In peccato duplex est deformitas. Una scilicet ex privatione gratiæ, qua privatur peccator, et hæc totaliter tollitur et non tegitur, quia datur ei gratia. Alia macula est ex actu peccati præterito, et hæc non deletur, quia non datur ei quod non fecerit, sed quod non imputatur ei ad culpam; et hæc tegitur. — Quantum ad tertium dicit: " Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. „ De reatu pœnæ intelligitur, quia pœna non ei reservatur pro peccato. Dan. III: Omnia induxisti super nos. Secundum Glossam, triplex peccatum hic insinuatur: peccatum originale, actuale mortale et actuale veniale. Primum significatur per iniquitatem, quæ est quædam inæqualitas; et hoc est in originali in quantum in ea vires animæ recedunt ab æqualitate innocentiæ: et hoc dimittitur et diminuitur, quia aufertur reatu et remanet actu. Dicit autem pluraliter " iniquitates, „ quia in diversis diversa originalia, et in uno unum. Secundum significatur per peccatum actuale mortale. Actualia enim peccata mortalia dicuntur tegi, quando non imputantur peccatori jam ad culpam. Tertium significatur per peccatum actuale veniale, quod non imputat Dominus. Peccatum autem veniale non imputatur ad pœnam æternam. Sed ex parte hominis requiritur quod non ficte confiteatur, alias non consequetur gratiam. Sap. I: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et ideo non est in spiritu ejus dolus. Hæc ille.

83. " Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea dum clamarem tota die. „ Contradictio videtur hic. Cum enim clamaret tota die, dicit se tacere. Tacebat ab eo quod dicendum erat, sed clamabat quod dicendum non erat. In utroque est peccatum. De primo, Isa. VI: Væ mihi quia tacui. Debet enim peccator dicere peccata sua. Job XVII: Si tacuero, non recedit a me, nunc autem, etc. Ergo quoniam tacui peccata, inveteraverunt ossa mea, idest inferior fortitudo defecit. Baruch III: Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti, etc. De secundo Isa. V:

Expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; justitiam, et ecce clamor. Et hoc est quod dicit: " Dum clamarem tota die. „ Clamabat enim se justum, clamabat de pœna, et tacebat de culpa. Hæc ille.

84. " Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. „ Pro remissione peccatorum orabit. Eccli. XXXVIII: Ora Dominum, et ipse curabit te. Matth. VI: Dimitte nobis debita nostra. " Omnis sanctus in tempore opportuno, „ scilicet gratiæ et præsentis vitæ: quia novissime clausa est janua. II. Cor. VI: Ecce nunc tempus acceptabile. Joan. IX: Venit nox, quando nemo potest operari. " Verumtamen in diluvio aquarum multarum. „ Aqua potest accipi tripliciter. Uno modo voluptatis. Genes. penult.: Effusus es sicut aqua. Alio modo falsæ doctrinæ. Prov. IX: Aquæ furtivæ dulciores sunt. Tertio tribulationis. Psal. LXVI: Intraverunt aquæ usque ad animam meam. " Ad eum non approximabunt: „ qui sunt in diluvio aquarum multarum non appropinquabunt ad Deum. Hæc ille.

DE CONTRITIONE.

85. D. Thomas in IV, dist. 17, q. 2, art. 1, quæst. 1, quatuor adducit definitiones contritionis. Prima est: Dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi. Secunda D. Isidori: Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrymis ex recordatione peccati et timore judicii. Alia est Augustini: Contritio est dolor remittens peccatum. Alia sancti Gregorii: Contritio est humilitas spiritus annihilans peccatum inter spem et timorem. — In contritione ex D. Thoma 3 p., q. 84, art. 8 et 9; et q. 85, art. 1; et in IV, dist. 17, q. 2, art. 3, quæst. 1, est duplex dolor. Unus in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quæ nihil aliud est quam displicentia præteriti peccati; et talis dolor in contritione excedit alios dolores, quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet. Finis autem super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; et ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore, vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum; vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in se ipso habens dolo-

rem, excitatur ut de præterito doleat: et neutro modo oportet quod sit maximus dolorum, quia vires inferiores vehementius moventur ab objectis propriis quam ex redundantia superiorum virium, et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum: et ideo major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsa redundat ex ratione; et similiter major qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato non est major aliis doloribus qui in ipsa sunt; et similiter nec dolor qui est voluntarie assumptus, tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut passio tanta sequatur in inferiori appetitu qualem ordinat superior; tum etiam quia passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam, quam quandoque dolor qui est sine virtute non servat, sed excedit. Primus dolor non debet moderari, sed debet esse maximus. Contritus debet magis velle omnem pœnam, etiam pœnam inferni, quam peccare. Omnis dolor in habente gratiam est contritio. Contritio quoad ejus formam, scilicet gratiam, est tantum a Deo; sed quoad substantiam actus est a Deo et a libero arbitrio.

86. Audiamus D. Thomam pro practica contritionis in expositione Psal. VI: Domine, ne in furore tuo arguas me. Argutio quandoque fit ad emendationem, et hoc est in misericordia. Psal. CXL: Corripiat me justus, etc. Quandoque ad condemnationem, et hoc est iræ; et ideo dicit: " Domine, arguas me, „ sed non in furore, quia hoc est vindictæ; sed ad emendandum, et hoc insinuat cum dicit: " Neque in ira tua, etc. „ Corripe me per flagella temporalia. Augustinus: Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. " Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. „ Peccatum est spiritualis infirmitas. Infirmus sum natura et vitio, dicit Glossa, adeo quod justitiam tuam sustinere nequeo; minor ad intellectum judicii et legum, amisi meam fortitudinem, perdidi meam discretionem. " Sana me, Domine, „ quia si homo est liber a peccato, aptus est ad retinendam gratiam et virtutes quæ sunt fortitudo hominis; et ideo " Sana me, Domine, „ et hoc oro quia " ossa mea, „ idest fortitudo mea, animæ scilicet meæ virtus et fortitudo est

turbata. Turbatur discretio in quantum peccatori videtur recte agere cum peccat; et ideo dicit: " Et anima mea turbata est valde, „ quia perversum habet judicium de agendis: ut scilicet quod bonum est judicet esse malum, et e converso. " Sed tu, Domine, usquequo? Convertere, et eripe animam meam. „ Infirmus sum: non possum per me resurgere: sed tu, Domine, qui potes, usquequō non exaudies? Psal. XII: Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? In hoc videbatur periculosum sibi, quod non convertebatur. Eccli. V: Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. " Convertere, Domine „ Thren. IV: Converte nos, Domine, et convertemur ad te. Si aliquis impeditus traheretur ad supplicium, et videret aliquem de quo confideret, rogaret attente ac diceret: eripe me. Hoc modo orat dicens: " Eripe animam meam, „ quasi dicat: eripe me tractum ad peccatum, ductum ad mortem. Proverb. XXIV: Erue eos qui ducuntur ad mortem. " Laboravi in gemitu meo „ scilicet suspirando. Thren. I: Multi gemitus mei, et cor meum mœrens. Ps. XXXVII: Rugiebam a gemitu cordis mei. Dicit autem: " laboravi, „ quia labor est pugnare contra se; et tamen labor iste bonum fructum habet. Sap. III: Bonorum laborum gloriosus est fructus. " Lavabo per singulas noctes lectum meum, stratum meum rigabo. „ Ubi duo ponit, lectum et stratum; et hæc duo licet pro eodem accipiantur, tamen proprietatem sequimur: stratum dicuntur panni qui sternuntur in lecto; lectum, illud quod subtus ponitur: et dicitur lectus ab eligendo, scilicet stramina et similia, unde fit lectus. Per hoc ergo quod dicit: " Lavabo per singulas noctes lectum meum, „ dat intelligere quod qualibet nocte surgebat, et appodiatus juxta lectum plorabat. Littera Hieron. est: Natare faciam lectum meum; et est parabolica locutio. Vel: Natare faciam, idest ad modum natantis faciam habere, ex inquietudine mea in eo. Dicit autem " Lacrymis stratum meum rigabo, „ quia etiam in lecto jacens plorando perfundebat pannos lecti quasi irriguum lacrymarum. Moraliter lectus in quo homo quiescit est conscientia: hanc lavat homo per lacrymas in pœnitentia. Jerem. IV: Lava a malitia cor tuum. Per stratum significantur peccata quæ supersternuntur conscientiæ, quæ quidem abluenda sunt lacrymis. Nam lacrymæ lavant delictum quod pudor est confiteri. Hæc ille.

87. D. Thomas explicans illud Psal. XXVI: Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo, dicit sic: Rogo " ne avertas faciem tuam a me, „ quasi dicat: sicut avertit homo ab homine quando non vult eum audire. Sed aliter est in Deo et in homine. Facies avertitur non mutatione Dei, sed nostri, facto velamine in corde. Homo enim avertens faciem, mutatur. Ipse autem Deus immobilis est; sed dicitur avertere faciem in quantum nos avertimur et immutamur. Et per hoc quod in corde nostro fit aliquod velamen quo inepti reddimur ad videndum faciem suam. Et ideo littera Hieron. habet " Ne abscondas, „ Isa. VIII: Expectabo Dominum, quia abscondit faciem suam a domo Jacob. Causa vero aversionis est ira Dei in pœnam peccati. Et hæc aversio est maxima pœnarum, et hoc est quod dicit: " Et ne declines in ira a servo tuo, „ idest ne irascaris mihi in hoc quod declines faciem tuam a me. Et dixit " in ira, „ quia aliquando declinat in misericordia, cum scilicet non respicit peccata. Psal. LIII: Averte faciem tuam a peccatis meis. Aliquando declinat in providentia, quando scilicet permittit aliquem cadere ut fortius resurgat, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. VIII. Hæc ille.

DE SATISFACTIONE.

88. Satisfactio definitur a D. Thoma in IV, dist. 15, q. 1, art. 1, quæstiunc. 3: Est injuriæ illatæ recompensatio secundum justitiæ æqualitatem. Et eadem est definitio Anselmi: Satisfacere est Deo debitum honorem impendere, ut consideretur debitum ratione culpæ commissæ. — Satisfactio est actus virtutis materialiter et formaliter, elicitive quidem justitiæ vindicativæ, imperative vero est actus charitatis. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1 et 2. — Confessor laudabiliter imponit pœnitenti: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum; quia dupliciter valet talis injunctio, scilicet ex natura operis et ex vi clavium. Ideo est satisfactio sacramentalis. Satisfactio gravis non debet imponi, ne spiritus frangatur; sed notificari debet pœnitenti, ut bene agendo assuefiat ad majora. Ita D. Thomas in IV, dist. 18, q. 1, art. 3, quæstiunc. 4: Unus homo potest satisfacere pro alio in quantum sunt unum in charitate. D. Thomas 3 p., q. 14, art. 1; et Opusc. LVIII explicans

illud Cant. v: Aperi mihi, soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, dicit sic: " Aperi mihi, „ idest suscipe me in mentem tuam, in memoriam et dilectionem tuam; " quia caput meum, „ scilicet divinitas, " plenum est rore, „ idest misericordia ad dimittendum peccata; " et cincinni mei, „ idest humanitas, " guttis noctium, „ idest effusione sudoris lacrymarum et sanguinis passionum ad redimendam hæreditatem tuam, pro satisfactione peccatorum impignoratam.

89. Purgantur etiam peccata per virtutem pœnitentiæ. De pœnitentia virtute disputat D. Thomas, 3 p., per multas QQ. In q. 85, art. 1 definit quod est virtus, et est specialis virtus; in 2 art., quod est species justitiæ; in 3 quod subjectatur in voluntate. Idem dicit in 4. In q. 86 definit quod per pœnitentiam in quantum est virtus omnia peccata delentur; et probat ex illo Ezech. XVIII: Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor amplius. Et in art. 2 probat quod est impossibile deleri peccata sine virtute pœnitentiæ. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatori remittit quo remittit offensam in se commissam; offensa autem directe opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellit eum a gratia sua; offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile: unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis immutetur et convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendæ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia secundum quod est virtus.

ARTICULUS IV.

Debent incipientes peccata venialia vitare.

90. D. Thomas 1 2, q. 88, art. 2: Peccatum potest dici veniale multipliciter. Primo pro eo quod veniam obtinere potest: qua ratione omne peccatum veniale dici potest in hac vita. Secundo

dicitur veniale ab eventu, quia in rei veritate veniam est consequutum. In hac acceptatione D. Ambrosius, lib. De paradiso, c. XIV, art. 1, appellavit veniale peccatum Evæ. Et Augustinus De vera et falsa pœnitentia, ait per pœnitentiam mortalia fieri venialia, et in hac acceptatione usus est Vega In Trident., cap. II, ubi citat Magistrum et Chrysostomum. Tertio dicitur peccatum veniale ex parte causæ excusantis, ut quando fit ex fragilitate vel ignorantia, dicitur dignum venia, juxta illud I. ad Tim. I: Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quarto dicitur veniale quia est levis et exigua culpa, cui non gravis pœna, sed levis debet correspondere. Peccatum proprie dicitur veniale, quia solum dicit deordinationem circa media; et non est contra legem, sed præter legem: peccatum vero mortale dicit deordinationem circa ultimum finem, et est contra legem.

91. Peccatum veniale non vulgarem gravitatem secum affert, quia, ut dicit D. Thomas 2 2, q. 110, art. 3 ad 4; et in IV, dist. 17, q. 2, art. 3, quæstiunc. 5 ad 4: Quilibet debet potius mori et præeligere omnem pœnam in generali, quam peccare venialiter. Optime quidem leve peccatum animæ vulnus atque ægritudo a D. Thoma nominatur. Nam si ægritudo corporalis naturam corporis turbat et ab optimo statu dimovet, eodem modo veniale peccatum naturam nostræ mentis miscet, et ab ea qua Deus contemplandus est tranquillitate divellit. Unde Bernardus, serm. De triplici genere bonorum, ait: Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia, turbato oculo, non videbitur Deus, et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Eccle. X: Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. O quam apte peccata levia muscis comparantur quæ omnia fœdant, omnibus actionibus insident, et ea quoque quæ in mensa regi apponenda sunt, idest ad cultum Domini offerenda, miserabili audacia commaculant. Ista peccata ægritudines sunt ac invaletudines animæ, quæ instar lepræ omnes ejus vires ac sensus inficiunt. Nam, ut Augustinus ait, serm. 41 De Sanctis, quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix aut cum grandi confusione venire permittant. De leproso hæc in Levit. scripta sunt cap. XIII: Habebit ve-

stimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. Hæc omnia signa sunt luctus atque tristitiæ; et sane nos, qui singulis diebus lepram istam de novo contrahimus, et non nisi parvo tempore illa caremus, utique deberemus, si non vestimenta exteriora, at corda nostra in quotidiana examinatione vi doloris obrumpere, caput in signum pœnitudinis conspersum humilitatis cinere omni lætitiæ corona nudare, os præ rubore et verecundia ad omnem excusationem nostram opprimere, et nos ipsos plane immundissimos ac fœdissimos confiteri. Contemnemus nos quibus fere semper ægritudinibus laboramus, quæ oculos mentis obnubilant, aures ad divinos instinctus audiendos obturant, manus gravant, pedes retardant, et omnem exteriorem hominem ad perfectionis opera pigrum reddunt. Sunt ergo ista peccata levia sicut pestilentes morbi, quos si diligentissima medicina non comprimat, certissimam et citissimam mortem intentant. Sunt velut cuneus qui in principio modicam rimulam in ligno facit, sed eam faber lignarius ictus multiplicando usque ad scissionem ligni producit. Sunt sicut mucro valide carnem tangens et pellem obrumpens, quæ statim carnem pervadet et corpus omnino perfodiet. Sunt ut ignis stipulæ admotus qui nunc tantisper immutat, et e vestigio eam voracitate suæ virtutis inflammat. Sunt velut erga præcipitium casus, quem continuo ob loci periculum miserabilis præcipitatio subsequitur. Dicit Augustinus lib. De decem chordis: Noli illa contemnere, idest levia peccata, quia minora sunt, sed time quia plura sunt.

92. D. Thomas in q. De malo, q. 7, art. 2, quærit utrum peccatum veniale diminuat charitatem. Postquam probavit quod charitas habita non potest diminui per veniale peccatum, nec ex parte agentis Dei, neque ex parte causæ recipientis, scilicet hominis, ut dicit Augustinus Tract. III in Evang., concludit in fine artic. quod potest veniale peccatum esse causa ut in principio minor charitas infundatur, in quantum scilicet impedit actum liberi arbitrii, quo homo ad gratiam suscipiendam disponitur. Et per hunc etiam modum potest impedire ne charitas habita crescat, impediendo scilicet actum meritorium quo quis charitatis augmentum mereretur. Et in isto sensu sunt intelligendæ auctoritates Scripturæ et SS. Patrum. Sicut enim ignis aqua conspersus mortificatur, et intepescit, et vim urendi

et consumendi remittit, ita flamma charitatis imbre horum peccatorum attacta vim consumendi veterem hominem, et desideria nostra ad res cœlestes erigendi, deponit. Nam et cinis carbonibus superinjectus ipsorum tum splendorem fuscat, tum ardorem impedit, adeo ut juxta eos positi nullum sentiamus calorem; et peccata hæc pulvis et cinis sunt: pulvis, quia splendorem charitatis obnubilant; et cinis, quia debilitant conceptum ex puritate fervorem. Videbis aliquos justos in meditatione frigidos, in oratione segnes, in divinis laudibus tepidos, qui nunquam lacrymis irrigantur, nunquam interna suavitate irrorantur, vix compunctionis sensu tanguntur: et si causam hujus insensibilitatis scruteris, non aliam quam defectuum multitudinem et in vitandis modicis peccatis insignem oscitantiam invenies. Sicut enim parvis sed multis vulneribus sauciatus est ad salutis actiones imbecillis, neque potest ut sanus progredi, aut velociter currere, vel magnum pondus sustinere: ita anima tot plagis licet parvis affecta, neque opera perfectionis hilariter perficit, neque fortiter insultibus adversarii resistit. Calor quidem corpora levia, frigus vero gravia et ponderosa reddit; quare istud frigus a peccatorum levium copia profectum, infelicem animam gravat et ad bona opera assurgere et properare non sinit. Quod in illis verbis expressum intelligo: Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: Sap. IX.

93. D. Thomas, p. 2, q. 89, art. 2; et in IV, dist. 21, q. 1, art. 2, et q. 2, art. 9; et dist. 46, q. 2, art. 3 ad 3, et I. Cor. III, comparat peccata venialia ad lignum, fœnum et stipulam, quia sunt quædam peccata ita levia ut stipulæ comparentur: cui utique ignis illatus diu non potest immorari. Alia vero fœno esse similia, quæ et ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardius quam stipulis immoretur. Alia vero esse quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum diuturnum et grande pabulum ignis inveniet. Ita ergo unumquodque peccatum pro qualitate vel quantitate sui pœnarum justa persolvit.

94. Majora peccata sunt intra latitudinem venialium, quæ ex genere quidem suo mortalia sunt, sed ob carentiam pleni et deliberati consensus, aut ob materiæ exiguitatem, venialia dicuntur. Hujusmodi sunt cogitatio impudica, et appetitus vin-

dictæ, cui negligenter obstitimus, non tamen in eum plene consensimus; detractio proximi de re non multi momenti, irrisio illius qui ob imperitiam in aliquo deficit. Hæc merito lignis comparantur quia crassiora sunt. Ecce ligna domus leprosæ, idest animæ pristinis vitiis affectæ; quæ ligna mittenda sunt extra civitatem, ne paulatim omnia contaminent. Ecce ligna non integra, sed a locusta corrosa, hoc est dæmonum morsibus fœdata; quæ non fructibus ferendis, sed igni succendendo deserviunt. — Media peccata sunt quæ ex genere quidem venialia censentur, sed scienter et ex industria, et quasi ex malitia committuntur. Ad quod genus pertinent officiosa mendacia, otiosi sermones, scurrilitates, cachinnationes, curiositates audiendi aut legendi vana. Et hæc dicuntur fœno similia, quoniam sicut fœnum, non quantum ligna in igne durabunt, sed longo etiam tempore in pœna manebunt. Fœnum jumentorum est pabulum, et hæc peccata sunt alimenta imperfectorum, et hominum incipientium. Ecce fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit; nam licet ad momentum nos aliqua imagine voluptatis oblectet, tamen statim evanescit, et animam inquietam, aridam et tristem relinquit. — Levissima peccata sunt quæ non inverecundia aut prócacitas parit, sicut proxime dicta, sed infirmitas humana, bonam voluntatem habens perfecte vivendi, sæpe non potens se omnino continere, committit. Hujus autem generis peccatorum sunt modica in oratione, in psalmodia, aut in Missæ celebratione distractio, quam inquietudo naturalis humanæ mentis invexit. Ista stipulæ assimilantur, quoniam facillime purgantur. Et sicut palea citissime a vento rapitur, et levi flatu in varia dispergitur, et tenui flamma consumitur: ita peccata hæc quæ multum habent infirmitatis, parum autem voluntatis, si hinc non purgati discedimus, cito in purgatorio punientur.

95. D. Thomas in IV, dist. 12, q. 2, a. 2, quæstiunc. 1 ad 1, dicit: Non est inconveniens quod aliqua hora homo sit absque omni peccato veniali, quamvis hoc diu durare non potest propter difficultatem vitandi peccata venialia. Et in IV, dist. 21, qu. 2, art. 1 ad 4, explicans illud I. Joan. I: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, dicit: Non fuit intentio Apostoli affirmare quod non sit aliquod momentum in quo homo non sit sine peccato quoad culpam, sed quia

ista vita a nullo sine peccato agitur. Et, q. 7 De malo, affirmat quod aliqua hora homo sit absque omni peccato; et, p. 1, quæst. 109, art. 8 et 9, dicit quod homo per gratiam potest vitare singula peccata, hæc doctrina explicatur ex his quæ modo dicentur. Multis et perfectis hominibus in carne viventibus hoc concessum est, ut post conversionem suam et gustatam Spiritus sancti dulcedinem, nunquam aut rarissime peccata venialia scienter, et ex industria, et cum plena deliberatione committant. Ita scilicet ut advertentes ipsi hoc verbum esse peccatum veniale, ob reverentiam Divinæ Majestatis, quam unice venerantur et diligunt, illud verbum nec pro salute totius mundi proferre constituant. Viri autem perfecti aut fervide proficientes, scientia illuminati qua aliquod peccatum leve esse cognoscunt, et gratia ampliori roborati, et dulcedine divini amoris allecti, non est cur non facile carnis infirmitatem superent, et motus ejus ad illicita tendentes cohibeant. Hos Bernardus beatos et felices appellat. Beatus hujusmodi homo, inquit, et abundanti Spiritus influens majestate, qui suavis et unctus portat omnes, et neminem onerat ipse; qui terribilius et horribilius ipsa gehenna judicat in re levissima vultum Omnipotentis scienter offendere. Serm. De III cohærentia.

96. Audiamus præclaram sententiam D. Thomæ, 3 p., q. 87, art. 1 ad 1: Debet tamen homo habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. Afflictio justorum in hoc mundo purgat eos a levibus peccatis, et erigit affectum a terrenis ad Deum. Et p. p., qu. 21, art. 4 in responsione ad 3, dicit quod in hoc etiam quod justi puniuntur in hoc mundo, apparet justitia et misericordia, in quantum per hujusmodi afflictiones aliqua levia in eis purgantur, et ab affectu terrenorum in Deum magis eriguntur, secundum illud Greg. lib. XXVI Moral., cap. IX: Mala quæ in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt. D. Thomas 3 p., q. 87, art. 1, loquens de remissione venialium peccatorum, dicit præcipue in corpore quod remissio culpæ fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliqualiter separat culpa. Sed hæc separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale; imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum

mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum veniale retardatur affectus hominis ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale: quia manente causa, manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum commissum detestetur quantum in se est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis vel pœnitentiæ virtutis: quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia: puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hæc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

ARTICULUS V.

Debent incipientes habere notitiam claram virtutum.

97. D. Thomas 1 2, q. 55, art. 4, adducit et approbat definitionem virtutis traditam a D. Augustino: Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Ista definitio, dicit sanctus Doctor, perfecte complectitur totam rationem virtutis. Perfecta enim ratio cujuscumque rei colligitur ex omnibus causis ejus. Comprehendit autem prædicta definitio omnes causas virtutis. Causa namque formalis virtutis, sicut et cujuslibet rei, accipitur ex ejus genere et differentia, cum dicitur bona qualitas. Genus enim virtutis qualitas est; differentia, bonum: esset tamen convenientior definitio, si loco qualitatis habitus poneretur,

qui est genus propinquum. Virtus autem non habet materiam ex qua, sicut nec alia accidentia, sed habet materiam circa quam, et materiam in qua, scilicet subjectum. Materia autem circa quam est objectum virtutis; quod non potuit poni in prædicta definitione, eo quod per objectum determinatur virtus ad speciem: hic autem assignatur definitio virtutis in communi; unde ponitur subjectum loco causæ materialis, cum dicitur quod est bona qualitas mentis. Operatio est finis virtutis, cum sit habitus operativus semper se habens ad bonum, et ideo dicitur: Qua recte vivitur. Ut autem discernatur ab his quæ se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur: Qua nullus male utitur. Causa autem efficiens virtutis infusæ Deus est; et ideo dicitur: Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quæ quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus, et acquisitis, et infusis.

98. Virtus dividitur in acquisitam et infusam: acquisita, quæ acquiritur nostris actibus; infusa, quæ a Deo infunditur. — Virtus infusa solum causatur a Deo, ut docet S. Thomas in IV, dist. 14, art. 2 ad 1. Sed, ut idem Sanctus in eodem loco docet, nihil prohibet etiam actus nostros esse causas per accidens, scilicet removens prohibens virtutis infusæ, sicut etiam sunt causæ gratiæ baptismalis in quantum prohibent fictionem; et hoc modo per pœnitentiam virtutes restituuntur. Et D. Thomas, quæst. unica De virtutibus, art. 10 ad 17, dicit quod, licet virtus infusa non causetur ex actibus, tamen actus possunt ad eam disponere: unde non est inconveniens quod per actus corrumpantur, quia per indispositionem materiæ tollitur forma, sicut propter indispositionem corporis anima separatur. Istæ virtutes infusæ causantur in nobis a Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus; et sic est intelligendum quod dicitur: Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quæ vero per nos aguntur, Deus in nobis causat non sine nobis agentibus: ipse enim operatur in omni voluntate et natura. Ita D. Thomas 1 2, q. 55, art. 4 ad 6. — Virtutes morales infusæ sunt perfectæ, quia informantur a charitate, ut docet D. Thomas 1 2, q. 65, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum; aliæ vero virtutes, scilicet acquisitæ, sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter: ordinant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere. non autem respectu finis

ultimi simpliciter. Unde ad Rom. XIV: Omne quod non est ex fide, peccatum est, dicit Glossa Augustini: Ubi deest cognitio veritatis, falsa est virtus, etiam in bonis moribus. Hoc idem docet D. Thomas, De virtutibus, q. 1, art. 9 ad 7: Virtus infusa est maximum bonum simpliciter. Sola virtus infusa est principium actus meritorii, ut docet D. Thomas, De veritate, q. 24, art. 14 ad 6. — Virtutes infusæ non auferunt contrarias dispositiones; et ideo idem D. Thomas 1 2, q. 65, art. 3 ad 2, dicit quod quandoque contingit quod aliquis habens habitum, patitur difficultatem in operando, et per consequens non sentit delectationem et complacentiam in actu propter aliquod impedimentum extrinsecus superveniens: sicut ille qui habet habitum scientiæ patitur difficultatem in intelligendo propter somnolentiam, vel aliquam infirmitatem. Et similiter habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias, ex præcedentibus actibus relictas. Virtutes infusæ augentur per actionem Dei, ut docet D. Thomas 1 2, q. 92, art. 1 ad 1.

99. Virtutes infusæ aliæ sunt theologales, aliæ vero non. Virtutes theologales sunt quibus mens humana Deo conjungitur. D. Thomas 1 2, qu. 68, art. 8. Et istæ sunt tantum tres, ut probat D. Thomas 1 2, q. 62, art. 3, primo ex illo Apostoli I. Cor. XIII: Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc. In corpore probat: Virtutes theologicæ hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem. Hoc autem contingit secundum duo: primo quidem secundum rationem vel intellectum, in quantum continet prima principia universalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in speculandis quam in agendis; secundo per rectitudinem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Sed hæc duo deficiunt in ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud I. Cor. II: Oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se; unde oportuit quod quantum ad utrumque aliquid homini supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primo quidem quantum ad intellectum adduntur homini quædam principia supernaturalia, quæ divino lumine capiuntur; et hæc sunt cre-

dibilia, de quibus est fides. Secundo vero est voluntas, quæ ordinatur ad illum finem et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem; et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem. — Istæ tres virtutes secundum habitus sunt simul, quia habitus simul infunduntur, ut docet D. Thomas 1 2, q. 62, art. 4. Sed secundum actus viæ generationis, in qua imperfectum est prius perfecto, fides præcedit spem, et spes charitatem secundum actus; non enim potest in aliquid motus appetitivus tendere, vel sperando, vel amando, nisi in quod est apprehensum sensu, vel intellectu: per fidem autem apprehendit intellectus ea quæ sperat et amat. Unde oportet quod ordine generationis fides præcedat spem et charitatem; ordine vero perfectionis charitas præcedat fidem et spem. — Virtutes istæ theologales sunt cæteris virtutibus nobiliores, et etiam donis, ut probat D. Thomas 1 2, q. 68, art. 8; et 2 2, q. 9, art. 1 ad 3. Dona sunt perfectiora virtutibus moralibus et intellectualibus, non autem sunt perfectiora virtutibus theologicis: sed magis omnia dona ad perfectionem theologicarum virtutum ordinantur sicut ad finem. D. Thomas, 2 2, q. 136, art. 2, probat quod tanto principalior sit virtus et potior, quanto magis et directius ordinet hominem in bonum; et quia fides, spes et charitas ordinant magis et directius ad bonum, ideo sunt potiores et principaliores. — Istæ virtutes theologicæ sunt causæ cæterarum virtutum, quæ divinitus causantur in nobis, quia, ut docet D. Thomas 1 2, q. 63, art. 3, ita se habent isti habitus in ordine ad virtutes theologales, sicut se habent virtutes morales et intellectuales ad principia naturalia virtutum. Omni virtuti theologicæ convenit ut supra eam aliæ firmentur. Ita D. Thomas De virtutibus, q. 1, art. 12 ad 24. Istæ virtutes habent Deum pro objecto, ut late probat D. Thomas, 1 2, et 2 2, in multis art. — Omnes virtutes respiciunt theologicas sicut finem. Hoc probat D. Thomas I. ad Tim. super caput I, lect. 2, in illa verba: Finis præcepti est charitas. Dicit Sanctus primo quod omnia præcepta legis sunt de actibus virtutum, et quod per omnes actus virtutum ordinatur homo unus ad alium; secundo quod objectum unius virtutis est finis alterius, quia quandocumque una potentia est circa aliquem finem, ad illam ordinantur omnia

quæ sunt ejusdem, sicut ad finem; sicut frenetiva ad equestrem, quia officium equestris est ejus finis, hæc autem ad ducem. Virtutes autem theologicæ ultimum finem habent pro objecto; aliæ autem sunt circa ea quæ sunt ad finem: virtutes ergo omnes respiciunt theologicas, sicut finem. Inter theologicas vero illa plus habet de ratione finis, quæ propinquius se habet ad ultimum finem. Fides autem ostendit eum, spes facit tendere in eum, charitas unit. Ergo omnes ordinantur ad charitatem, et sic dicitur charitas finis præceptorum.

100. Virtus acquisita dividitur in intellectualem et moralem. Virtutes intellectuales sunt quibus ratio ipsa perficitur. Ita D. Thomas 1 2, qu. 68, art. 8. Et non omnis habitus habens pro objecto intellectum est virtus intellectus, nisi perficiat intellectum quoad objectum, et quoad modum actus. Hoc docet D. Thomas in III, dist. 23, q. 2, art. 3, quæstiunc. 3. — Virtutes intellectuales speculativæ sunt tantum tres, scilicet intelligentia, sapientia et scientia. Intelligentia est quæ versatur circa prima principia; scientia, habitus certus et evidens per demonstrationem acquisitus; sapientia est habitus qui versatur circa altissimas causas. Practicæ sunt duæ, nimirum ars et prudentia. Ars est habitus recte cum ratione factivus; prudentia recta ratio agibilium. — Omnes istæ definitiones proponuntur a sancto Thoma 1 2, q. 57, art. 2, 3 et 4. Omnis virtus intellectualis speculativa est tantum circa necessaria, practica vero est tantum circa contingentia. D. Thomas 1 2, qu. 57, art. 5 ad 3. Bonum virtutis intellectualis est verum speculative quidem absolute, practicæ vero secundum conformitatem ad appetitum rectum. D. Thomas 1 2, qu. 57, art. 2 ad 3. — Virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus; et in ipsis virtutibus intellectualibus, contemplativæ præferuntur activis, ut sapientia intellectui, et scientia prudentiæ et arti, ita tamen quod sapientia præfertur intellectui, et intellectus scientiæ, sicut prudentia et synesis eubuliæ. Ita D. Thomas 1 2, q. 68, art. 7. — Virtutes intellectuales pertinent ad scientiam moralem, in quantum actus earum subduntur imperio rationis. Hoc docet D. Thomas in III, dist. 23, q. 1, art. 4, quæstiunc. 2 ad 2. Virtutes intellectualas non pertinent ad scientiam ethicam, quasi sint essentialiter morales, sed in quantum earum usus moralis est quod a voluntate imperatur.

101. Virtutes morales sunt quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi. Ita D. Thomas 1 2, q. 68, art. 8. — Habitus moralis habet rationem virtutis in quantum rationi conformatur. Hoc probatur breviter a D. Thoma, 1 2, qu. 58, art. 2, in fine corporis. Sicut appetitus distinguitur a ratione, ita virtus moralis distinguitur ab intellectuali: unde sicut appetitus est principium humani actus, secundum hoc quod participat aliqualiter rationem: ita habitus moralis habet rationem virtutis humanæ, in quantum rationi conformatur. — Ad perfectionem virtutis moralis tria sunt necessaria, scilicet præstitutio finis, inclinatio in finem, et electio eorum quæ sunt ad finem. Ita D. Thomas in III, dist. 33, q. 2, art. 3. Finis autem proximus humanæ vitæ est bonum rationis in communi. Unde dicit D. Dionysius, cap. IV De divinis nominibus, quod malum hominis est contra rationem esse; et ideo est intentum in omnibus virtutibus moralibus ut passiones et operationes ad rectitudinem rationis reducantur: rectitudo autem rationis naturalis est. Unde hoc modo præstitutio finis ad naturalem rationem pertinet, et præcedit prudentiam, sicut intellectus principiorum scientiam. Unde medium virtutis moralis, ut in secundo Ethicorum dicitur, est secundum rationem rectam quæ est prudentia, et sic quodammodo prudentia præstituit finem virtutibus moralibus: sed inclinatio in finem illum pertinet ad virtutem moralem quæ consentit in bonum rationis per modum naturæ. Et hæc inclinatio in finem dicitur electio, in quantum finis proximus ad finem ultimum ordinatur. Et ideo dicit Philosophus quod virtus moralis facit electionem rectam. — Materia virtutum moralium duplex, scilicet materia propinqua, nempe passiones; et materia remota, scilicet objecta passionum. Objecta passionum diversarum potentiarum semper causant diversas species virtutum moralium. Hoc docet D. Thomas 1 2, q. 60, a. 5. — Formale cujuslibet virtutis moralis est ratio medii. Hoc probat D. Thomas in IV, dist. 15, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1. Alio modo dicitur aliquis actus esse actus virtutis formaliter, quia in suo nomine formam et rationem virtutis implicitam habet, sicut fortiter sustinere dicitur actus fortitudinis; formale autem cujuslibet virtutis moralis est ratio medii, unde omnis actus qui rationem medii importat, actus virtutis formaliter est. Et quia æqualitas medium est, quod suo nomine

satisfactio importet (non enim dicitur aliquid satisfactum, nisi secundum proportionem æqualitatis ad aliquid), constat quod satisfactio etiam formaliter est actus virtutis. — Virtutes morales sunt connexæ. Hoc probat D. Thomas 1 2, q. 65, art. 1, duplici ratione. Solum adducam secundam, quæ fundatur in doctrina Aristotelis, IV Ethicorum, quia sicut nulla virtus moralis potest haberi sine prudentia, eo quod proprium virtutis moralis est facere electionem rectam, cum sit habitus electivus; ad rectam autem electionem non solum sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directe per habitum virtutis moralis, sed etiam quod aliquis directe eligat ea quæ sunt ad finem, quod fit per prudentiam, quæ est consiliativa, et judicativa, et præceptiva eorum quæ sunt ad finem: similiter etiam prudentia non potest haberi, nisi habeantur virtutes morales, cum prudentia sit recta ratio agibilium, quæ sicut ex principiis procedit ex finibus agibilium ad quos aliquis recte se habet per virtutes morales; unde sicut scientia speculativa non potest haberi sine intellectu principiorum, ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. Ex quo manifeste sequitur virtutes morales esse connexas.

102. Omnes virtutes morales reducuntur ad quatuor cardinales. Ita docet D. Thomas in prologo secundæ secundæ. Virtutes cardinales dicuntur in quibus tota vita moralis firmatur, sicut ostium firmatur in cardine. Hoc probat D. Thomas in III, dist. 33, q. 2, art. 1, quæstiunc. 1, sub his verbis: Actus moti fundantur super actionem moventis: ideo actus secundariæ virtutis fundatur super actionem principalis (quæ sunt virtutes cardinales), sicut fundatur super cardinem motus ostii; et ideo virtus principalis dicitur esse cardinalis, et virtus secundaria dicitur adjuncta illi. In Quæstiuncula secunda dicit quod virtutes cardinales dicuntur ad similitudinem cardinis in quo motus ostii firmatur. De ratione autem ostii est ut per ipsum interiora domus adeantur; et ideo illud per quod non est motus in aliquid ulterius, non habet rationem ostii. Virtutes theologicæ cum sint circa finem ultimum, non est aliquid aliud ulterius ex parte objecti in quod tendant: unde in virtutibus theologicis non invenitur ratio ostii, et propter hoc non possunt dici cardinales. Similiter nec in virtutibus intellectualibus, quia perficiunt in vita contemplativa, quæ non ordinatur ulterius ad alteram vitam, sed activa ad ipsam ordinatur. Unde cum vir-

tutes morales perficiant in vita activa, et habeant actus suos non circa finem ultimum, sed circa objectum, ex utraque parte manet in eis ratio ostii: et propter hoc cardinales virtutes inveniuntur solum in genere morali. — Istæ virtutes cardinales non sunt nisi quatuor. Hoc probat D. Thomas in IV, dist. citata, art. 1, quæstiunc. 3. Quia cum moralium virtutum materiæ sint ea quæ ad appetitum pertinent, in quibus etiam ratio dirigit, prædicta materia potest dupliciter considerari: uno modo prout habet rationem conciliabilis et eligibilis, secundum quod ratio circa eam operatur: et sic est prudentia, quæ est media inter intellectuales et morales. Alio modo, secundum quod habet rationem boni appetibilis. Ad appetitum autem duo pertinent, scilicet actio et passio: passio autem est in irascibili et concupiscibili. Circa actiones ergo est justitia; circa passiones irascibilis, fortitudo; circa passiones concupiscibilis, temperantia. Et sic sunt quatuor virtutes cardinales. Inter passiones autem concupiscibilis præcipuæ sunt delectationes secundum tactum, circa quas est temperantia. Et ideo in hac materia ipsa est cardinalis virtus. In passionibus autem irascibilis præcipuæ sunt illæ quæ sunt ex difficili, quod natum est mortem incurrere: et ideo fortitudo, quæ est circa hujusmodi passiones, est in hac materia cardinalis virtus. In actionibus autem quæ sunt circa res quæ in usum vitæ veniunt, quibus ad invicem communicamus, præcipuæ sunt illæ actiones quibus hujusmodi res distinguuntur, quia prædicta distinctio est communicationis principium; et ideo justitia, quæ tribuit unicuique quod suum est, est cardinalis virtus in hac materia. Inter autem ea quæ ratio circa moralia operatur, præcipuum est præceptum de agendis, ad quod consilium et omnia hujusmodi ordinantur: et ideo prudentia, quæ est præceptiva, est cardinalis in ista materia.

103. Virtutes cardinales convenienter dividuntur in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi et exemplares. Hoc docet D. Thomas 1 2, q. 61, art. 5. Sicut dicit Augustinus in lib. De moribus Ecclesiæ, oportet quod anima aliquid sequatur ad hoc ut ei possit virtus innasci: et hoc Deus est. Quem si sequimur, bene vivimus. Patet igitur quod exemplar humanæ virtutis in Deo præexistat, sicut etiam in eo præexistunt omnium rerum rationes. Sic igitur virtus potest considerari vel prout est exem-

plariter in Deo: et sic dicuntur virtutes exemplares, ita scilicet quod ipsa divina mens in Deo dicatur prudentia; temperantia vero conversio divinæ intentionis ad ipsum, sicut in nobis temperantia dicitur per hoc quod concupiscibilis conformatur rationi; fortitudo autem Dei est ejus immutabilitas; justitia vero Dei est observatio legis æternæ in suis operibus. Et quia homo secundum suam naturam est animal politicum, virtutes hujusmodi, prout in homine existunt secundum conditionem suæ naturæ, politicæ vocantur, prout scilicet homo secundum virtutes recte se habet in rebus humanis gerendis: secundum quem modum hactenus de his virtutibus locuti sumus. Sed quia ad hominem pertinet ut etiam ad divina se trahat quantum potest, et hoc nobis in sacra Scriptura commendatur multipliciter, secundum illud Matthæi v: Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, necesse est ponere quasdam virtutes medias inter politicas, quæ sunt virtutes humanæ, et exemplares, quæ sunt virtutes divinæ; quæ quidem virtutes distinguuntur secundum diversitatem motus et termini: ita scilicet quod quædam sunt virtutes transeuntium, et in divinam similitudinem tendentium, et hæ vocantur virtutes purgatoriæ; ita scilicet quod prudentia omnia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ cogitationem in divina sola dirigat; temperantia vero relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit; fortitudinis autem est ut anima non terreatur propter recessum a corpore, et excessum ad superna; justitia vero est ut tota anima consentiat ad hujusmodi propositi viam. Quædam vero sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam purgati animi, ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Hæc ille.

ARTICULUS VI.

De multiplici imperfectione incipientium.

104. Aliqui viri spirituales omnes incipientium defectus ad capita peccatorum mortalium fuse reducunt. Et quantum at-

tinet ad superbiam, quæ secundum D. Thomam, 2 2, qu. 162, art. 1 et 2, definitur inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, incipientes ex devotionis sensu, quem Deus eis benigne communicat ut a terrenis voluptatibus segregatos ad cœlestes delicias fortiter et suaviter alliciat, superbiendi sumunt occasionem, licet ex natura sua res sanctæ potius humilitatis quam superbiæ causam præbeant; cumque se prosperis auris navigare conspiciunt, hanc prosperitatem suis meritis attribuentes, in se ipsis tamquam dignis, et in suis operibus velut excellentibus temere complacent: unde superbe sapientes ac plurimum de se præsumentes, alios facile despiciunt, quos externa devotione carere conspiciunt, et more pharisæi superbia tumidi, cæteros contemnentes, in suis orationibus sua potius temere jactant opera, quam divina referant humiliter beneficia, et Deo gratias pro ipsis rependant; eoque deveniunt superbiæ, ut ex una parte plurima et asperrima virtutis exercitia subeant ut appareant coram hominibus; ex alia vero parte cæterorum virtutes et gestibus et verbis, occasione data, reprehendant, ut ex eorum humiliatione singulariter ipsi boni ac in virtute eminentes videantur. Ex quo sequitur quod confessarios aut vitæ spiritualis directores quærant, non quasi veritatis et humilitatis doctores, sed magis sui fastus approbatores ac perniciosos adulatores: unde huc illuc permutando directores divagantur, donec tales invenerint, et summo studio devitant eos quos suis erroribus contrarios viam humilitatis docere conspiciunt; miris inventionibus confessoris et directoris ambiunt affectum et applausum, eique sui spiritus rationem reddentes fictos nonnunquam internos Dei favores simulate referunt, ut ab ipso plus cæteris æstimentur, et invidia misere tabescunt si quos ab ipso sibi videant præferri; et inde est quod externum devotionis fervorem, quem sæpe diabolus accendit, ad hunc effectum parere affectent, et proprios defectus pro viribus occultant; imo contingit aliquando quod secretos et ignotos confessores habeant quibus peccata confiteantur, ut ordinario et noto suo confessori sola virtutum opera et divinos favores manifestent. Ex eadem radice superbiæ procedit quod similes incipientes vel proprios defectus quasi nullos negligant, vel de eis plus nimio confundantur et inquietentur, ita ut amori proprio potius consulentes quam amori divino studentes, importunis precibus se ab illis

liberari precentur. Rari sunt incipientes qui in prædictos aut similes defectus, et aliquando in multo graviores non cadant.

105. Audiamus D. Thomam in expositione cap. II, I. Cor. super illa verba: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. — Dicit Sanctus, depingens ad vivum istos superbos ratione devotionis sensibilis quæ est in parte animali: Considerandum est quis homo dicatur animalis. Anima est forma corporis. Unde proprie animæ intelliguntur illæ vires quæ sunt actus corporalium organorum, scilicet vires sensitivæ. Dicuntur ergo homines animales quia hujusmodi vires sequuntur, inter quas est vis apprehensiva et appetitiva: et ideo potest dici homo dupliciter animalis: uno modo quantum ad vim apprehensivam: et hic dicitur animalis sensu, quia, sicut dicitur in Glossa, de Deo juxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam judicat, quæ secundum vires sensitivas accipiuntur. Alio modo dicitur quis animalis quantum ad vim appetitivam, quia scilicet afficitur solum ad ea quæ sunt secundum appetitum sensitivum: et talis dicitur animalis vita, quia, sicut dicitur in Glossa, sequitur dissolutam lasciviam animæ suæ, quam inter naturalis ordinis metas spiritus rector non continet. Unde dicitur in Canonica Judæ: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. — Secundo autem videndum, quare tales non possunt percipere ea quæ sunt spiritus Dei, ut isti superbi propter devotionem sensibilem. Quod quidem manifestum est et quantum ad animalem sensum, et quantum ad animalem vitam. Ea enim de quibus Spiritus sanctus illustrat mentem, sunt supra sensum et rationem humanam, secundum illud Eccli. III: Plura supra sensum hominis ostensa sunt ibi; et ideo ab eo capi non possunt, qui soli cognitioni sensitivæ innititur. Spiritus etiam sanctus accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis, et ideo ille qui est animalis vitæ non potest capere hujusmodi spiritualia bona. Proverb. XVIII: Non recipit stultus verba prudentiæ. Eccli. XXII: Cum dormiente loquitur qui narrat sapientiam stulto. Deinde cum dicit: " Stultitia enim est illi, „ manifestat quod dixerat per signum; cum enim aliquis aliqua

sapienter dicta reprobat quasi stulta, signum est quod ea non capiat. Quia igitur animalis homo ea quæ sunt spiritus Dei reputat stulta, ex hoc manifestatur quod ea non capit. Et hoc est quod dicit: " stultitia enim est illi, „ scilicet animali. Judicat enim esse stulta quæ secundum Spiritum Dei aguntur. Eccli. x: In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Quod autem homini animali quæ secundum spiritum sunt videantur stulta, non procedit ex rectitudine sensus: sicut sapientes aliqua judicant esse stulta quæ stultis videntur sapientia propter defectum intellectus, quia homo sensui deditus non potest intelligere ea quæ supra sensum sunt, et homo carnalibus affectus non intelligit esse bonum, nisi quod est delectabile secundum carnem. Et hoc est quod sequitur: " et non potest intelligere. „ Psal. LXXXI: Nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Quare autem non possit intelligere, ostendit subdens: " quia spiritualiter examinatur, „ idest spiritualium examinatio fit spiritualiter: nunquam enim inferior potest examinare et judicare ea quæ sunt superioris, sicut sensus non potest examinare ea quæ sunt intellectus; et similiter neque sensus, neque ratio humana potest judicare ea quæ sunt spiritus Dei: et ita relinquitur quod hujusmodi a solo Spiritu sancto examinantur, secundum illud Psal. XVII: Eloquia Domini igne examinata, probata scilicet a Spiritu sancto. Quia ergo animalis homo (ut isti superbi qui alios dijudicant) caret Spiritu sancto, non potest spiritualia examinare, et per consequens nec ea intelligere. Deinde cum dicit: " spiritualis autem judicat omnia, „ assignat rationem quare spiritualibus spiritualia tradantur, et primo ponit rationem; secundo, manifestat causam. Assignat autem talem rationem. Illi tradenda sunt spiritualia qui potest judicare, secundum illud Job XII: Auris verba judicat; sed spiritualis est hujusmodi: ergo ei spiritualia sunt tradenda, et hoc est quod dicit: " spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. „ Ubi primo videndum est quis homo dicatur spiritualis. Est autem notandum quod spiritus nominare consuevimus substantias incorporeas: quia igitur aliqua pars animæ est quæ non est alicujus organi corporis actus, sicut pars intellectiva comprehendens intellectum et voluntatem, hujusmodi pars animæ spiritus hominis dicitur, quæ tamen a Spiritu Dei et illumi-

natur secundum intellectum, et inflammatur secundum affectum et voluntatem. Dupliciter ergo dicitur homo spiritualis : uno modo ex parte intellectus, Spiritu Dei illustrante; et secundum hoc in Glossa dicitur quod homo spiritualis est qui Spiritui Dei subjectus certissime ac fideliter spiritualia cognoscit. Alio modo ex parte voluntatis, Spiritu Dei inflammante; et hoc modo dicitur in Glossa quod spiritualis vita est quæ spiritum Dei habens rectorem animam regit, idest animales vires. Ad Galat. ult.: Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi, etc. Secundo considerandum est quare spiritualis dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Ubi notandum est quod in omnibus ille qui recte se habet, rectum judicium habet circa singula; ille autem qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in judicando : vigilans enim recte judicat et se vigilare, et alium dormire; sed dormiens non habet rectum judicium de se, nec de vigilante. Unde non sunt res tales quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano et infirmo circa judicium saporum, et de debili et forti circa judicium ponderum, et de virtuoso et vitioso circa agibilia. " Spiritualis judicat omnia, „ quia scilicet homo habens intellectum illustratum, et affectum ordinatum per Spiritum sanctum, de singulis quæ pertinent ad salutem rectum judicium habet. Hæc ille. Ecce quomodo illi superbi et animales non possunt judicare se ipsos neque alios, quia carent Spiritu et spirituales non sunt.

106. Quidam enim attendentes ad verba Apostoli: " Spiritualis homo judicat omnia, „ et credentes ea ad se directa, ac male interpretantes, omnium aliorum facta et dicta in deteriorem partem detorquent ex eo præcise quod suo spiritui non conformantur. De istis loquitur Paulus in prioribus verbis: " Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere quia spiritualiter examinatur. „ Dicit enim Joannes, cap. IV: Charissimi, nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sint. Isti sunt spiritus animales, et quod pejus est, hujusmodi facta et dicta publico zelo, ut credunt, reprehendunt, et leges charitatis infringunt, quæ operit multitudinem peccatorum. — In hac purgationis via debent prædicti superbiæ defectus evacuari per directorem spiritualem de quo verificetur: " Spiritualis autem

judicat omnia. „ Qui enim ad perfectionem aspirare et pervenire desiderant, contrario penitus modo, et per semitam videlicet humilitatis incedere debent. D. Thomas, 2 2, q. 162, art. 6 ad 1, ponit triplex remedium contra superbiam: Primum, considerationem propriæ infirmitatis, secundum illud Eccli. x: Quid superbis, terra et cinis? Secundum, considerationem magnitudinis divinæ, secundum illud Job xv: Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Tertium, imperfectionem bonorum de quibus homo superbit, secundum illud Isaiæ xl: Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri; et lxiv: Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ vestræ. Debent enim se ipsos omnibus submittere, propria sua opera despicere quasi defectuosa, vel saltem imperfecta.

107. D. Thomas I. Corinth. ix, lect. 3 (et quod dicit est pro omnibus septem peccatis, et ideo adducitur in principio): Notandum est quod gloria amittitur septempliciter propter septem vitia. Nam gloria gulosorum evacuatur. Unde hic dicitur: Bonum est mihi magis, etc. — Gloria luxuriosorum maculatur. Eccli. vii: Inclinasti fœmora tua mulieribus, dedisti maculam in gloria tua. — Gloria superborum captivatur. I. Machab. ii. Vasa gloriæ ejus captiva ducta sunt. — Gloria iracundorum intermittitur. Ps. vii: Si reddidi retribuentibus mihi mala, etc. Et post: Persequatur inimicus animam meam, etc. Et post: Et gloriam meam in pulverem deducat. — Gloria invidorum excluditur. Rom. iii: Ubi est gloria tua? — Gloria avarorum annihilatur. Psalm. xlvii: Ne timueris cum dives factus erit homo, etc. — Gloria accidiosorum culpatur, I. Mach. ix: Moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. Eccli. xxxiii: Præcellens esto in operibus tuis, et ne dederis maculam in gloria tua. Ergo per gulam evacuatur gloria sobrietatis, per luxuriam maculatur gloria castitatis, per superbiam captivatur gloria humilitatis, per iracundiam intermittitur gloria mansuetudinis, per invidiam excluditur gloria charitatis, per avaritiam annihilatur gloria libertatis, per accidiam culpatur gloria strenuitatis. De istis dicitur Oseæ iv: Gloriam eorum in ignominiam commutabo. De primo, exemplum in Esau, Genes. xxv; in Holoferne, Judith xiii. De secundo, in Salomone III. Reg. xi. De tertio in Lucifero, Isa. xiv. De quarto in Achitofel, II. Regum xvi. De quinto, in Cain,

Gen. IV. De sexto, in Giezi, IV. Reg. v. De septimo in exploratoribus, Numer. XIII et XIV.

108. Loquens D. Thomas de avaritia, tam p. p., q. 63, art. 2 ad 2, quam 2 2, q. 118, art. 1 et 3, eam definit sic: Avaritia est peccatum quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere divitias. Et sic avaritia spiritualis erit peccatum quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere dona spiritualia. Multi incipientes plurimos patiuntur defectus: vix enim de spiritu divinitus concesso contenti sunt, et nisi devotionis affluentiam, ac cœlestium charismatum abundantiam plenis, ut ita dicam, manibus recipiant, interius angustiantur, et penitus desolati tamquam a Deo derelicti gemunt; huc illuc divagantur ut propriæ spirituali inopiæ succurrant, nec datis multiplicibus directorum consiliis sic acquiescunt, quin nova semper ab aliis requirunt: unde plus inquisitioni consiliorum quam piis vacantes exercitiis, maximam incurrunt jacturam meritorum. Non considerant isti quod dicit D. Thomas, Opusc. LXII, loquendo de liberalitate Dei, quod Deus communicat creaturis quidquid communicabile, et ab eis receptabile est, etiam singulis momentis, cum habilitatem invenit, licet videat in eis non proficere: humanam naturam univit cum Filio suo in una persona, quod maximum est; et animam creavit capacem Trinitatis, præter alia dona spiritualia, reficiens eam carne et sanguine dilectissimi Filii sui. Item, nihil incommunicatum relinquit. Hoc est proprium divinæ bonitatis; nam quod sibi naturale est communicavit Deus per gratiam creaturis: angelis communicavit beatitudinem nunquam expertis miseriam; choro Apostolorum potestatem, ut quidquid solvant vel ligent in terra, solutum et ligatum sit in cœlo; choro Prophetarum sapientiam prænoscendi futura omnia quæcumque facere disposuit; choro Martyrum fortitudinem contra adversa; choro Confessorum inter prospera et adversa, constantiam; choro Virginum continentiam inter carnis illecebras. Item quibusdam spiritualiter communicavit aliquid quod habent ex natura, ut Abrahæ largitatem, Moysi mansuetudinem, Joseph providentiam, Samsoni fortitudinem, Eliæ zelum, Job patientiam, Danieli judicii discretionem, Samueli fidelitatem. Et Deus unicuique gratiam præstat secundum suam capacitatem, sicut legitur in Evangelio, quod uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum, unicuique

secundum propriam virtutem. Unde quanto magis cor hominis per charitatem Dei et proximi dilatatur, et quanto amplius per bonas meditationes, per ferventes orationes, per justa desideria, per opera humilitatis et supererogationis habilitatur, tanto majorem gratiam Deus omnipotens elargitur. Hæc ille. Cur ergo incipientes non sunt contenti de spiritu divinitus eis concesso? Si tam liberalis est Deus cum omnibus, ut quid student avaritiæ?

109. Sunt enim aliqui incipientes qui ita inhærent aliquibus devotionibus, ut ab illis dimoveri non possint. Sic imaginibus sanctorum, crucibus, rosariis et reliquiariis adhærent, et in eis artem et valorem magis quam veram pietatem attendentes, ut ingentem semper eorum copiam penes se habeant: unde devotionis accidentibus et non substantiæ addicuntur; sed nunquam ad perfectionis culmen ascendent, si copiosam hujusmodi proprietatis spiritualis supellectilem sponte non dimittant. D. Thomas explicans illud, I. Cor. XIII, lect. III: " Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est: „ idest omnis imperfectio tolletur. Sed objicit sibi Sanctus: Ergo charitas evacuabitur per futuram gloriam, quia ipsa est imperfecta in statu viæ per comparationem ad statum gloriæ. Respondet: Imperfectio dupliciter se habet ad id quod dicitur imperfectum. Quandoque enim est de ratione ejus, quandoque vero non, sed accidit ei; sicut imperfectio est de ratione pueri, non autem de ratione hominis. Et ideo adveniente perfecta ætate cessat quidem pueritia, sed humanitas fit perfecta. Imperfectio ergo est de ratione scientiæ, prout hic de Deo habetur, in quantum scilicet cognoscitur ex sensibilibus; et similiter de ratione prophetiæ, in quantum est cognitio figuralis, et in futurum tendens: non autem est de ratione charitatis ad quam cognitum bonum diligere pertinet; et ideo superveniente perfectione gloriæ, cessat prophetia et scientia: charitas autem non cessat, sed magis perficitur, quia quanto perfectius cognoscitur Deus, tanto etiam perfectius amatur. Et ita isti incipientes, ut ascendant ad perfectionem, debent supellectilem copiosam hujusmodi proprietatis spiritualis dimittere.

110. Quantum ad luxuriam, etiam hujusmodi incipientes suos patiuntur defectus: nam, Deo sic permittente ad majus meritorum incrementum, vel naturæ corruptæ incentivo, vel etiam

dæmonis suggestione, sæpe internos, sæpe etiam externos carnis motus in ipso pietatis exercitio et in quotidiano sacramentorum usu, præter intentionem, imo plurimum resistentes, experiuntur. Contingit aliquando quod in ipso devotionis internæ sensu, motus aliqui sensualitatis in corpus redundent, et maxime in natura debili; ex quo, naturali quippe superioris et inferioris partis connexione, provenit ut dum pars superior spiritualibus in Deo fruitur deliciis, pars inferior circa propria objecta sensualia frequenter excitetur: unde simul ac semel illa Deo suaviter inhæreat, ista vero sensualitatis motibus quasi passive sensim implicetur; cum enim sint ejusdem partis suppositi, ex quadam utriusque sympathia provenit ut una in alterius delectatione et pœna communicet, sed modo sibi proprio et connaturali, donec una totaliter alteri subordinetur. Cum igitur in principio vitæ spiritualis pars superior inferiori tantum præsideat et non perfecte dominetur, pars inferior sensualis spiritualibus partis superioris delectationibus sensualiter tantum communicat: unde incipientes prædictos motus sensuales etiam inviti patiuntur; sed longo virtutum exercitio purgata et reformata pars inferior, et superiori totaliter subordinata, non solum ad spirituales ejus delicias, sed etiam ad spiritualem eas participandi modum quodammodo elevatur.

111. Audite D. Thomam in expositione cap. XII secundæ ad Cor. super illa verba: Et ne magnitudo revelationis extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. — Plerumque sapiens medicus procurat et permittit supervenire infirmo minorem morbum, ut majorem curet, vel vitet, sicut ut curet spasmum procurat febrem. Hoc evidenter in se beatus Apostolus a medico animarum Jesu Christo factum ostendit. Christus enim, velut medicus animarum summus, ad curandum graves animæ morbos permittit plurimos electos suos et magnos in morbis corporum graviter affligi; et, quod plus est, ad curandum majora crimina, permittit incidere in minora. Sic Apostolum ne in superbiam incideret. " Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanæ, „ idest ad meam

utilitatem et humiliationem datus est mihi stimulus, crucians corpus meum per infirmitatem corporis, ut anima sanetur. " Stimulus carnis meæ, „ idest concupiscentiæ surgentis ex carne mea, a qua multum infestabatur. " Propter quod ter Dominum rogavi. „ Infirmus nesciens processum medici apponentis mordax emplastrum, rogat medicum ut removeat: quod tamen sciens medicus causam quare faciat, scilicet propter sanitatem, non exaudit eum quantum ad voluntatem petentis, magis curans de ejus utilitate; sic Apostolus sentiens stimulum sibi gravem esse, ad singularis medici confugit auxilium, ut eum removeat. " Ter Deum rogavi; et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi gratia mea; „ non est necessarium quod infirmitas corporis recedat a te, quia gratia mea confortabit te, gratia mea proteget te, quia gratia est sufficiens ad mala vitanda, ad bona facienda, et ad vitam consequendam æternam. " Virtus in infirmitate perficitur. „ Ignis in aqua crescit, infirmitas est materia exercendæ virtutis, humilitatis, patientiæ, temperantiæ, etc. Est occasio perveniendi ad perfectam virtutem. " Libenter gloriabor in infirmitatibus meis; „ quia virtus mea perficitur in infirmitatibus, igi ur libenter gloriabor in infirmitatibus meis, idest mihi ad utilitatem meam datis. Hæc ille.

112. Isti motus sensualitatis inordinati ex multiplici alia radice promanant incipientibus. Et primo ex familiaritate nimia quam cum personis spiritualibus, et præsertim mulieribus, incaute contrahunt: quamvis in principio sit sancta, ex intentione scilicet profectus spiritualis ex hujusmodi conversatione, ex corruptione tamen humanæ naturæ paulatim in vitium degenerat. Audite D. Thomam, Opusc. LXIV, de periculo familiaritatis dominarum vel mulierum: Ad tantum malum in brevi deveniunt, ut jam non velut angelos, sicut cœperant, se invicem alloquantur et videant; sed tamquam carne vestitos se mutuo intueantur, et sentiant mentes quibusdam commendationibus ac verbis blanditoriis, quæ videntur ex prima devotione procedere. Exinde unus incipit appetere alterius præsentiam corporalem, quia forma, vel species corporis in utriusque mente concepta incitat eos ad volendum præsentiam corporalem, qua insit eis præsentia mentalis; sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem et carnalem; et sic ipsorum mentes quæ

solebant in oratione cum Deo absque intermedio loqui, nunc inter se et Deum alter ponet alterius corporalem effigiem, quam velant et obtenebrant ponentes sibi ipsis faciem Dei cum facie creaturæ; et non minus horrendum est, cum hi proprium errorem percipere et emendare deberent, in ipsius potius nutrimento erroris totum illud judicant ex maxima charitate procedere, cujus merito, puto, et sibi invicem mentientes, referunt quod in oratione unus alteri præsentatur magis eis delectabile, ac si pro se invicem orare cogantur gratia et virtute divina, ac per hoc consolationem simpliciter sensualem, quam habent in illarum præsentatione de se invicem facta in oratione prædicta, æstimant, et affirmant ac asserunt esse spiritualem gratiam et divinam. Quales autem illusiones accipiant a sagittario supradicto, specialiter mulieres, quæ citius fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile et quasi impossibile declarare. Sentiunt namque in oratione præfata, et repræsentatione mentali calorem quemdam ignitum a sagittario illo illatum, quem credunt et dicunt esse ignem charitatis a Spiritu sancto transmissum, volentem conjungere spiritum unius spiritui alterius vinculo charitatis, cum inde sit ignis libidinosi amoris; et tamen deliberant se tamquam spirituales unitos posse securius ac prolixius simul loqui, atque in hoc tempus non perdere, sed lucrari. Proinde modos insolitos et cautelas mirabiles adinvenerunt, quibus procurent simul colloqui et frequenter, allegantes unus alteri causas, utilitate ac necessitate depictas, cum tamen in veritate nihil aliud sit causa, nisi onus cui ratio jam succumbit. Qui plura vult videre, legat D. Thomam loco citato.

113. D. Thomas, 2 2, q. 151, art. 2, docet quod nomen castitatis dupliciter accipitur; uno modo proprie, et sic est quædam specialis virtus habens specialem materiam, scilicet concupiscentias delectabilium quæ sunt in venereis; alio modo nomen castitatis accipitur metaphorice: sicut enim in corporis commixtione consistit delectatio venereorum, circa quam proprie est castitas; et oppositum vitium, scilicet luxuria: ita etiam in quadam spirituali conjunctione mentis ad res aliquas consistit quædam delectatio, circa quam est quædam spiritualis castitas metaphorice dicta; vel etiam spiritualis fornicatio, similiter metaphorice dicta. Si enim mens hominis delectetur in spiri-

tuali conjunctione ad id cui debet conjungi, scilicet ad Deum, et abstinet se ne delectabiliter aliis conjungatur contra debitum divini ordinis, dicetur castitas spiritualis, secundum illud II. Corinth. XI: Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Si autem delectabiliter conjungatur mens contra debitum divini ordinis aliquibus aliis rebus, dicetur fornicatio spiritualis, secundum illud Jeremiæ III: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Et hoc modo accipiendo castitatem, castitas est generalis virtus. Hæc D. Thomas.

114. Incipientes plures habent imperfectiones quantum ad iram. Quidam enim prælibato rerum spiritualium gustu, dum se in siccitatem et ariditatem redactos aspiciunt, præ angustia spiritus fastidientes, occasione qualibet oblata in subitos iræ motus prorumpunt; et non solum aliis, sed etiam sibi ipsis graves et quasi intolerabiles efficiuntur, maxime si ex naturali complexione flava bili abundant. D. Thomas, 2 2, q. 158, art. 2, loquens de ira, dicit: Ordo rationis in ira potest attendi quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta. Unde si aliquis appetat quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, et vocatur ira per zelum. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius; quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam. Incipientes destituti gustu rerum spiritualium et ariditatem sentientes, prorumpunt in motus iræ quantum ad modum. Bene dixit propheta regius Ps. XXXVI: Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari ut maligneris.

115. Incipientes contra omnes inquieto et indiscreto zelo facile irascuntur, et quasi essent regula virtutis. D. Thomas exponens illud D. Pauli ad Titum III: " Sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines: „ Ostendit quomodo se habeant in operatione boni; et primo in exterioribus actibus, dicens: " sed modestos. „ Est autem modestia virtus per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, et non offendit cujusquam aspectum. Philipp. IV: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Proverb. XXII: Finis modestiæ, timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. Quanto autem quis est im-

petuosior in interioribus affectibus, tanto refrænatur difficilius, etiam in exterioribus. Talis autem est inter omnes affectus iræ. Et ideo contra hoc ponit: " mansuetudinem ostendentes ad omnes homines. „ Aliqui incipientes quoscumque delinquentes indebite reprehendunt: cum tamen ut plurimum tunc melius sit tacere quam male reprehendere; et quamvis ex officio prælati subditos emendare compellantur, non propterea motibus iræ frena laxare debent. Audite mirabilem doctrinam sancti Thomæ, 2 2, q. 33, art. 5, ubi quærit Sanctus utrum peccator debeat corrigere delinquentem. Et respondet in corpore articuli: Peccatum, ut supra dictum est, non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto indicio rationis. Et secundum hoc potest sibi competere a subditis delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria. Primo quidem quia ex peccato præcedenti indignus redditur ut alium corrigat; et præcipue si majus peccatum commisit, non est dignus ut alium corrigat de minori peccato. Unde super illud Matthæi VII: Qui vides festucam, etc., dicit Hieronymus: De his loquitur qui cum mortali crimine detinentur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt. Secundo, redditur indebita correctio propter scandalum quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur quod ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, sed magis ad ostentationem. Unde super illud Matthæi VII: Quomodo dicis fratri tuo? etc., exponit Chrysostomus: idest quo proposito? puta ex charitate, ut salves proximum tuum, Non quia te ipsum ante salvares. Vis ergo non alios salvare, sed per bonam doctrinam malos actus celare, et scientiæ laudem ab hominibus quærere. Tertio modo propter superbiam corripientis, in quantum scilicet aliquis propria peccata parvipendens, se ipsum proximo præfert in corde suo, peccata ejus austera severitate dijudicans, ac si ipse esset justus. Unde Augustinus dicit in libro De sermone Domini in monte: Cogitemus, cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus. Et tunc cogitemus nos homines esse, et habere potuisse. Vel tale quod aliquando habuimus, et jam non habemus, et tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invene-

rimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, et ad pariter cavendum invitemus. Ex his ergo patet quod si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit, licet per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem sua, pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat.

116. Gula spiritualis nihil aliud est, secundum D. Thomam, quam inordinatus appetitus deliciarum spiritualium. Et eo ipso quod recedit ab ordine rationis in quo bonum virtutis consistit, dicitur aliquid esse peccatum quod virtuti contrariatur, et sic manifestum est quod talis gula est peccatum. In ista gula incipientes passim deficiunt: cum enim divina liberalitate internis deliciis statim a principio perfundantur, ut sic externarum mundi deliciarum facilius obliti a suscepto perfectionis itinere non retrocedant, his deliciis inescati et velut ebrii, non puritati spiritus ac veræ devotioni, sed tantum sensibili suo gustui incumbunt: unde sibi magis quam Deo placere student, et non tantum spirituali suo profectui, verum etiam sanitati plurimum nocent; ut enim talibus fruantur deliciis, indiscretos et extraordinarios (*labores*) proprio instinctu, prætermisso directoris consilio, suscipiunt, contra præceptum Apostoli nobis dicentis: Sit rationabile obsequium vestrum. Inde est quod multi tales incipientes relicta voluntatis mortificatione, quæ est Deo gratissimum holocaustum, corpus opprimunt, et viribus temere exhaustis omnino succumbunt, et ad prosequendam virtutis semitam inepti penitus inveniuntur. Quam utilius ipsis esset, si sensibilibus deliciis sobrie tunc utentes, ad veram spiritus puritatem aspirarent, quæ in perfecta directoris obedientia, et in totali ad divinam voluntatem conformitate consistit; et sic potius illis deliciis cum indifferentia et gratiarum actione sobrie uterentur, quam immoderato sensualitatis appetitu et damnabili proprietate fruerentur!

117. Aliqui, ut sentiant has suavitates et dulcedines amoris, ab operibus obligatoriis se subducunt, et suæ vocationi deficiunt, et non tam Deum quam seipsos quærentes in his Dei donis tamquam in fine requiescunt. Dicit quidam Doctor: Cavendum est tamen ne huic exercitio immoderatius incumbenti gula quædam spiritualis, vel dæmonium meridianum imponat ut vel immoderatio impetuosæ ad Deum conversionis nimis vi-

gorose caput lædat, aut impura in spiritualibus bonis oblectatio a Deo fornicari faciat, ut in donis Dei potius quiescas, aut oblecteris, quam in Deo. Quocirca opus tibi est discretione, et maxime vigilandum ut casta ac deiformis sit tua intentio, ut neque supra vires te nimietate graves, neque aliud hic quam Dei gloriam quæras. Argumentum autem in te ipso recipere potes divini tractus, et rursus sinceri amoris ex te ad Deum, si nihil quæris præter Dei honorem et beneplacitum, si pariter Dei donis non inflaris, nec propterea aspernaris alios; si denique ad tui ipsius humiliationem, atque ad omnium quæ in te odis aut odisse debes mortificationem, exercitia tua et Dei dona converteris. Et postremo si inde quotidie te sentis secundum rationem saltem magis humilem, magisque Deo subjectum et resignatum. At vero si devotionis atque amoris sentimenta propter delectationem (ut fit in spiritualiter gulosis) quæris, aut in illis requiescis, nec curas quomodo virtutibus proficias, aut operibus bonis crescas, tametsi decies in extasim mentis quotidie rapereris, in solis tamen adhuc naturalibus vivis, donis Dei abutens, tuum commodum, requiem delectationemque in his requirens. Et quoniam non quæris altissimum Dei beneplacitum (quod vera sui abnegatione invenitur atque perficitur), quo plus proficere videris, eo in deteriora semper laberis.

118. Etiam sunt intenta consideratione dignissima ea quæ Ludovicus Blosius de hac ipsa re in hunc modum scripsit: Cave autem summopere ne ipsa divini amoris exercitia impure suscipias ac peragas. Multum enim displiceret Deo, si ob hoc solum te illis traderes, ut voluptatem inde caperes, et in te ipso delectareris. Displiceret, inquam, Deo, si gula spirituali te inquinares, et cum pretioso gratiæ balsamo stercus propriæ delectationis commisceres. Igitur amplectere devota exercitia ad honorem Dei, ut virtutibus juxta Dei voluntatem orneris, atque in vero Dei amore magis magisque proficias, et ipsi Domino placeas. Si tibi Deus consolationem suavitatemque internam præstiterit, agnosce te illa indignum esse, et eam humili gratoque animo ad Dei gloriam suscipe, studens interim servare te ab ea tam liberum et intactum, quasi nihil tale accepisses. Sincerus et sublimis amor Dei in hoc consistit, ut sive cum dulcedine, sive sine dulcedine velimus accipiamusque, vel gaudeamus Deum esse quod est, ac tantam gloriam, tantum do-

minium, tantam opulentiam obtinere quantam obtinet, desiderantes etiam ut omnes ei rite serviant, eumque diligant et glorificent, qui est omni honore, amore et obsequio dignissimus. Hos gulæ spiritualis impetus excitat et fovet diabolus, qui hac via inexpertos incipientes a subjectione debita directori removens, a virtutum tramite præcipites in propriam conjicit ruinam. Ex hujusmodi gulæ spiritualis defectu multa incipientibus eveniunt mala; quamvis enim plures sint qui magistri seu directoris obedientiam expresse non transgrediantur, quia, ut ex sacra Scriptura didicerunt, melior est obedientia quam victimæ, his tamen gustibus internis affecti, non submisse præceptum obedientiæ suscipiunt, sed superioris voluntatem ad suas inclinationes flectere student; merito de ipsis dicitur: In jejuniis vestris invenitur voluntas vestra.

119. Invidia est dolor de prosperitate aliena. Ita D. Thomas 2 2, q. 34, art. 6, et in multis aliis locis. Incipientes quantum ad invidiam multos habent defectus. Cum enim non sint charitate perfecti, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, ægre admodum ferunt dum alios æquales sibi, vel etiam majores in vita spirituali conspiciunt. Quamvis enim præ superbia se illis interius præferant, dum tamen vel exterius excellere, vel ab aliis ut excellentes audiunt laudari, torquentur invidia, et livore tabescunt, ac sæpe verbis et gestibus contradicunt, dolentes maxime quod simili modo ab aliis non exaltentur, et illis non præferantur, cum in omni perfectione singulares velint apparere. Hæc invidia multum est damnabilis et contraria charitati, quæ secundum Apostolum, primæ Cor. XIII, congaudet in bono. Et, ut explicat D. Thomas, unusquisque bonis alterius gaudeat. Ad Philipp. II: Gaudeo et congratulor omnibus vobis. Rom. XII: Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus. Vel aliter exponitur ab ipso: " Congaudet veritati, „ scilicet proximi vel vitæ, vel doctrinæ, vel justitiæ, ex eo quod proximum diligit sicut seipsum. De qua idem Apostolus ait: Æmulamini autem charismata meliora. D. Thomas ordinat eorum affectum circa prædicta spiritualia dona, dicens: Cum multa sint dona spiritualia, ut dictum est, " æmulamini, „ idest desiderate, " charismata meliora, „ idest gratias potiores, ut scilicet magis desideretis ea quæ sunt meliora, puta prophetiam quam donum linguarum. Et alibi aliter ex-

plicat: " Non æmulatur, „ idest non invidet, quia scilicet facit cavere invidiam; unde et in Ps. xxxvi dicitur: Noli æmulari in malignantibus. Et Prov. xxv: Non æmuletur cor tuum peccatores. Exponens D. Thomas hunc versum Ps. xxxvi: Noli æmulari in malignantibus, dicit sic: Secundum Philosophum in II Ethic., quatuor ad idem genus spectant, scilicet misericordia, invidia, zelus et nemesis; et hæc omnia important tristitiam de eventibus aliorum: sed misericordia et invidia de his quæ eveniunt bonis, aliæ vero duæ de his quæ eveniunt malis. Invidia enim est tristitia de prosperitate bonorum, sed misericordia est tristitia de miseria bonorum. Zelus proprie est quando quis tristatur de bono alterius, non ex eo quod ipse bonum habet, sed ex eo quod ipsum non habet. Nemesis est tristitia de bonis quæ indignis eveniunt. Sed quia loquitur hic de malis, non facit mentionem de duobus primis. Dicit D. Thomas, 2 2, q. 36, art. 1, quod invidia est præcipue de illis bonis in quibus est gloria, et in quibus homines amant honorari et in opinione esse. Idem dicit, in solutione ad 3, quod amatores honoris sunt magis invidi. Et similiter etiam pusillanimes sunt invidi, quia omnia reputant magna, et quidquid boni alicui accidit, reputant se in magno superatos esse. Unde Job dicitur cap. v: Parvulum occidit invidia. Et Gregorius dicit in v Moralium, quod invidere non possumus nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus.

120. Accidia est tædium bene operandi et tristitia de re spirituali. Ita D. Thomas 2 2, q. 35, art. 2: Plures habent imperfectiones incipientes circa hoc vitium. Solent enim in rebus spiritualibus tædium et nauseam pati, ad instar filiorum Israel qui delicioso mannæ cibo divinitus pasti, dum actu suavitatem ejus non gustabant, dicere solebant: Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo; et ollas carnium, cepas et porros Ægypti desiderabant: sic hujusmodi incipientes suavitate spiritualium exercitiorum aliquando privati, cum alias ob suam præsertim satisfactionem ipsis insisterent, segniter sequuntur, et sæpe penitus omittunt: et cum propriæ voluntati potius quam divinæ velint satisfacere, suavia quoque gustui commensurata solidis virtutum exercitiis præferunt, quæ, ut plurimum, corruptæ naturæ difficilia et amara repugnant. De omnibus ex proprio gustu, velut ex prima regula judicant; quæ ipsi

multum arridenti, tamquam Deo gratissima amplectuntur; quæ ipsi displicent, tamquam Deo displicentia semper abhorrent; ex quo apparet quantum veræ mortificationi et verbis Apostoli contradicunt dicentis, ad Philipp. I: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Audite D. Thomam super hunc locum: Vita enim importat motionem quamdam. Illa enim vivere dicuntur quæ ex se moventur. Et inde est quod illud videtur esse radicaliter vita hominis, quod est principium motus in eo: hoc autem est illud, cui affectus unitur sicut fini, quia in hoc movetur homo ad omnia. Unde aliqui dicunt illud ex quo moventur ad operandum vitam suam, ut venatores venationem, et amici amicum. Sic ergo Christus est vita nostra, quoniam totum principium vitæ nostræ et operationis est Christus. Et ideo dicit Apostolus " mihi enim vivere, etc., " quia solus Christus movebat eum, " et mori lucrum. " Hic Apostolus proprie loquitur; quilibet enim sibi ad lucrum reputat quando vitam, quam habet imperfectam, potest perficere. Sic infirmus ad lucrum reputat sanam vitam. Vita nostra Christus est. Coloss. III: Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo; sed hæc est imperfecta. II. Cor. V: Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Et ideo quando morimur corpore, perficitur nobis vita nostra, scilicet Christus, cui tunc præsentes sumus. Ps. CXXVI: Cum dederit dilectis suis somnum etc. II. ad Timoth. IV: Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Idem Apostolus ad Galat. ult.: Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Audite D. Thomam super hunc locum: Stigmata enim proprie sunt quædam notæ impressæ alicui cum ferro candenti, sicut cum servus ab aliquo domino signatur in facie, ut nullus eum sibi vindicet, sed quiete dimittat domino suo, cujus stigmata portat. Hoc etiam modo Apostolus dicit se stigmata Domini portare, quasi insignitus sit ut servus Christi. Et hoc quia portabat insignia passionis Christi, patiens pro eo multas tribulationes in corpore suo, secundum illud I. Pet. II: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, etc. Et II. Cor. IV: Semper mortificationem Domini Jesu in corpore nostro circumferentes, etc. Et secundum hoc dupliciter potest continuari ad præmissa. " Nemo mihi molestus sit; " nam ego porto insignia Domini nostri Jesu Christi in corpore meo, et ideo nullus super me jus habet nisi Christus.

Alio modo: " Nemo mihi molestus sit, „ quia ego habeo multos alios conflictus et stigmata, quæ in persecutionibus quas patior me molestant, et grave est addere afflictionem afflicto. Hi sunt ordinarii defectus incipientium; quos nisi purgatione activa correxerint, vix aliquantulum in via perfectionis procedent.

DISPUTATIO II.

DE PURGATIONE ACTIVA SENSUUM EXTERNORUM

ARTICULUS I.

De potentia visiva et mortificatione ejus.

121. Visus est primus et perfectissimus sensuum exteriorum, sed perniciosissimus, nisi per mortificationem custodiatur. D. Thomas, lib. I De anima, loquendo de sensibus docet: In sensibus quatuor considerantur, potentia, actus, medium per quod objectum movet, et objectum ipsum, seu species ejus. Potentia visiva consistit in pupilla cum dependentia a nervis opticis, in quibus consummative et formaliter est visus. Visio fit per actionem vitalem potentiæ visivæ, recepta prius specie in ipsa potentia; quæ actio, cum sit immanens, manet in ipsa potentia. Species est expressa et formalis similitudo objecti, quia est ipsum objectum in esse intelligibili. Quæ species informat potentiam dupliciter, entitative seu inhærendo; intentionaliter autem, et vice objecti, perfectionando, seu potius transformando potentiam in objectum. Species producuntur ab objectis effective, cum subordinatione et participatione ad influentiam cœlestem. Objectum visus est color.

122. D. Thomas super illud Gen., cap. III: Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum, etc., dicit sic: Ponitur post tentationem ipsa prævaricatio, et tria per ordinem: primo, vidit; postea, tulit; deinde, comedit: propter tria quæ sunt in

peccato, videlicet cogitatus, cum dicit: " vidit; „ ideo summe cavendum est quod homo in corde revolvet, quia omne malum intrat per sensus et cogitatus. Unde ille est janitor diaboli, scilicet oculus et malus cogitatus, qui introducit bestias infernales, quæ animos vastant, secundum illud Thren. III: Oculus meus deprædatus est animam meam. Et ponuntur tria quæ sunt in cogitatu, quæ solent movere affectum: scilicet bonum utile, quod ponitur cum dicitur: " bonum ad vescendum; „ bonum honestum, cum dicitur: " pulchrum oculis; „ bonum delectabile, cum dicitur: " aspectu delectabile; „ et cum ista affectum moveant, sequitur quod " tulit de fructu, „ quia post cogitatum vel consensum sequitur affectus, " et comedit, „ quo fuit completum peccatum. Fortissimus Samson vidit mulierem de filiabus Philisthiim: vidit et adamavit, et uxorem accepit, et in præmium visionis, aut in ultionem vanæ curiositatis, vires, et libertatem, et vitam amisit. David vidit mulierem se lavantem, quam fortassis nunquam viderat: vidit, sed qui Philisthæum vicit, ab impura fuit voluptate devictus, et in maximas pœnas (*incidit*) quæ ex eo peccato ortum habuerunt. Dina egreditur ut videat mulieres regionis illius: vidit, et oculos curiose pavit; sed curiositatem suam pudoris et famæ amissione persolvit. Dicit Salomon: Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis. Quid autem inde sequutum attenta meditatione est cognoscendum. Nam mulieres alienigenas vidit, visas concupivit, concupitas possedit, possessas cordi suo dominari permisit. Et miseria Salomonis longius se protraxit, quia causa mulierum quas viderat, idolis fana construxit. Deos falsos, qui non sunt dii, insipienter adoravit; et a Deo, idest ab omni bono discessit. Quo intelligimus quam sit salubre consilium Domini Jesu: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Melius enim illi fuisset oculos non tantum clausisse, sed et eruisse, quam in damnationem suam tanta facinora perpetrasse. Hæc ille.

123. Explicans D. Thomas illud Jeremiæ Thren. III: Oculus meus deprædatus est animam meam, videns deprædationem terræ, dicit: " Deprædatus est animam meam „ spolians eam lætitia, vel plangens, totum dolorem cordis exterius traxit; quia sufficit una visio incircumspecta ad deprædanda cuncta animæ bona, sive ad deprædanda cuncta merita. Et, ut ait Beda super hanc locum, semel species formæ cordi per oculos alligata, vix

ægritudinis manu solvitur. Nemo de senectute, de canis, ac de frigido sanguine confidat; nemo se de adepta sanctitate securum reddat, nemo de servata per multos annos castitate sibimet ipsi blandiatur, quia universa hæc unus incircumspectus mulieris aspectus solet contemnere, et senes et castos debellare. Judices illi Israelis senes erant: videndo Susannam, capti sunt ejus amore. David sanctus erat et cœlesticus, et per aspectum unius mulieris cecidit. Dicitur enim Eccli. IX: Ne respicias mulierem multivolam, idest ad multorum concupiscentiam evolantem, ne forte incidas in laqueos illius.

124. Explicans D. Thomas illud Psal. X: Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum, dicit sic: " Oculi ejus in pauperem respiciunt „ ad miserendum. Psal. XXX: Miserere mei, Domine, quoniam tribulor. Oculi Domini super justos. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. " Palpebræ ejus interrogant, etc. „ Per palpebras significatur discretio, quia sicut palpebræ oculi dirigunt visum, sic discretio moderat humanam sapientiam. Proverb. IV: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Ipsa ergo discretio Dei interrogat, idest probat et examinat. Quandoque punit, quandoque parcit, quandoque dat beneficia, quandoque aufert, quandoque claudit palpebras, quandoque aperit. Mortificandi sunt oculi non videndo mulieres formosas, quia, ut dicitur Isa. XXXIII, Qui claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit. Spiritualis vir spectaculis rerum profanarum, et comœdiis et tragœdiis nequaquam intendit. Cyprianus: Fugienda sunt ista tam vana, tam perniciosa a Christifidelibus. Psal. CXVIII: Averte oculos meos ne videant vanitatem. Spiritualis vir separet se a locis ubi sunt choreæ, saltationes, equorum cursus, taurorum agitationes, in quibus sæculi invidia et odium succenditur, in quorum præmium Baptista præcursor occiditur. Rejice lectionem librorum curiosorum et profanorum. Unde in Actibus Apostolorum legimus: Multi ex his qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus. Oculis quæcumque innoxia, quæcumque inutilia neganda sunt, ne mentis tranquillitatem et orationis puritatem impediant. Oculi debent inclinari ad Deum, quia, ut dicit Gregorius Nyssenus, oculos sursum habet homo ut superna conspiceret et terrena contemneret. Et ideo explicans D. Thomas illud Isaiæ,

c. XVII: Oculi ejus ad sanctum, dicit quod oculi debent inclinari ad Deum quadrupliciter: primo per fidei adhæsionem; Isa. XXX: Oculi tui videbunt præceptorem tuum. Secundo, propter spei exspectationem; Ps. CIV: Oculi omnium in te sperant, Domine. Tertio, propter amoris contemplationem; Job XXXIX: Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus respiciunt. Quarto, propter gloriæ fruitionem; Matthæi XIII: Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

125. D. Thomas explicans illud Job XXXI: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, dicit: Postquam Job narravit pristinam prosperitatem et subsequentem adversitatem, hic consequenter innocentiam suam ostendit, ne credatur propter peccata in adversitates incidisse. Incipit autem innocentiam suam ostendere per immunitatem a peccato luxuriæ, quod plures involvit; quod quidem peccatum in lubrico positum est, ut nisi aliquis principia vitet, vix a posterioribus possit pedem retrahere. Primum autem in hoc peccato est aspectus oculorum quo mulier pulchra aspicitur, et præcipue virgo; secundum autem est cogitatio; tertium delectatio; quartum consensus; quintum opus. Voluit Job principia hujus peccati excludere, ut eo non involveretur. Unde dicit: " Pepigi fœdus, „ idest in corde meo firmavi, sicut pacta firmantur, " cum oculis meis „ ex quorum scilicet aspectu pervenitur in concupiscentiam mulierum. Radix enim adulterii est curiosa inspectio in faciem. Et Thomas Anglicus: Oculus, inquit, est janitor diaboli, qui introducit bestias inferni quæ animas vastant. Et Hugo de S. Victore, in Regul. cap. VI: Quia per illicitum visum concupiscentia oritur, per quam integritas mentis violatur, necesse est quod semper servus Dei visum suum reprimat, ne per concupiscentiam et per immunditiam cordis Deum offendat.

126. D. Thomas super illud Isaiæ XI: Non secundum visionem oculorum judicabit, ostendit sanctitatem Christi quantum ad rectitudinem operis, et præcipue in judicando, quia hoc est opus regis. Unde tria ostendit: primo, solertiam in discernendo; secundo, justitiam in exequendo: sed judicabit; tertio, constantiam in perseverando: Et erit justitia. Non secundum visionem oculorum exteriorum judicabit, neque secundum auditum aurium exteriorum, sed secundum scientiam; nam Matth. XXII

dicitur: Magister, scimus quia verax es. Et Joan. II: Opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Hoc non potest exponi de homine puro. Dicitur I. Reg. XVI: Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor, et sic non judicat secundum visionem, sed secundum scientiam. Et qui judicat debet manere intra se; et sic dicebat D. Thomas: Recollige te, redi ad te, habita tecum, non sicut oculus, qui cum omnia videat, se ipsum non videt. — *Add. Append.*, n. 191.

ARTICULUS II.

De potentia auditiva.

127. Ordine dignitatis numeratur secundus sensus auditus, qui etiam valde periculosus est, nisi mortificatione reprimatur. Auditus, ex D. Thoma, Opusc. XLIII, cap. III, definitur: Vis ordinata in nervis mollibus a cerebro procedentibus, ad apprehendendum sonum causatum ex aeris concussione constricti inter percutiens et percussum. Itaque organum potentiæ auditivæ, sicut et visivæ, habet duplicem functionem: prima est accipere species seu haurire illas a medio: et quantum ad hoc convenienter ponitur organum auditus in illa substantia quæ valde affinis est medio deferenti species. Secunda functio et præcipua est elicere sensationem; et hæc quia virtuosior est, et activior, et unica in unoquoque sensu, convenienter ponitur in illa parte quæ tenacius participat vim spirituosam cerebri, idest spiritus animales, et per modum unius potest ipsam potentiam sensitivam habere, et operationem elicere. — Medium auditus est triplex. Primum, ubi generatur sonus, quod dicitur medium soni realis. Secundum, per quod defertur ipse sonus, quod dicitur medium soni intentionalis. Tertium, per quod infertur in potentiam quæ est medium intrinsecum ipsi organo et pars illius. Sonus est qualitas sensibilis ex forti percussione corporum sonantium, et medii resilentia resultans. Statim atque generatur sonus realis etiam ejus species emittuntur, licet sonus ipse realis et motus per aliquod spatium etiam multiplicetur.

128. D. Thomas super illa verba Job, cap. XXXVII: Audiet auditionem in terrore vocis ejus, et sonum, etc. dicit sic:

Post visum autem, qui est cognoscitivus lucis corporalis, maxime deservit intellectui auditus, in quantum est perceptivus vocum quibus intellectuales conceptiones exprimuntur. Sicut autem per visionem lucis corporalis homo reducitur in cognitionem et spectationem cujusdam altioris lucis, ita etiam et per auditum corporalium sonorum divina virtute formatorum homo manuducitur ad audiendam spiritualem Dei doctrinam; unde subdit: " audiet, „ scilicet homo a Deo, " auditionem, „ scilicet spiritualis doctrinæ, " in terrore vocis ejus, „ idest signo tonitrui: quod quasi terribilis vox Dei est. Auditionem autem prædictam exponit, subdens: " Et sonum de ore ejus procedentem; „ sonus enim tonitrui corporalis est quasi manu ejus, idest potestate formatus: sed sonus ex ore ejus procedens est doctrina sapientiæ ejus, secundum illud Eccli. XXIV: Ego ex ore Altissimi prodivi. " Tonabit autem voce magnitudinis suæ, „ idest quæ docet magnitudinem ejus; et hanc vocem non omnes audiunt sicut tonitruum corporale, et illi qui æqualiter audiunt, eam comprehendere non possunt; unde subditur: " et non investigabitur, „ scilicet perfecte, " cum audita fuerit, „ id est percepta spiritualiter ab aliquo homine, " vox ejus, „ sapientiæ doctrina. Hujus autem vox non solum ordinatur ad doctrinam hominum qui eam audiunt, sed etiam ad perfectionem naturalium operum, quæ ex præcepto divinæ sapientiæ fiunt. Unde secundo repetit: " Tonabit Deus in voce sua, „ idest in imperio sapientiæ suæ; " mirabiliter, „ idest mirabiles effectus producendo, et hoc est quod subditur: " qui facit magna, „ scilicet secundum eorum veram rationem; " et inscrutabilia, „ scilicet rationi humanæ; et horum enumerationem incipiens, subdit: " Qui præcipit nivi, „ scilicet voce sapientiæ suæ, " ut descendat super terram, „ quia scilicet ex ejus imperio nives generantur, et pluvia, et imbres, unde subdit: " et pluviis hyemis, „ quæ scilicet in hyeme abundant; " et imbribus fortitudinis suæ, „ qui scilicet ex aliqua vehementiori causa generantur, et cum impetu venti. Et quia omnia quæ in rebus inferioribus fiunt, ad homines quodammodo ordinantur, ideo subdit: " Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. „ Diversis enim hominum operibus diversæ dispositiones aeris congruunt. Hæc ille.

129. Debent aures audire libenter consilia Dei, et cum fructu

percipere verba Domini. Explicans D. Thomas illud Jerem. VI: Ecce incircumcisæ aures eorum, dicit sic: Hic ostendit propheta dati consilii contemptum. Et primo, propheta quærit idoneum consilii auditorem. " Cui loquar „ fructuose verba Domini? " contestabor, „ adjurabo? In quo significat charitatem. Isa. XXVIII: Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Secundo, ostendit inidoneitatem, quia audire noluerunt. " Ecce incircumcisæ „ quasi gentilibus fabulis plenæ. Actorum VII: Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus. Et quia etiam audita contemnunt, " Ecce verbum, etc. „ Jerem. XX: Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die. Malus enim, ut ait Sapiens, obedit linguæ iniquæ. Proverb. XVII: Et fallax obtemperat labiis mendacibus. Quare justus, ut justitiam servet et iniquus non fiat, aures custodiat ne iniquos et mendaces sermones audiat, quorum auditione ad obedientiam iniquitatis se præparat. Merito igitur Bernardus, ut ad aurium custodiam nos incitet, ait: Facile lingua labitur: nec minus facile illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minus profuerit quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur? Sapiens est, religiosus, ac timens Deum? Plus dico: angelus est, et angelus lucis? Etiam sic cave tibi ne audias unde lædaris.

130. Aures non debent audire suggestiones dæmonis. Explicans D. Thomas illud Job XLI: Halitus ejus prunas ardere facit, dicit sic: Tam calida et vehemens est exhalatio de ore dæmonis procedens, quod sufficeret ad prunas accendendas. Loquitur ad similitudinem eorum, qui sufflando prunas accendunt; unde subdit: " Et flamma de ore ejus egreditur, „ quia scilicet tam calidus est et ignitus vapor de ore ejus egrediens, quod merito potest flammæ comparari. Per hæc autem omnia designatur quod diabolus sua occulta vel manifesta suggestione perversæ cupiditatis ignem in homine accendit. Hæc ille. Si Evæ peccatum ab intemperantia oculorum inchoavit, ut vidimus, crimen Adæ majus et (*magis*) noxium ab incircumcisione aurium, seu a negligentia custodiendi auditum, incœpit. Indicavit hoc Domini increpatio: Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Si ille non audisset verba mulieris, si suasionibus ejus aures occlusisset, nunquam peccasset.

131. Per auditum fidei datur Spiritus sanctus, et ideo aures aperiendæ sunt fidei. D. Thomas explicans illud Apostoli ad Galat. III: Hoc solum a vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? dicit sic:. Constat quod accepistis Spiritum sanctum; quæro an accepistis illum ex operibus legis, an ex auditu fidei? In primitiva Ecclesia ex divina dispositione, ut fides Christi promoveretur et cresceret, statim post prædicationem fidei ab Apostolis, manifesta signa Spiritus sancti fiebant super audientes. Unde de Petro dicitur Actor. X: Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus, etc. Ipsi etiam Galatæ ad prædicationem Pauli manifeste Spiritum sanctum acceperunt. Quærit ergo Apostolus ab eis unde habuerint Spiritum sanctum. Constat autem quod non per opera legis, quia cum essent gentiles, ante receptionem Spiritus sancti legem non habebant: ergo habuerunt Spiritum sanctum, idest dona Spiritus sancti, ex auditu fidei. Rom. VIII: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, qui scilicet dabatur in lege, sed accepistis spiritum filiorum, qui datur per fidem quæ est ex auditu. Si ergo fides de injustis Galatis sine lege justos fecerat, non est dubium quod sine lege poterat eos in justitia conservare. Magnum ergo erat donum quod per fidem acceperunt. Hæc ille.

132. Profana verba non sunt audienda a viro spirituali: nam sicut per modicum foramen magna copia aquæ in navem ingreditur, quæ eam universosque navigantes mergit, ita prorsus per verbum minus pudicum quasi per parvum foramen magna vis tentationis irruit, quæ navem cordis in periculum submersionis adducat. Hi qui virtutem et puritatem amant, carmina amatoria aut profana nullo modo audiant. Amos V: Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam. Ac si diceret: non possum hujusmodi cantica probare, quæ quod ego in corde facio destruunt, quod ego purifico ipsa irreverenter inficiunt. Vitandæ sunt nugæ, scurrilitates et omnes narrationes risum excitantes: sicut enim hæc dicere levis est animi, ita eadem audire libenter distractæ et levis est mentis. Custodiendæ sunt aures a rumoribus sæcularibus, quæ certe ad viros spirituales non pertinent, cum ipsi viam virtutis ingressi, sæculo et ejus negotiis renuntiaverint. Damnabiliores sunt qui defectus licet modicos fratrum audiunt,

et detractionibus aures aperiunt. Non solum aliorum defectus procul ab auribus abjiciendi sunt, verum et laudes nostræ verissima humilitate repudiandæ.

133. Explicans D. Thomas illud Psal. XLIII: Deus, auribus nostris audivimus, dicit sic: Auditus est necessarius ad sapientiam. Eccli. XVI: Si dilexeris audire, sapiens eris. Et etiam est necessarius sapienti. Proverb. I: Audiens sapiens, sapientior erit. Similiter cuilibet est necessarius, quia nullus est sufficiens ad excogitanda omnia quæ ad sapientiam pertinent. Et ideo nullus ita sapiens est quin instruatur ab alio: quia si audit bona, juvatur recipiendo; si audit mala, juvatur cognoscendo meliora. " Auribus nostris: „ auribus suis audit, quia audit auribus subjectis rationi. Unde homo dicitur in quantum habet rationem. Quando aures sunt subjectæ rationi, sunt humanæ; quando non subjiciuntur rationi, sunt brutales. Luc. VIII: Qui habet aures audiendi, audiat; idest consideret. " Patres nostri annuntiaverunt nobis. „ Hic ostendit quod audivit ab illis qui voluerunt ostendere veritatem, quia patres sunt. Deut. XIII: Interroga patres tuos, etc. Item quia potuerunt docere veritatem, quia antiqui. In antiquis est sapientia. Hæc ille.

ARTICULUS III.

De potentia odorativa.

134. Tertium obtinet locum inter sensus externos odoratus, et potest esse periculosus, si non debite mortificetur. D. Thomas, in libris De anima, dividit organum odoratus in tres partes præcipuas, scilicet in exteriorem, quæ est nasus; interiorem, in qua attrahitur odor; et omnino intimam quæ continuatur cerebro per nervos communicantes spiritus animales, et per eosdem deferuntur species odoris ad sensum communem. Quod attinet ad externam partem, nasus ipse constat parte superiori ossea, et parte inferiori cartilaginea: est autem cartilago pars quædam durior carne, mollior osse. Et desinit in duo foramina, quæ per partem superiorem osseam continuantur, ut videre est in calvaria, in qua pars ossea nasi remanet cum illis foraminibus. In interiori fabrica nasi concurrunt tria.

Primo, occurrit quoddam os ad radicem superiorem nasi positum, quod spongiosum est et multis foraminibus patens: ideoque a medicis vocatur cribrum, quod a natura provisum est ne aer aspiratione attractus libere ingrediatur cerebrum, et frigore suo capiti noceat. In hoc vero osse quasi bipartiti meatus seu viæ cernuntur: quædam quæ ducit ad fauces, respirationi deservit; quædam vero naso ipsi, seu odoratui deservit, et quodam septo cartilagineo, quasi pariete quodam dividuntur. Secundo, sunt in superiori parte nasi quædam tubercula, seu carneæ partes in similitudinem mamillarum, quæ dicuntur processus, seu carunculæ mamillares, quibus species odoris imbibuntur et attrahuntur ab exteriori parte nasi et osse illo cribroso. Tertio, est membrana quædam, seu pellicula quæ tunica exsanguis vocatur, et cooperit illas mamillas, potestque elevari, sicut palpebræ, quæ claudunt oculos et elevantur ad videndum; unde nisi ista tunica elevetur, non fit odoratio: elevatur autem respiratione ipsa. In animalibus autem sine respiratione odorantibus, ut in piscibus, non datur ista membrana, eo quod sine respiratione possunt odorari. Intima pars odoratus constat duobus nervis descendentibus a cerebro, a quibus dependent illæ carunculæ mamillares, et per eas expanduntur usque ad ossa foraminosa. Potentia odorativa est in parte superiori et propinquiori cerebro, scilicet in carunculis mamillaribus, ut uniuntur illis nervis a quibus pendent. Medium odoratus potest diffundi non solum per aerem, sed etiam per aquam. Nec diffunditur semper odor realiter usque ad sensum olfactus, sed sufficit quod intentionaliter ad illum perveniat. Odor est qualitas ex temperamento primarum qualitatum resultans, siccitate dominante et calore humidum decoquente. Species odoris minus nobis notæ sunt, ut docet D. Thomas, lect. 9. De aliquibus autem speciebus odorum agit D. Thomas lect. 13.

135. Multi sunt qui per hunc sensum gravius peccant, qui non ob aliquam necessitatem, sed ob solam curiositatem et corporis oblectationem odorum suavitate se mulcent. D. Thomas exponens illa verba Isaiæ III: Olfactoriola, etc., dicit sic: Hic ponuntur ea quæ pertinent ad organa sensus. Et primo quantum ad olfactum. Olfactoriola sunt quædam pixides in quibus ponebant muscum et hujusmodi; vel etiam quædam vasa sicut poma, de argento facta, perforata ad modum thuribuli, in qui-

bus ponitur ignis et aliquid odoriferum. Cantic. I: Curremus in odorem unguentorum tuorum. Et exponens illud ejusdem capitis: Et erit pro suavi odore fœtor: Hic sublatis ornamentis lasciviæ comminatur cultum miseriæ: Et erit pro suavi odore fœtor. Odor enim ab extra est. Joel. I: Ascendit fœtor ejus, et ascendit putredo, quia superbe agit.

136. Odor aliquando sumitur pro cœlestis gloriæ suavitate et fragrantia, quæ odoratum devotionis attrahit et delectat. Mons enim Libani ratione multitudinis arborum aromaticarum dicitur esse totus odoriferus; ad quod concordat Scriptura dicens, Eccli. XXXIX: Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Sic, quia in monte paradisi sunt Deus, B. Virgo, angeli et sancti, qui velut arbores aromaticæ odore virtutum fragraverunt, necesse est quod odore suavitatis in devotis cordibus redoleant. Devoti sunt sicut apes quæ libenter vadunt ad loca ubi flores odoriferas esse sciunt: sic devoti loca paradisi appetunt, ubi tot sancti odoriferi præcesserunt. In viro justo redolent aromata spiritualia virtutum, videlicet nardus humilitatis et subjectionis, unguentum benignitatis et devotionis, vinea jucunditatis et consolationis, mandragora sublimitatis et contemplationis, thus patientiæ et devotæ orationis, myrrha patientiæ et amaræ compunctionis, Libanus continentiæ et castæ conversationis, balsamus divinæ gratiæ et totius sanctificationis.

137. Explicans D. Thomas illud Cantic. IV: Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris, sic dicit: Vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta, juxta quod Joannes in Apocalypsi cap. III et XVI dicit: Byssinum enim justificationes sunt sanctorum; et ideo dicit: Justitia induit byssum, et induit me sicut ornamento et diademate judicio meo. — Thure autem diximus superius sanctarum orationum munditiam designari. Vestimenta ergo Ecclesiæ thuri comparantur, quia omnia opera Ecclesiæ quasi orationes sunt. In cunctis enim quæ agit semper Dominum deprecatur, et tali modo implet hoc quod Dominus dicit, Luc. XVIII: Oportet semper orare. Nec hoc aliter impleri potest in nostra tota vita, nisi ut conversatio talis sit ut in conspectu Dei oratio deputetur. Thus est arbor Arabiæ Felicis, cortice et folio lauro similis, succum in modum amygdalæ emittens, qui bis in anno colligitur, autumno et vere.

Sed autumnali collectioni præparantur arbores, in earum corticibus flagrantissimo æstatis fervore facto tenui vulnere, ac sic prosiliente spuma pingui quæ concreta densatur, et ubi loci natura poscat, tegente palmam excipientem: quod in arbore hæsit ferro depectitur; ideoque videtur esse purissimum hoc et candidatum esse. Secunda vindemia eadem hyeme corticibus incisis: rubrum hoc exit, nec comparandum priori. Creditur et novellæ arboris candidius esse, sed veteris arboris odoratius. Quod ex eo in rotunditatem guttæ dependet, masculum vocamus; guttam concussu elisam mannam nuncupamus. Thus significat patientiam et orationem, quia thus tritum et in igne positum melius redolet, et sursum etiam (*se*) elevat in fumum: sic patientia in tribulatione, et oratio in fervore. Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

138. D. Thomas explicans illud Cantic. VII: Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris: " Mandragora „ herba est aromatica, cujus radix similitudinem habet humani corporis. Poma ejus optimi sunt odoris, in similitudinem pomi mariani, quod nostri malum terræ vocant; herba rebus medicinalibus aptissima est. Nam ferunt eos qui incommodo vigiliarum laborant, haustu hujus pomi levari et posse dormire. Item ferunt eos qui ob curam secandi sunt, si exteriorem hujus pomi corticem biberint, non sentire sectionem vel adustionem: quæ omnia si quis mystice discutere voluerit, spirituales sensus et Ecclesiæ convenientes ibi inveniet. " Portæ Ecclesiæ „ sunt Apostoli, doctores et sancti; de his portis Psalmista dicebat, Psal. LXXXVI: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Mandragoræ fragrantiam virtutum designant. In portis autem Ecclesiæ mandragoræ odorem dederunt, quia Apostoli et sancti famam suavissimæ opinionis, et odorem virtutum longe lateque sparserunt. Tum etiam ex eo quod mandragoræ faciant hominem dormire, significare possunt sublimem contemplationem, quia contemplatio est quidam spiritualis somnus. Hæc D. Thomas.

139. Justus redolet ad modum unius spiritualis apothecæ, propter humilem subjectionem: et ista est nardus, quæ est herba modica, tamen summe odorifera, de qua dicitur Cantic. I: Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Explicans D. Thomas hunc locum, dicit: Nardus herba est aro-

matica, crassa et fragili radice, soloque parvo et denso, cujus cacumina in aristas se spargunt. Hoc unguento Maria Magdalena caput et pedes Domini perunxisse in Evangelio legitur, Luc. VII, cum esset in domo Simonis, propter benignam devotionem. Et istud est unguentum odoriferum quo devotæ mentes unguntur. Unde cuilibet devoto dicit Deus, Cantic. IV: Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Quod explicans D. Thomas, dicit: Unguenta Ecclesiæ sunt doctrinæ cœlestis charismata, vel etiam fama virtutum, quæ de Ecclesia fragrat. Aromata vero intelliguntur legales observationes. Super aromata ergo est odor unguentorum Ecclesiæ, quia fama evangelicæ perfectionis transcendit laudem legalis observationis, propter jucundam consolationem. Lætitia spiritualis valde redolet apud Deum, et iste est odor vineæ, quia vinum lætificat cor hominis. Cantic. III: Vineæ florentes dederunt odorem suum. Genes. XXVII: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Explicans D. Thomas hunc locum, dicit: Nota quod spiritus sanctorum extaticus aliquando ex occasione sensibilium incipit immutari, et ad excessum propheticum sublevari, sicut Eliseus sublevatus fuit ad tactum citharœdi, prout habetur IV. Reg. III. Et sic forte ex odore vestium est Isaac occasionaliter sublevatus. Unde et a quodam viro sancto (dicit D. Thomas) secrete scio, quod post quosdam excessus quos aliquando habuit, postmodum ad odorem florum sic immutabatur spiritus ejus, quod quasi redibat ad prædictos excessus. Est enim notandum hic quod ad spirituale mysterium concipiendum vel exprimendum valet quædam conformis affectio et repræsentatio sensibilium. Unde D. Hieronymus super Amos dicit quod prophetæ ex illis sensibilibus comparativas et propheticas similitudines plus accipiunt, in quibus fuerunt assuefacti. Et ideo Amos tamquam pastor bonus sumit similitudines a vaccis. — " Ecce odor. „ In hac benedictione secundum litteram quatuor bona ponit. Primum est odor famæ veracis, ex virtutum et virtuosorum operum plenitudine, tamquam ex agro pleno odoriferis herbis et fructibus, emanantis. Secundum est abundantia rerum naturalium temporalium ex fœcundatione terræ procedens. Tertium est potestas dominationis tam in alienos, quam in fratres et propinquos. Quartum est abundantia prosperitatis in omnes sibi faventes, et abundantia calamitatis in omnes sibi adversantes.

ARTICULUS IV.

De potentia gustus.

140. Gustus non mortificatus est maxime periculosus; nam si peccatum primi parentis incœpit dum mulier vidit lignum, et profecit, dum Adam auscultavit uxorem, consummatum est dum Adam de fructu comedit. D. Thomas loquens de ista potentia dicit quod lingua est substantiæ aliquantulum rarioris et laxioris, ut facile humores et salivam imbibat, quæ ad miscendos et devehendos sapores valde conducit. Nititur basis, seu radix linguæ osse quodam fortiori faucibus cohærente. Intra linguam novem musculi inveniuntur et designantur, et quasi dividitur ipsa lingua linea quadam, ut quasi duæ medietates appareant, ut sic videatur speciem quamdam habere duplicis organi, sicut oculi, aures et nares: in substantia tamen est una et continua. Habet quoque duas venas majusculas, duas arterias; duos quoque nervos: alterum duriorem pro motu deservientem cum musculis, alterum molliorem pro discernendis saporibus.— Organum potentiæ gustus est lingua, secundum dispositionem quam habet, siccam in actu, et humidam in potentia; et quoad substantiam inhæsionis est in illo nervo molliori, quia est siccioris naturæ quam ipsa caro linguæ: qui nervus, licet per totam linguam sparsus sit, ut in tota illa sapor gustetur, tamen in cuspide linguæ acrius viget. — In gustu non est assignandum medium extrinsecum deferens species saporum, sed solum medium intrinsecum cui immediate conjungantur ipsæ res gustabiles, ut ibi alteratione aliqua, seu immutatione facta per humectationem linguæ species ejus ad potentiam gustativam perveniant. Sapor est passio facta a sicco terrestri in humido aqueo, cum additione calidi, qui gustum secundum potentiam alterando in actum reducit. — Species saporum extremæ contrariæ sunt duæ, scilicet amarum et dulce; species intermediæ principales, ad quas aliæ reducuntur, præter illas duas extremas sunt sex: pingue, salsum, acetosum, austerum, ponticum et acutum.

141. Duplex est gustus: infectus et perfectus. Gustus infectus est gustus temporalis; gustus perfectus, gustus spiritualis. Lo-

quamur primo de gustu infecto, quem habent peccatores propter voluntatem ciborum delicatorum, a quibus præcipit abstinere D. Paulus ad Rom. XIII: Non in comessationibus et ebrietatibus. Et explicans D. Thomas hunc locum, excludit intemperantiam ciborum, quæ potest esse peccatum. Dicitur autem aliquis vacare " comessationibus „ atque conviviis, non quidem si comedat magnifice secundum statum suæ dignitatis, sicut dicitur, Esther II, quod Assuerus jussit præparari convivium magnificum, propter conjunctionem Esther, juxta magnificentiam principalem: sed quando aliquis hoc facit præter decentiam sui status, et præcipue si ad hoc principalis ejus cura existat, de quibus loquitur Paulus ad Philipp. III: Quorum Deus venter est; " et ebrietatibus „ quæ pertinent ad superfluitatem potus extra mensuram rationis hominem ponentis. D. Thomas, 2 2, qu. 14, art. 4: Omnis enim inordinatio gulæ ex duobus, scilicet ex ipso cibo assumpto et ex ejus acceptione consideranda est. In cibo tria sunt quæ possunt rationis metas præterire. Unum est substantia cibi, si lautior et pretiosior cibus quæratur quam status noster aut necessitas fert; alterum, qualitas cibi, si exquiratur præparationis excessus; tertium, quantitas, si ultra mensuram ingeratur. In acceptione vero cibi duo sunt quæ rationi dissonant, aut tempus, aut modus sumendi: quæ omnia continentur in isto versu: Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

142. Exponens D. Thomas illud Job cap. VI: Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem? dicit Doctor sanctus: Sensus non potest non refugere id quod est nocivum vel inconveniens. Et ideo dicit " Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? „ quasi dicat: non; quia videt quod hujusmodi insipida non conveniunt ad delectationem gustus; et similiter ea quæ non sunt delectabilia non potest cor hominis libenter acceptare, et multo minus illa quæ sunt amara et noxia. Unde subdit: " Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem? „ quasi dicat: non; et sicut hoc est impossibile in sensu exteriori, ita impossibile est quod ea quæ per sensus exteriores apprehenduntur ut noxia, sine tristitia recipiantur. Hæc ille.

143. Gustus perfectus est gustus spiritualis, et hoc modo

gustant viri spirituales et contemplativi. D. Thomas super Psal. XXXIII, exponens illa verba: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, duo facit: primo enim exhortatur ad experientiam divini consortii; secundo, ad observantiam divini timoris. Experientia de re sumitur per sensum: sed aliter de re præsente et aliter de absente, quia de absente per visum, odoratum et auditum; de præsente vero per tactum et gustum; sed per tactum de extrinseca præsente: per gustum vero de intrinseca. Deus autem non longe est a nobis, nec extra nos, sed in nobis. Jerem. XIV: Tu in nobis es, Domine. Et ideo experientia divinæ bonitatis dicitur gustatio. I. Petri II: Si tamen gustatis quam dulcis, etc. Prov. ult.: Gustavit et vidit quoniam bona est negotiatio ejus. — Effectus autem experientiæ ponitur duplex: Unus est certitudo intellectus, alius securitas affectus. Quantum ad primum dicit: " Videte. „ In corporalibus namque prius videtur et postea gustatur: sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur; quia nullus cognoscit qui non gustat, et ideo dicitur prius: Gustate, et postea: Videte. Quantum ad secundum dicit: " Quoniam suavis est Dominus. „ Sap. XII: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis. Et Psal. XXX: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ.

144. In explicatione illorum verborum D. Pauli ad Hebr. VI: Gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, affirmat D. Thomas quod loquitur de sanctis. Donum istud est gratia; et dicitur cœleste, quia a cœlis Deus eam dat. Psalm. LXVII: Dedit dona hominibus. Et Jacobi I: Omne datum optimum et omne dŏnum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Est etiam in eis participatio divinæ bonitatis. II. Petri III: Per quem, scilicet Christum, maxima nobis et pretiosa promissa donavit. Ideo dicit: " Participes facti Spiritus sancti. „ Omnia enim dona dantur ex amore: et ideo ista participatio attribuitur Spiritui sancto. Est autem participare, partem capere. Solus autem Christus Spiritum sanctum habuit ad plenitudinem. Joan. III: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Alii sancti de ejus plenitudine receperunt et participes facti sunt, non quidem substantiæ, sed distributionum ejus. I. Cor. XII: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. — Item in præsenti habuerunt doctrinæ

eruditionem. Et quantum ad hoc dicit: Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum. Verbum istud dicitur bonum quia est verbum vitæ æternæ. Joan. VI: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Psalm. CXVIII: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Dicit autem " Gustaverunt, „ quia non solum illuminat intellectum, sed etiam reficit affectum, in quo est quædam saporatio. Psal. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

145. Veri contemplativi in multis occasionibus mente revolvunt quam libenter gustavit Christus mortem. Audite D. Thomam, cap. II ad Hebr., in expositione illorum verborum: Pro omnibus gustaret mortem. Gustat enim qui non multum comedit nec bibit; quia ergo Christus non perseveravit in morte, sed statim surrexit, ideo gustavit. Psalm. CIX: De torrente in via bibet, etc. Viator festinat. — Item, gustus est discretivus saporis. Unde qui gustat magis discernit quam qui bibit. Ut designet quod mortem et dolorem sensit, et sic mors non fuit phantastica, ut dicit Manichæus et Apollinaris, ideo dicit: " gustaret. „ Thren. I: O vos omnes qui transitis per viam, etc. — Modus vero ponitur cum dicitur: " gustaret. „ Simile habetur Matth. XXVI: Pater, si possibile est transeat a me calix iste. Et hoc propter tres rationes. Primo, propter mortis amaritudinem exprimendam, cujus experientia est per gustum. Thren. I: O vos omnes, etc. Isaiæ XXIV: Amara erit potio bibentibus eam. Secundo, sicut gustare vel non gustare est in potestate gustantis, sic et passio Christi fuit voluntaria. Joan. X: Potestatem habeo ponendi animam meam. Tertio, quia gustare est parum sumere, Christus autem parum perseveravit in morte, secundum illud Psal. XV: Non derelinques animam meam in inferno.

146. D. Thomas, in IV, dist. IX, q. 1, art. 1, quæst. 1, affirmat quod Eucharistia assimilatur gustui. Ad perfectionem sacramentorum novæ legis exigitur quod sit sacramentum aliquod in quo Christus nobis totaliter conjungatur, ut uniatur non solum per participationem virtutis, sicut est in aliis sacramentis: et quia sacramentum est sensibile signum, ideo oportet quod alicui sensui usus sacramenti appropietur. In sensibilibus autem est triplex differentia. Quædam enim sentientibus neque conjunguntur, neque uniuntur, sicut ea quæ sentiuntur per medium extrinsecum, ut in visu præcipue accidit, et auditu et

olfactu, sed solum similitudines sensibilium ad sensum referuntur. Quædam vero sensibilia conjunguntur quidem, sed non uniuntur realiter, sed secundum assimilationem qualitatis tantum, sicut accidit in tactu: quia qualitates tangibilium immutant tactum, nec tamen ex tangente et tactu fit unum nisi secundum quid. Quædam autem et conjunguntur et uniuntur, sicut accidit in cibis et potibus: ideo sumptio hujus sacramenti congrue per modum manducationis fit. Alia vero sacramenta novæ legis, quibus per virtutem eis inditam Christo assimilamur, fiunt in tangendo tantum, ut baptismus. Figuræ autem veteris testamenti, quæ solam similitudinem Christi venturi habebant, significabant per modum visionis. Competit etiam manducatio passioni Christi in hoc sacramento repræsentatæ, per quam corpus Christi vulneratum fuit; convenit etiam effectui qui est robur animæ.

147. Innumera in sacris litteris ex immortificato gustu damna tum animæ tum corporis processisse reperiuntur. Gustus pomi Adamum prævaricatorem faciens, totum genus humanum in eo vitiavit; gustus vini Noe, generis nostri instauratorem, subjiciens, ejus pudenda detegit; gustus Lot duarum filiarum stupratorem effecit; gustus ab Esau jus primogenituræ præripuit; gustus Israelitas in deserto magna ex parte repentina morte sustulit; gustus filios Heli sacerdotis, Ophni et Phinees, gladio Philistinorum confodit; gustus Ela gladio Zambri interficiendum objecit; gustus per manum mulieris caput Holofernis abscidit; gustus Simonem Machabæum in convivio, et filios ejus, et servos occidit. Innumeros alios animo et corpore exterminavit. Nam ex desiderio saporis in saturitatem, ex saturitate in obscœnitates fœdissimas, et ex his in maximas calamitates dejecit, et indignationi Domini tradidit dissipandos. Atque ideo ipse Dominus ait: Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Numquid super his non visitabo, et in gente tali non ulciscetur anima mea?

ARTICULUS V.

De potentia tactus.

148. Tactus omnium sensuum judicatur periculosissimus. Hic enim toto cum sit diffusus corpore, per omnem illius superfi-

ciem, non eam solum quæ apparet extrinsecus, verum et quæ altius recondita est, ad vitiosos contactus adversus animam sæve dominatur: experientia siquidem teste constat quod ad contactum alterius sexus, etiam in parte honesta, statim flamma exsurgit, et sceleris ustio saltem ordinarie percipitur.

149. Tactus est unus sensus secundum speciem atomam. Et hoc modo salvatur commune dictum, quod tantum sunt quinque sensus externi: quod absolute non salvaretur, si essent plures specie distincti. — Organum tactus est in toto corpore quando ab aliquo tangimur: quod necessarium fuit animali, ut posset in omni parte se conservare a nocivis, et amplecti ea quæ sunt convenientia. Potentia tangendi est in nervis sub carne, ex Aristotele. — Tactus non requirit medium externum, sed potius contactum immediatum: ad hoc enim ordinatur iste sensus, ut ea quæ immediate tangunt animal, possint ab eo sentiri, sicut sentimus corpora dura vel mollia immediate superposita carni. Tactu non solum dignoscimus nos qualitates primas, ut calidum, frigidum; sed etiam alias multas, ut molle, durum, asperum, lene. Tactus solum potest percipere qualitates excessivas. Sensus tactus, quia vere sentit, requirit species intentionales sui objecti; et quia valde naturalis est, requirit alterationem physicam, propter conjunctionem qualitatum tangibilium quæ naturaliter alterativæ sunt, nisi alteratio impediatur, sicut post diem judicii impedietur cessante motu cœli. Organum sensus tactus non sentit id quod sibi immediate inhæret in ipso nervo sensorio, nec qualitatem realem in eo productam, sed qualitatem ipsius objecti tangibilis, ut tamen communicatam carni, et mediante carne intentionaliter communicatam ipsi nervo sentienti. D. Thomas multis in locis.

150. Multiplex est tactus. Primus est infectionis, et est ille quo tangimus immunda. D. Thomas explicans illa verba Apostoli II. Cor. VI: Exite de medio eorum, et separamini, et immundum ne tetigeritis: Loquitur Apostolus cum fidelibus et sanctis, exhortans eos ut separentur ab infidelibus; quod dixit Isaias LII: Recedite, recedite inde, et pollutum nolite tangere; quod dicit Apostolus: Et immundum ne tetigeritis. Ubi tria dicit: Exite, separamini, et immundum nolite tangere; quia tripliciter debemus nos haberi ad infideles. Primo ut exeamus ab eis, relinquendo peccata. Zach. II: O, o, o, fugite de terra

Aquilonis, etc. " Exite, „ spiritualiter, non sequendo vitam eorum. Cantic. II: Sicut lilium inter spinas, etc. Et hoc ideo ut vitemus ipsas peccatorum occasiones ab eis datas. " Separamini, „ idest longe ab eorum consensu sitis. Matth. X: Veni enim separare. Numer. XVI: Recedite a tabernaculis hominum impiorum. Tertio, " immundum ne tetigeritis, „ scilicet consentientes eis in malis. Rom. I: Non solum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt. Et hoc quia qui tangit picem inquinabitur ab ea.

151. Alius est tactus devotionis; et ille est quando anima cupit mentaliter Deum tangere, et se ei per devotionis obsequium applicare, sicut de muliere infirma legimus, Matth. IX, quæ cupiebat tangere fimbriam vestimenti Jesu dicens: Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Explicans D. Thomas hunc locum, dicit: Accessit retro. Hic ponitur commendatio ipsius mulieris ex ipsius humilitate et fide, quæ maxima est ad impetrandum. " Accessit et tetigit fimbriam „ a retro: quare a retro? quia immunda reputabatur, unde quidquid tangebat, immundum erat secundum legem, ideo timebat ne repudiaretur. — Item non est ausa tangere nisi fimbriam. Præcipiebatur in lege quod in quatuor angulis vestis portarent fimbrias, et ibi habebant tympana ad memoriam mandatorum Dei, et ut sic ab aliis dignoscerentur; et hanc vestem Christus habebat. Mystice hoc significat gentilitatem quæ accessit per fidem. — Item tetigit vestimentum, scilicet humanitatem, et solum fimbriam, quia per Apostolos tantum. Dicebat enim intra se: " Si tetigero. „ Hilarius dicit: Multa est virtus Christi, quia non solum in animam, sed ex anima in corpus, et ex corpore in vestes redundat, et sic omnia quæ tetigerunt Christi corpus habere debemus in reverentia. Psal. CXXXII: Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti ejus, etc., idest divinitas in carnem; quod descendit in barbam, idest in Apostolos, et in oram vestimenti. — " Salva ero: „ sic si fecerimus et ei adhæserimus, salvi erimus. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini salvus erit.

152. Alius est tactus internæ inspirationis. Explicans D. Thomas illud Cantic. V: Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus, dicit Doctor sanctus: Manum per foramen mittit, et ventrem tangit, cum interna Conditor inspiratione visitat cor, et ad profectum virtu-

tum accendit; sive etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus quia cum esset Deus, homo pro nobis fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens, cœlestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam æternam nobis daret. " Et venter intremuit, „ quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se concutiunt, dum stupere incipimus quanta dignatione hæc Conditor pro nobis agere dignatus est. Nam quod venter cor significet, ostendit Propheta dicens, Jerem. IV: Ventrem meum doleo. Quod quid esset, ostendit subdens: Sensus cordis mei dissipati sunt.

153. Explicans D. Thomas illud Job, cap. I: Sicut Domino placuit, ita et factum est, dicit sic: Non enim esset placitum Deo quod aliquis adversitatem pateretur, nisi propter aliud inde proveniens bonum; unde adversitas, licet ipsa sit amara ex se et tristitiam generet, tamen ex consideratione utilitatis propter quam Deo placet, debet esse jucunda, sicut de Apostolis dicitur: Ibant Apostoli gaudentes. Nam de sumptione medicinæ amaræ aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis, licet sensu turbetur. Idem sanctus exponens illud cap. VII Job: Visitas eum diluculo, et subito probas illum, dicit sic: Notandum est quod in verbis præmissis tres rationes tetigit quare aliquis in hac vita flagellatur a Deo. Prima est ut cohibeatur ejus malitia, ne aliis possit nocere. Secunda est ut habeatur hominis experientia, ut scilicet virtus ejus manifestetur. Tertia in pœnam peccatorum. D. Thomas exponens illud Psal. XXXVII: Intende in adjutorium meum, dicit: Ne derelinquas me, Domine Deus meus, scilicet in tribulatione. Psal. XC: Cum ipso sum in tribulatione. Deuter. XXXI: Dominus Deus tuus est, non dimittet te. Et si ad modicum videaris me derelinquere, tamen omnino ne discesseris a me, quia timeo quod per me non possum subsistere. Equus enim insolescens quando calcaribus fortiter tangitur ad semitam quasi violenter redit. Limax etiam cum levato capite et erectis cornibus incedit, statim, quando tactus fuerit, ad testam rediens se includit. Calculus etiam, quamvis sit frigidus et durus, tamen si sit ferro fortiter tactus, ignis de eo mox exibit. Etiam ferrum ponderosum et frigidum ad stellam maris vertitur, si adamanto fuerit tactum, et levi ligno appensum in aqua apponatur. Sic tactus tribulationis quo a Deo tangimur facit nos insolentiam

carnis dimittere, et ad semitam veritatis redire. Facit nos cornua elationis et superbiæ deponere, et in testam humilitatis includere, et venire. Facit nos quamquam more calculi frigidos et indevotos, duros etiam et obstinatos, ignem charitatis admittere, et nos sanctis desideriis incendere et inflammare. Facit etiam nos quamquam feroces et ponderosos ad stellam maris, scilicet ad ipsum Deum et ad B. Virginem, recurrere et reverti, et ipsos per orationis et devotionis suffragium inspicere. Ecce ergo quot bona facit nobis ille tactus quo per tribulationem a Deo tangimur. Et hoc utique figuratum est Luc. v de leproso, ubi dicitur quod Christus tetigit eum dicens: Volo, mundare; et statim mundatus est. Et Luc. vii dicitur quod Christus tacto lecto in quo ferebatur juvenis mortuus, ipsum statim a mortuis liberavit. Dicit enim D. Thomas 1 2, q. 64, art. 4; et p. p., q. 59, art. 4 ad 3; et 1 2, q. 60, art. 5, quod propria materia temperantiæ sunt passiones circa delectabilia tactus.

154. D. Thomas explicans illa verba Job, cap. iv: Ubi est timor tuus, fortitudo tua, etc., dicit sic: Multiplici autem virtute aliquis in tribulationibus confirmatur, ne deficiat. Primo quidem per reverentiam divinam, dum homines considerant mala quæ patiuntur ex divina providentia provenientia, sicut Job: Sicut Domino placuit, ita et factum est. Secundo conservatur in animi firmitate. Quæ quidem duos gradus habet: nam in quibusdam tanta est animi firmitas, ut eorum animus adversitatibus non nimium molestetur; et hoc ad fortitudinem pertinet, unde dicitur: Ubi est fortitudo tua. Nec accipitur hic fortitudo secundum quod conservat hominem ne succumbat timori; sed ut non dejicitur. Quidam vero gravem tristitiæ passionem ex adversitate patiuntur, sed ab ea per rationem bene dispositam non abducuntur: et hoc videtur ad patientiam pertinere; ut talis sit differentia inter patientiam et fortitudinem, qualem assignant philosophi inter continentiam et castitatem, et ideo adjungit: Patientia tua. Tertio, conservantur aliqui ex amore honestæ actionis, et ex eo quod horrent turpiter agere. Qui etsi interius conturbantur in adversitatibus, tamen nec verbo nec facto in aliquid indecens prorumpunt. Et propter hoc addit: Et perfectio viarum tuarum. Per viam enim actiones intelliguntur, quibus quasi quibusdam viis pervenitur ad finem. Hæc D. Thomas. Augustinus comparat hunc sensum terreno elo-

mento; quoniam sicut reliqua elementa, licet perfectiora, terræ famulantur, eamque salubrem, habitabilem et fœcundam efficiunt: ita alii sensus, licet sublimioris conditionis, tactus voluptati deserviunt. Sed iniquus est herus et crudelis animæ devastator, quo auctore mors ab aliis sensibus cœpta perficitur. Misit Dominus in terram Juda latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon: ad extremum misit Nabuchodonosor regem Babyloniæ, qui deprædatus est terram illam, qui et Joachim captivum in Babylonem transtulit, et omnes principes Juda captivitati subjecit. Sic prorsus quatuor sensus supradicti, sicut quidam latrunculi animam vexant, et aliqua ejus bona deripiunt: at tactus ut immanis tyrannus a sua libertate removet, et misera servitute captivat.

Adde Append., nn. 142-180 et nn. 284-299.

DISPUTATIO III.

DE MORTIFICATIONE SENSUUM INTERNORUM.

ARTICULUS I.

De sensu communi.

155. Dari sensus aliquos internos probavit D. Thomas p. p., q. 78, art. 4, hac ratione: Natura non deficit in necessariis: oportet (*ergo*) esse tot actiones animæ sensitivæ quot sufficiant ad vitam animalis perfecti. Et quæcumque harum actionum non possunt reduci ad unum principium, requirunt diversas potentias, cum potentia animæ nihil aliud sit quam proximum principium operationis animæ. Est autem considerandum quod ad vitam animalis perfecti requiritur quod non solum apprehendat rem ad præsentiam sensibilis, sed etiam in ejus absentia: alioquin cum animalis motus et actio sequantur apprehensionem, non moveretur animal ad inquirendum aliquid absens. Cujus contrarium apparet maxime in animalibus per-

fectis, quæ moventur motu processivo. Moventur enim ad aliquid absens apprehensum. Oportet ergo quod animal per animam sensitivam non solum recipiat species sensibilium, cum præsentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat et conservet. Recipere autem et retinere reducuntur in corporalibus ad diversa principia. Nam humida bene recipiunt, et male retinent: e contrario autem est de siccis. Unde cum potentia sensitiva sit actus organi corporalis, oportet esse aliam potentiam quæ recipiat species sensibilium, et quæ conservet. Rursus considerandum est quod si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret. Sed necessarium est animali ut quærat aliqua vel fugiat: non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates, sive nocumenta; sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ. Et similiter avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat hujusmodi intentiones quas non percipit sensus exterior: ergo præter sensus externos sunt necessarii interni, ut amplius constabit ex natura singulorum.

156. Primus sensus internus est sensus communis de quo loquitur Aristoteles libro De somno et vigilia, cap. II; et III De anima, text. 149. D. Thomas ibi, lect. 3; et p. p., q. 78, art. 4: Sensus communis in anteriori parte capitis ad frontem residet, ad quem sensum omnes externi tamquam ad commune receptaculum omnes suas species intentionales referunt, hisque facile propter humiditatem receptis, circa diversitatem objectorum judicat discernens inter colores, sonos, odores, sapores ac qualitates tangibiles. Hæc enim discerni non possunt a sensu aliquo externo, quia unus sensus externus non potest cognoscere aliquid de objecto alterius, et consequenter neque judicare de convenientia vel disconvenientia illorum inter se; sed oportet ponere potentiam altiorem omnibus quæ de omnibus illis sensibus judicet. Nec per omnes potentias sensuum externorum conjunctim sumptas potest hoc judicium formari, cum a nullo seorsum exeat actus qui aliquid de objecto alterius attingat,

ab omnibus autem simul nullus actus exit. Tum etiam quia sensus externi non reflectunt supra suos actus, nec supra sua objecta: ergo ut cognoscantur actus ipsorum sensuum, v. g. ut quis cognoscat non solum colorem, sed se videre colorem, necesse est recurrere ad potentiam superiorem quæ tales actus cognoscat, et hæc est sensus communis. Ponitur sensus communis ut ab eo administrentur virtutes, idest spiritus animales et influxus ad omnes sensus externos, eo quod omnes radicantur in cerebro, et nervi eorum uniuntur et terminantur in fronte, ubi sedem habet sensus communis.

157. De ratione hujus sensus est recipere omnes sensationes sensuum externorum, et judicare de illis. Audite D. Thomam super cap. II epistolæ D. Pauli ad Philipp.: Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu; idest experimento tenete quod fuit in Christo Jesu. Notandum quod quinque modis debemus hoc sentire, scilicet quinque sensibus. Primo, videre ejus claritatem, ut ei conformemur illuminati; Isaiæ XXXIII: Regem in decore suo videbunt; et II. Cor. III: Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes. Secundo, audire ejus sapientiam ut beatificemur; III. Reg. X: Beati viri tui et beati servi tui, hi qui stant coram te, et audiunt sapientiam tuam; Psal. XVII: In auditu auris obedivit mihi. Tertio, odorare gratias suæ mansuetudinis ut ad eum curramus; Cantic. I: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Quarto, gustare dulcedinem ejus pietatis, ut in Deo semper dilecti simus; Psal. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Quinto, tangere ejus virtutem ut salvemur; Matth. IX: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Sentimus interius per sensum communem qui habet judicare de omnibus externis.

158. Sensibile enim præsentatum potentiæ sensitivæ movet sensum, et ideo illa quæ sunt præsentia, qualia sunt quæ recipiuntur in sensu communi, debemus sentire; et ab illis si mala sunt sicut a nocivis retrocedere et abire. Salmo sentiens aquam amaram, retrocedit ad dulcem; apes, formicæ sentientes fumi, vel alterius rei fœtorem, locum illum dimittunt; bos etiam sentiens cadaver alterius bovis de novo mortui et occisi, horrende mugit et fugit. Tot sunt in mundo amaritudines et dolores, quot sunt immunditiæ et fœtores, et quot sunt insuper mortes,

occisiones, tristitiæ et mœrores. Ista ergo si discrete senserimus, ipsa pro certo fugiemus, et ab ipsis recedemus. Hoc ergo sentite. Philipp. I: Est mihi justum hoc sentire. Sed pro certo videtur quod multi possunt dicere illud II. Reg. XIX: Numquid vigent sensus mei ad discernendum? Quasi dicat: non. Quia pro certo multi sunt qui ita sensum discretionis habent turbatum, quod inter bonum et malum, et inter utile et inutile discernere nesciunt: quinimo unum pro alio recipiunt, mundique tribulationes et miserias non fugiunt neque sentiunt. Similes sunt porcis qui non sentiunt fœtorem stercorum. Similes sunt asinis qui non sentiunt laborem onerum. Ita enim sunt dediti ad mundi delectabilia et ad mundi tristibilia, quod illa non curant: imo, quod pejus est, ista diligunt et procurant; unde videntur dicere illud Proverb. XXIII: Verberaverunt me, et non dolui; traxerunt me, et non sensi.

ARTICULUS II.

De phantasia seu imaginativa.

159. Phantasia seu imaginativa est potentia ordinata ad conservandas species sensatas, et ad cognoscendas res insensatas vel imaginatas. Organum imaginativæ fere est conjunctum organo sensus communis, et ista potentia est magis siccior quam sensus communis, et sic magis retinet species; et cum sit perfectior sensu communi, simul species sensatas componit, ut ex monte, v. g. et auro format montem aureum. Suppono dari species in sensibus internis, sicut datur cognitio. Et sicut istæ potentiæ internæ sunt altiores in cognoscendo, ita requirunt altiores species, vel saltem altiori modo ordinatas, ut cognitio elevatior elici possit; specialiter autem quando objecta repræsentata sunt altioris abstractionis, ut intentiones non sensatæ, requirere videntur aliquas species perfectiores et elevatiores repræsentantes tales intentiones, sicut odium, inimicum, filios, parentes, etc. Istæ enim formalitates non repræsentantur in sensibus externis, et cognoscuntur ab internis: ergo datur aliquod principium repræsentativum illarum. Generantur et producuntur istæ species insensatorum ab ipso animali, a quo solo percipitur ista intentio, idque virtute animæ utentis sensitiva

potentia, ut formativa illarum specierum. Unde dicit D. Thomas, Opusc. XLIII, cap. IV, quod æstimativa est virtus apprehendens de sensato quod non est sensatum, sicut oves inimicitias lupi: unde ab illa potentia in qua objectum redditur sensatum fiunt virtute animæ species illæ elevatiores quæ dicuntur insensatæ. Ad quod etiam valde juvat virtus cœlestis, quæ eminentiam habet ad influendum supra actiones intentionales, ut docet D. Thomas, q. 5 De potentia, art. 8.

160. Imaginativa potest producere et producit infinitas species insensatas ex illis speciebus quas in se habet, ita ut cum imagine domus, turris, plateæ et murorum facit et producit imagines illarum quas nunquam vidit, puta civitatis Jerusalem. Hoc declarat D. Thomas, 2 2, q. 173, art. 2 in corp.: Sicut ex diversa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diversi intellectus, ita etiam secundum diversam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diversæ species intelligibiles: et imaginatio facit quod faciunt omnes sensus externi, videt colores, audit voces, gustat sapores, olet odorifera, tangit blanda. Experientia habetur in somnis in noctis quiete, quando sensus externi sunt impediti et ligati, audiuntur cantus, videntur floresta, percipiuntur odores: et omnia ista sunt virtute imaginativæ.

161. Ista potentia ita debilitata fuit per peccatum Adæ, quod est prima quæ bellum movet in quiete orationis. Figurabatur istud in sacrificio quod fecit Abraham. Sumpsit vaccam triennem, et arietem annorum trium, et capram trimam, turturem quoque et columbam; qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecas posuit: aves autem non divisit. Descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham. Sic similiter, tempore quo vir sanctus offert sacrificium Deo in oratione, imaginativa format varios exercitus cogitationum, ut impediant quietem orationis. Causa utem quare imaginativa format exercitus contra quietem orationis est illa quæ fuit figurata in libro Josue, cap. VI, ubi dicitur quod quinque reges qui habitabant juxta terram promissionis videntes quod Gabaonitæ, qui erant antea Gentiles sicut ipsi, inierunt fœdus cum Josue, protinus venerunt cum exercitu, et circumierunt illorum terram: sic similiter imaginativa videns quietem orationis intellectus, oppugnat eam; et

angelus malus movet phantasmata, quia habet potestatem ad hoc, Deo volente, vel permittente.

162. Ita alligatus est intellectus in hoc statu viæ phantasiæ seu imaginativæ, ut sit commune proloquium: Oportet intelligentem phantasmata speculari. Et dicebat Job cap. XVII: Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Audite D. Thomam in expositione horum verborum: Quasi impeditæ a quieta contemplatione sapientiæ. " Torquentes cor meum, " quia videlicet istæ cogitationes a suavi consideratione veritatis erant deductæ in cogitationes corporalis imaginativæ, quæ semper vigilat. In principio orationis debemus observare illud dictum Bernardi, lib. De amore Dei, cap. I: Curæ, sollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, expectate me hic cum asino corpore, donec ego, ratio scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. (Et alludit sanctus historiæ Abrahæ, quando tulit filium ut sacrificaret illum Domino in monte: qui fuit figura contemplationis; ascendit cum illo solus, et præcepit famulis ut expectarent eum in radice montis cum jumento). Ego ascendo ad montem contemplationis: cogitationes, expectate me.

163. Pauci sunt qui in oratione non perturbentur ab imaginativa; sed tamen attentio non est de essentia orationis, ut definit D. Thomas 2 2, q. 85, art. 13 in arg. Sed contra; quia etiam sancti viri orando quandoque evagationem mentis patiuntur, secundum illud Psal. XXXIX: Cor meum dereliquit me. Nostræ cogitationis volubilitatem sub nomine Balæ, quam Jacob aliquando duxit in uxorem, Richardus de S. Victore pulchre depinxit; nos nomina tantum claritatis causa mutabimus. Imaginatio, inquit, cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepit, quatenus ejus clamorem ipsa mens vix vel omnino cohibere non potest. Hinc est quod sæpe dum psallimus vel oramus phantasias cogitationum, vel quaslibet imagines rerum ab oculis cordis amovere volumus, nec valemus. Quoniam ergo hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus quotidie etiam inviti patimur, qualis et quanta sit imaginationis garrulitas quotidiano experimento docemur. Quæque etiam visa vel audita, quæ aliquando ipsi gessimus vel diximus ad memoriam revocat, et quæ ipsa jam enarrando explicaverit, eadem iterum atque iterum explicare non cessat. Et sæpe cum nulla voluntas cordis

ei audiendi assensum præbeat, ipsa nihilominus, quamvis nullo quasi audiente, narrationem suam explicat. Sic itaque decrepiti senes, vel inveterata anus solent quælibet absque omni auditore referre, et quasi aliquibus præsentibus cum eis sermonem conferre. Hæc ille.

ARTICULUS III.

De cogitativa seu æstimativa.

164. Æstimativa est potentia apprehendens insensata ex sensatis. Ista potentia est post mediam partem cerebri: radicaliter tamen omnes sensus sunt in corde. Ista potentia in homine dicitur cogitativa, cum in eo ex conjunctione ad intellectum aliquid discursus participet. Ex phantasmatibus aliquas intentiones colligit, sicut in ove vel agno ex phantasmate lupi colligit intentionem inimicitiæ. Similiter in ave ex phantasmate paleæ colligit intentionem convenientiæ ad nidum fabricandum. Animalia perfecta percipiunt intentiones non sensatas solum naturali quodam instinctu: homo autem per quamdam collationem; et ideo quæ in aliis animalibus dicitur æstimativa naturalis, in homine dicitur cogitativa, quia per collationem quamdam hujusmodi collationes adinvenit. Unde etiam dicitur ratio particularis, et est collativa intentionum individualium, sicut ratio intellectiva universalium. Ita D. Thomas p. p., qu. 78, art. 4; et q. 81, art. 3; et 1 2, q. 30, art. 3 ad 3; in III, dist. 23, q. 2, art. 2, quæstiunc. 1 ad 3.

165. Non est in nostra potestate malarum aut inanium cogitationum impugnatione carere; at in nostro arbitrio, cum divinæ gratiæ adjutorio, situm est eas constanti animositate respuere. In Numeris, cap. VIII, præceptum est levitis ut radant pilos carnis suæ, non ut eorum radices excidant, quia levitæ, idest assumpti in obsequium Domini, possunt quidem inanes cogitationes rejicere: non tamen possunt earum impulsu non tangi. Rasis pilis, inquit Gregorius, in carne radices remanent ut crescant, ut iterum radantur, quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt. Sed tamen amputari funditus nequaquam possunt: semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat.

Hæc ille. Nec solum in nostro arbitrio, divina gratia fulto, est noxias cogitationes abjicere, sed etiam earum quotidie numerum magis ac magis attenuare.

166. Quanti autem momenti sit cogitationes nostras expendere, et non solum malas, sed et inutiles ac superfluas abjicere, multa declarant. Nam et cogitationes initia sunt verborum, et initia sunt desideriorum et operum. Et ideo qui noxias cogitationes nutrit, noxia desideria, impura verba et mala opera habebit. Aliqui ex mala cogitatione omnem suam vitam inficiunt. Mala et superflua cogitatio initium est mali aut inanis desiderii: illud enim solum cupimus quod prius cogitamus, et difficile est malum mente conceptum desiderium non delectare, et in sola cogitatione contineri. Quare sapienter Laurentius Justinianus ex cogitatione amorem ac desiderium nostrum cognoscendum esse decernit. Vis nosse, inquit, ubi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid amas? Attende quid cogitas. Ita fit ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum ex judicio cogitationis intelligas. Verba quoque perniciosa ex cogitatione procedunt. Judæi enim apud Jeremiam, cap. XVIII, ajunt: Venite, et cogitemus contra eum cogitationes. Et statim subinferunt: Venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. Nec solum inepta cogitatio inepta verba profundit, verum et divinas laudes ac puras orationes impedit. Hoc significant verba Davidis, Psal. CXXXVI: Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

167. Cogitationum, secundum Bernardum, triplex est genus, quas oportet abnegare. Alterum est cogitationum immundarum, sive ad vitia carnis, sive ad alia vitia pertinentium, quæ ut fœtidissimum cœnum, animam primum commaculant, et nisi cito abjiciantur, criminis mortem important. Alterum est cogitationum otiosarum, curiosarum et inutilium, quibus homo otiosus quasi vento pascitur, ut per invia et inaccessa hujus sæculi sine ullo circumspectionis fræno vagetur. Tertium est cogitationum rerum necessariarum, ut cibi, et potus, et vestimenti, et habitationis, et aliorum similium, sine quorum præsidio vitam istam ducere nequimus. Quas cogitationes Bernardus putat in Ruben fuisse designatas, quem Jacob vocavit,

sicut revera erat, primogenitum suum, dixitque de eo: Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. Rubea, inquit, et carnalis, atque sanguinea hujusmodi concupiscentia est, quæ tunc cubile nostrum ascendit, cum non solum memoriam tangit cogitatione, sed ipsum voluntatis stratum ingreditur, et polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ in nobis pullulat, cum cætera vitia processu temporis in malitia mundi hujus variisque occasionibus contrahantur. Hæc ille.

168. Istæ omnes cogitationes ex diversis causis oriri solent. Aliquando enim ex ipsa humani cordis instabilitate nascuntur, quod semper in hoc, in illud cogitatione movetur, et quietum esse non potest: quare nisi diligenter bona cogitemus, ipsum cor illicita, aut otiosa, aut certe sibi commoda quærit cogitanda, in quibus tamquam in luto volvatur. Interdum malæ aut vanæ cogitationes in concupiscentiis nostris progrediuntur: quæ enim concupiscimus et amamus, libenter, si non opere, saltem cogitatione apprehendimus, et quæ nobis ex amore pulchra sunt non sine voluptate concupiscimus. Postrema causa cogitationum malarum aut ineptarum est æstus diaboli, qui quos potest pravis, et impudicis, et amoris cogitationibus vulnerat; quos non potest adeo ferire, saltem vanis et inutilibus cogitationibus fœdat. De quo dicit Job XLI: Halitus ejus prunas ardere facit, quia impulsus ejus cogitationes pravas excitat, et ad impuras concupiscentias impellit. Si ergo vis malas et vanas cogitationes gladio mortificationis abscindere, postula a Domino ut ipse in hoc bello te adjuvet, et cor tuum rebelle tibi subjiciat.

ARTICULUS IV.

De memoria seu reminiscentia.

169. Memoria est potentia ad conservandas et cognoscendas intentiones. In homine dicitur reminiscentia, quia in aliis animalibus solo instinctu naturæ, vel data solum occasione præteritorum recordatur: in homine propria industria et artificio recordatur. Habet sedem in posteriori parte capitis. Objectum memoriæ sensitivæ est præteritum ut præteritum. Ita D. Tho-

mas, p. p., q. 77, art. 8 ad 4: Memoria intellectiva est omnium temporum, et non differt realiter ab intellectu possibili, sed est habitualis retentio ejus, cujus actus est intelligentia quæ oritur ex memoria, sicut actus ex habitu. Ita D. Thomas, p. p., q. 79, art. 6; et q. 93, art. 7 ad 3.

170. D. Thomas in expositione capitis XLIII Isaiæ, dicit quod debemus Deum reducere in memoriam quantum ad quatuor. Primum, quantum ad mirabilia quæ fecit, ad venerandum; Ps. CIV: Mementote mirabilium ejus quæ fecit. Secundum, quantum ad beneficia quæ dedit, ad regratiandum; Eccli. ult.: Memoratus sum misericordiæ tuæ et operationis tuæ quæ a sæculo sunt, quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiæ, Domine Deus noster. Tertium, quantum ad tormenta; Thren. III: Recordare paupertatis meæ, absinthii, et fellis. Quartum, quantum ad præcepta quæ dedit ad observandum; Ps. CII: Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. D. Thomas, Opusc. LVIII, dicit quod memoria Salvatoris, si fuerit derelicta, sequitur triplex malum; scilicet amissio gratiæ. Deut. XXXII: Deum qui te genuit dereliquisti, etc. Et ait: Abscondam faciem meam et considerabo, idest subtraham gratiam. Ubi fons perit, rivus arescit. Isaiæ XVII: Eris deserta quia oblita es Dei creatoris tui. Secundum, subjectio potestati diabolicæ; Judith V: Obliti sunt Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ, idest potestati diaboli. Tobiæ VI: Qui conjugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente excludant, in eo habet potestatem dæmon. Tertium, magna deformitas culpæ. Ad Rom. I: Sicut non probaverunt, idest noluerunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum ut faciant ea quæ non conveniunt. Et, heu! hoc sæpe fit usque ad mortem. Et Joel. I: Computruerunt jumenta in stercore suo. Jumenta impudica et insipientia sunt homines stulti et carnales, Deum præ oculis non habentes.

171. D. Thomas in Opusc. LVIII affirmat quod de nostro Salvatore memoria est habenda ut nostri Redemptoris. Ezech. IX: Signa Thau super frontes virorum dolentium et gementium super cunctis abominationibus quæ fiunt in civitate. Thau signum crucis habet, idest passionis Christi, quæ semper est bonis in mente ferenda. Secundo, ut nostri Inspectoris. Ps. XCIX: Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, omnia scilicet implens, omnia videns, ubique præsens. Psal. V: Providebam Dominum

in conspectu meo semper. Eccli. XXXIX: Opera omnis carnis coram Domino, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Cantic. II: En ipse stat post parietem nostrum, idest indutus parietem carnis nostræ; prospiciens per cancellos, quia, licet intus degens a nobis videri non possit, tamen omnia nostra videt. Tertio, ut justi Judicis. Isaiæ XXX: Ecce nomen Domini venit de longinquo; ardens furor ejus et gravis ad portandum. Ecce venit, idest attendite quia cito venit ad districtum judicium. Hieronymus: Sive comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper intonat in auribus meis quasi tuba vehemens vox illa terribilis: Surgite, mortui, venite ad judicium.

172. D. Thomas, 2 2, q. 49, a. 5, ad 2, ponit documenta quatuor ad bene memorandum. Primum est eorum quæ quis vult memorari quasdam similitudines assumat convenientes: non tamen omnino consuetas, quia ea quæ sunt inconsueta magis miramur, et sic in eis animus magis et vehementius detinetur; ex quo fit quod eorum quæ in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem necessaria est hujusmodi similitudinum vel imaginum adinventio, quia intentiones simplices et spirituales facilius ex animo elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur, quia humana cognitio potentior est circa sensibilia; unde et memorativa ponitur in parte sensitiva. Secundo, oportet ut homo ea quæ memoriter vult retinere sua consideratione ordinate disponat, ut ex uno memorato facile ad aliud procedatur. Unde Philosophus dicit in lib. De memoria, cap. III: A locis videmur reminisci aliquando. Causa autem est quia velociter ab alio in aliud veniunt. Tertio, oportet ut homo sollicitudinem apponat et affectum adhibeat ad ea quæ vult memorari: quia quanto aliquid magis fuerit impressum animo, tanto minus elabitur. Unde et Tullius dicit in sua Rhetorica quod sollicitudo conservat integras simulacrorum figuras. Quarto, oportet quod ea frequenter meditemur quæ volumus memorari. Unde Philosophus dicit in lib. De memoria, cap. III, quod meditationes memoriam servant; quia, ut in eodem libro dicitur, consuetudo est quasi natura. Unde quæ multoties intelligimus cito reminiscimur, quasi quodam ordine ab uno ad aliud procedentes. Hæc ille.

173. Debet purgari memoria naturali notitia patriæ, parentum

et aliorum affinium, ut sic ab inordinato eorum affectu liberetur appetitus: quod facile faciet si quis sibi persuadeat terram esse locum exilii, et cœlum esse patriam, et quod non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus. D. Thomas: Homo enim libenter manet in loco suo proprio. Finis noster Christus est, ut dicitur ad Rom. x. Non habemus hic manentem civitatem, sed ubi Christus est. — Secundo, debet purgari memoria naturali notitia voluptatum et deliciarum, ut earum affectu purgetur appetitus: sola quippe via crucis ad perfectionem ac divinam unionem adducit. Dicit Sponsa, Cant. I: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur. D. Thomas: " Myrrha „ species est aromatica nimiæ amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur; hoc loco passio Christi et sepulcrum designatur. Dilectus meus fasciculus myrrhæ mihi factus est, propter me mortuus et sepultus. " Inter ubera mea commorabitur. „ Nemo dubitat locum cordis inter ubera esse; dicit ergo: Inter ubera mea commorabitur, idest in cordis mei memoria æternaliter habitabit; et nunquam tantorum beneficiorum ejus obliviscar. — Tertio, debet purgari memoria naturali divitiarum et commoditatum inde consequentium notitia, ut etiam earum affectu purgetur appetitus. Cum enim pecuniæ omnia obediant, ut dicit Spiritus sanctus, divitiæ sunt ut plurimum omnium malorum instrumenta; propterea Apostolus suum instruens Timotheum, epist. I, c. VI, sic ait: Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium est quod nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Audite D. Thomam: Pietas est quæstus, ideo addit: " cum sufficientia, „ seu illarum divitiarum quæ dant sufficientiam. Et hoc consistit in duobus. In uno principaliter, scilicet pietate, quæ ordinat alia ad Deum et proximum: et hæc sunt virtutes et dona gratiæ. Sap. VII: Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Secundo, in sustentatione vitæ. Unde dicit: " cum sufficientia, „ in his quæ sunt necessaria ad vitam. Matth. VI: Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus. Deinde cum dicit " Nihil enim, etc. „ assignat rationem hujus; et primo ex humana conditione; secundo ex ejus necessitate. " Nihil intulimus, etc. „ Quasi dicat: Sufficit necessitas, non expedit

superfluitas, quia nihil intulimus in hunc mundum. Job I: Nudus egressus sum de utero matris meæ. Item quantum ad finem, quia nihil auferemus. Ps. LXXV: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Job XXVII: Dives, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos et nihil inveniet. " Habentes alimenta et quibus tegamur, etc.; „ quia bona sunt propter necessitatem quibus indiget homo vel contra interiora consumentia, et hæc sunt alimenta; vel contra exteriora corrumpentia, et sic indiget homo tegumentis vestium et domorum.

174. Debet quarto purgari memoria naturali dignitatum et honorum notitia, ut etiam eorum affectu purgetur appetitus. Hanc doctrinam Christus Dominus suos docuit discipulos, volens eos humiliare, et non dominatione crescere. Et primo cum sancti Jacobus et Joannes primas sessiones in regno cœlorum postulassent, severe et graviter eos arguit, dicens: Nescitis quid petatis; et exhortans ad tolerantiam passionum et contemptus, subdit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Divus Thomas: Temporalia non debetis petere, sed excellentiam spiritualem. Sed si intelligerent spirituale, petebant quod super omnem creaturam haberent eminentiam, quia sedere a dextris nulli creaturæ convenit, ut habetur ad Hebr. I: Ad quem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis? Unde sedere a dextris excedit omnem creaturam. " Potestis bibere calicem? „ Hic examinat eos, et provocat eos ad passionem leviter, quia passionem nominat calicem. De isto dicitur Psal. CXV: Calicem salutaris accipiam; et dicitur calix quia inebriat. " Quem ego bibiturus sum. „ I. Petri II: Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum. Tandem debet purgari memoria naturali sæcularium negotiorum notitia, quibus potest appetitus implicari; quia, ut ait Apostolus, nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. II. ad Timoth. II. Audite D. Thomam quam pulchre loquitur: Alius est finis militiæ spiritualis, et alius est finis militiæ corporalis, quia finis militiæ corporalis est ut obtineant victoriam contra hostes patriæ, et ideo milites debent abstinere ab his quæ abstrahunt a pugna, puta a negotiis et deliciis; I. Cor. IX: Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: sed militiæ spiritualis finis est ut victoriam habeat ab hominibus qui sunt contra

Deum, et ideo oportet quod abstineant ab omnibus quæ distrahunt a Deo. Hæc sunt negotia sæcularia, quia sollicitudo hujus sæculi suffocat verbum, et ideo dicit: implicat se. — Objicit sibi S. Doctor: Negotia sæcularia sunt temporalia; hoc autem Apostolus fecit quando vixit de labore manuum suarum. Respondet quod Apostolus dicit: implicat, et non dicit: exercet. Ille autem eis implicatur, cujus cura et sollicitudo jungitur circa ipsa. Et tunc proprie ipsa hæc interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur non esse necesse implicari animam. Item, non dicit simpliciter: implicatur, sed dicit: implicat se, quia quandoque implicatur, et non se implicat; implicat enim se qui sine pietate et necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officii pietatis et auctoritatis exercetur, tunc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate.

175. Multæ proveniunt animæ utilitates ex purgatione prædicta memoriæ. Prima quia anima summa fruitur tranquillitate, et pace spiritus intima. De qua loquitur D. Thomas, 1 2, q. 70, art. 3, ubi explicat fructus Spiritus sancti. Perfectio gaudii est pax quantum ad duo; primo quidem quantum ad quietem ab exterioribus conturbantibus: non enim potest perfecte gaudere de bono amato, qui in ejus fruitione ab alio perturbatur. Et iterum qui perfecte cor habet in uno pacatum, a nullo alio molestari potest, cum alia quasi nihil reputet. Unde dicitur in Psal. CXVII: Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum, quia scilicet ab exterioribus non perturbantur quin Deo fruantur.

176. Secunda, quod anima mediante hujusmodi purgatione fruitur puritate conscientiæ, quæ per inordinatas rerum creatarum notitias, et per indebitum ad eas affectum ex earum notitiis provenientem, fœdatur et maculatur: sicut enim in materialibus ex contactu rei sordidæ macula contrahitur, sic ex indebito affectu et contactu voluntatis ad res creatas accidit macula spiritualis. D. Thomas explicans illud D. Pauli II. Corinth. cap. I, lect. 4: Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, dicit sic: In duobus enim consistit puritas conscientiæ, ut scilicet ea quæ facit sint bona, et quod intentio facientis sit recta: et ista dicit Apostolus de se. Primo, quod habet intentionem rectam ad Deum in operibus suis, et ideo dicit: quod in simplicitate, idest in rectitudine intentionis.

Sap. v: In simplicitate cordis. Secundo, quod ea quæ facit sunt bona, et ideo dicit: et sinceritate operationis. Puritas autem conscientiæ maximum est bonum, non tantum utile, sed etiam delectabile; propterea vocat Apostolus juge convivium puræ conscientiæ testimonium.

177. Tertia est quod per hanc purgationem activam memoriæ ex naturalibus rerum creatarum notitiis se liberat periculo et occasione multarum dæmonis suggestionum, tentationum ac internorum motuum, quibus plurimas et varias potest incurrere impuritates conscientiæ. D. Thomas, p. p., q. 114, art. 1 et 2, disputat de tentatione hominis a Deo; et in 2 art. dicit quod tentare est proprie experimentum sumere de aliquo, et quod diabolus semper tentat ut noceat in peccatum præcipitando, et secundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare. Et art. 1 dicit quod circa impugnationem dæmonum duo sunt consideranda, scilicet ipsam impugnationem et impugnationis ordinem. Impugnatio quidem ipsa ex dæmonum malitia procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur, et propter superbiam divinæ potestatis similitudinem usurpant: sed ordo multoties est a Deo permittente, multoties a Deo volente.

178. Quarta est quod anima mediante hac purgatione memoriæ ex naturalibus rerum creatarum notitiis redditur apta et disposita ut immediate doceatur a Spiritu sancto, qui se aufert a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et munda replevit Apostolorum corda. Et certe non potest Deus hoc memoriæ vacuum pati, et statim ipsam se ipso replebit: si enim Deus in ordine naturæ non patitur vacuum, nec etiam illud patietur in ordine gratiæ. Cum ergo videt memoriam notitiis creaturarum vacuam, divinis illam notitiis complebit. Unde quantum potest anima procuret non novas acquirere creaturarum notitias, quæ potius obesse quam prodesse possunt: imo si quas habet hujusmodi, memoriam illis purgare studeat. Quod si omnino non possit hujusmodi carere notitiis, sic tamen eis utatur ut ex quocumque rerum eventu non moveatur, saltem non perturbetur; nam, ut ait Psalmista, Psal. xxxviii: In imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. — Mirabiliter loquitur D. Thomas in expositione hujus loci: Omnis homo vanitas: tamen aliquid est in homine fixum, quod semper manet

in eo dum transit, et hoc est imago. Et si loquitur de imagine Dei quæ est in quantum homo est præditus ratione, hæc imago debet resistere vanitati, et non pertransit; et quando facit bona opera non turbatur frustra: sed quando non occupat se in bonis, tunc frustra turbatur.

179. Notitiis etiam supernaturalibus distinctis purganda est memoria. Sicut in ordine naturali notitiæ seu apprehensiones multæ sunt et diversæ juxta diversitatem sensuum quibus acquiruntur; sic et in ordine supernaturali. In utroque ordine notitiæ seu apprehensiones acquiruntur primo per quinque sensus externos, scilicet visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. Unde quædam sunt visiones supernaturales quæ procedunt a principio supernaturali, de quibus loquitur D. Thomas, p. p., q. 12, in multis articulis. Quædam auditiones supernaturales, de quibus loquitur D. Thomas, 2 2, q. 5, art. 1 ad 3: In statu primæ conditionis non erat auditus ab homine exterius loquente, sed a Deo interius inspirante, sicut et prophetæ audiebant, secundum illud Psalmi LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Quædam olfactiones supernaturales, de quibus loquitur D. Thomas, Opusc. LVIII: Anima irrigata dulcedine sanguinis Christi profert triplicem suavitatem gratiæ, scilicet dulces flores virtutum, frondes bonorum verborum, et fructus operum. Quidam gustus, de quibus loquitur D. Thomas multis in locis, in quibus dicit quod passio divinorum dicitur affectus ad divina et conjunctio ad ipsa per amorem et per gustum spiritualem divinorum. Quidam tactus, de quibus loquitur D. Thomas De veritate, q. 28, art. 3 in corpore, ubi dicit quod tactus sumitur active et passive: tactus active sumptus importat actionem Dei intime tangentis animam; tactus passive sumptus importat affectum immediatum hujus intimæ actionis in anima. Hujusmodi operationes tam via naturali ordinarie, quam via supernaturali extraordinarie succedunt. — Deinde sicut in ordine naturali sunt aliæ notitiæ, sicut apprehensiones magis internæ per sensus internos, quæ communiter dicuntur imaginariæ, sic etiam contingit in ordine supernaturali in quo sunt visiones imaginariæ. De quibus disputat D. Thomas, 2 2, q. 171, ubi agit de prophetia. — Denique in utroque ordine sunt aliæ notitiæ seu apprehensiones maxime internæ, scilicet intellectuales. — Supernaturalium autem apprehensionum præcipue sunt qua-

tuor species: visio scilicet tam corporea quam imaginaria, aut intellectualis: de quibus agit D. Thomas in infinitis locis suorum operum, et ideo non citantur; revelatio, tum ut est declaratio alicujus mysterii supernaturalis in ordine ad fidem, tum ut est manifestatio alicujus divinæ veritatis: de qua agit D. Thomas multis in locis, 2 2, q. 2, art. 6, II. Cor. XII, lect. 1; super c. IV Job, lect. 3, et in multis aliis locis; locutio, tum ut importat verba successiva, tum ut importat verba formalia, tum ut importat verba substantialia: de qua loquitur D. Thomas super cap. XXXVIII Job et in multis aliis locis; et nos, quando disputabimus ex professo de omnibus istis.

180. Quando ergo Deus supernaturaliter animæ communicat generalem quamdam et confusam sui notitiam, quæ est manifestatio divinæ veritatis in caligine, qualis ambulantibus per fidem et in ænigmate potest communicari; vel quando Deus animæ loquitur verbis substantialibus; vel quando per intimum illapsum in reali præsentia sic eam in intimo sui centro tangit, ut ipsa Deo præsente quodammodo fruatur, debet ipsa anima notitias inde procedentes in memoriæ sacrario conservare quantum potest, et in ordine ad earum conservationem debet omnes alias, et maxime incompossibiles istis, excludere: quia in istis consistit unio divina ad quam tendit, et quæ pro hoc statu mortalis vitæ haberi potest.

181. Quantum autem ad omnes alias supernaturales notitias, quomodocumque communicentur, sive per visiones, sive per revelationes, sive per locutiones, quantumcumque certa foret anima a Deo eas procedere, debet eis memoriam purgare modo statim subjiciendo, ne quidquam inde detrimenti proveniat ipsi: nam dato et concesso quod veræ et bonæ sint velut a Deo procedentes (si namque forent malæ a diabolo procedentes plurimum damni animæ curiosæ possent afferre, ut infra dicetur) statim ac communicantur, effectum habent in anima quem Deus prætendit, independenter ab ejus industria, et aliunde non vult Deus quod illis adhæreat anima tamquam proprietaria, sed quod, illis receptis, statim illis relictis ad divinam unionem tendat, quæ non est distincta aliqua notitia, sed in caliginosa Dei contemplatione seu in notitia ipsius generali et confusa consistit pro hoc statu viatorum.

182. Notitiæ supernaturales possunt animæ multa causare

damna, si eis adhæreat: quæ reducuntur ad quinque genera damni. Primum est quod sæpius decipiatur in suis judiciis, unum scilicet accipiendo pro alio. Si namque circa res naturales in imaginatione repræsentatas vix certum potest formari judicium, multo minus tale poterit formari judicium circa res supernaturales, quæ nostram excedunt capacitatem. Unde judicabit aliquando quod a Deo procedant, et solum procedunt ab imaginatione. Aliquando judicabit quod procedunt a dæmone, et procedunt a Deo, secundum illud Isaiæ v: Ponentes tenebras in lucem et lucem in tenebras. Quod explicans sanctus Thomas dicit quod hoc dicit quantum ad excusationem peccati. Et primo quantum ad effectum: malum bonum; Malach. vii: Malum manuum suarum dicunt bonum. Secundo quantum ad intellectum: lucem tenebras, veritatem errorem; Joan. iii: Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Tertio quantum ad affectum: amarum in dulce, vitam peccati dulcem existimantes; Sap. xiv: Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam.

183. Secundum est quod in proxima manet occasione cadendi in præsumptionem aliquam aut vanitatem, si de illis curet, aut plurimum æstimat: nam sicut liber est et securus a tali periculo qui nihil præsumptione dignum in se videns, de illis non curat; sic e contrario qui communicationes illas supernaturales multum æstimat, facile credit se amicum Dei esse, cum sibi talia communicat; et simul de se ipso quid magnum præsumet. Et quamvis possit has divinas communicationes non suis meritis, sed puræ misericordiæ Dei ac liberalitati attribuere, ipsique gratias referre, solet tamen quædam satisfactio de illis et occulta etiam sui ipsius complacentia remanere, unde spiritualis superbia resultat animæ incautæ. Videatur D. Thomas, 2 2, q. 21 et 22, in omnibus articulis in quibus disputat de præsumptione.

184. Tertium est quod diabolus facultatem et commoditatem habet ipsam decipiendi mediis hujusmodi notitiis et apprehensionibus, transfigurando se in angelum lucis, falsum pro vero, malum pro bono sub occulto et efficaci dolo proponens; potest secundo circa veras et bonas communicationes a Deo procedentes eam multipliciter tentare, sensibilem aut spiritualem erga illas affectum excitando motibus inordinatis: nam si anima

tales æstimat notitias, et sibi in illis complaceat, facile erit diabolo inordinatum ejus appetitum et affectum circa illas augere, et sic in vitium gulæ spiritualis eam inducere. Quod ut facilius et felicius exequatur, solet gustum, saporem et delectationem in sensu interiori circa res etiam divinas subministrare, ut sic allecta et suaviter attracta anima potius ad illam sensibilem devotionis dulcedinem quam ad amorem Dei verum attendat, vel saltem non sic ad amorem attendat, et plus illas apprehensiones æstimet quam paupertatem ac vacuitatem spiritus, quod exigunt virtutes theologales fidei, spes et charitas: unde paulatim eam decipiat, suas falsitates pro veritatibus suggerendo.

185. Quartum quod impeditur unio Dei in spe. Ut anima possit per spem uniri Deo, renuntiet omnibus quæ possidet, et possidere potest per memoriam: quia ut spes sit perfecta et totaliter de Deo, nihil præter Deum esse debet in memoria; et cum nulla species sive figura memoriæ impressa sit Deus, aut Deo similis, inde est quod si velit anima talem aliquam speciem in memoria retinere eique adhærere, ponit impedimentum unioni divinæ ad quam aspirat, tum quia per illam occupatur et implicatur, tum quia per ejus possessionem amittit spei perfectionem. Necessarium est igitur ut anima procuret esse nudam ac perfecte purgatam omni notitia supernaturali distincta, ut non impediat sui cum Deo unionem secundum memoriam in spe perfecta.

186. Quintum denique quod regulata et directa talibus notitiis non condigne judicat de Deo secundum ejus eminentiam, sed admodum defectuose juxta limitatam conditionem talium notitiarum. Et quamvis non expresse judicet Deum esse aliquid eorum quæ concipit, æstimare tamen has notitias sibique in eis complacere ita facit quod anima non sic Deum æstimat, nec tam alte de ipso sapit quantum fides docet. Isai. LXIV et I. Corinth. II: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. Audite D. Thomam super hunc locum. Ostendit Apostolus quod illa gloria visionis apertæ ab hominibus ignoratur dupliciter. Primo quidem quia non subjacet humanis sensibus a quibus omnis humana cognitio initium sumit. Et ponit duos sensus. Primo, visionis, quæ deservit inventioni, cum dicit quod

" oculus non vidit. „ Job XXVIII: Semitam ejus ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis; et hoc ideo quia non est aliquid coloratum et visibile. Secundo, ponit sensum auditus qui deservit disciplinæ, dicens: " nec auris audivit, „ scilicet ipsam gloriam, quia non est sonus aut vox sensibilis. Joan. V: Neque speciem ejus vidistis, neque vocem ejus audistis. Deinde excludit notitiam ejus intellectualem cum dicit: " neque in cor hominis ascendit. „ Quod quidem potest intelligi uno modo ut ascendere in cor hominis dicatur quidquid quocumque modo cognoscitur ab homine, secundum illud Jerem. V: Jerusalem ascendat super cor vestrum; et sic oporteat quod cor hominis accipiatur pro corde hominis carnalis, secundum illud quod dicitur I. Cor. III: Cum sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Est ergo sensus quod illa gloria non solum sensu non percipitur, sed nec corde hominis carnalis, secundum illud Joan. XIV: Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Alio modo potest exponi secundum quod proprie dicitur in cor hominis ascendere id quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum, puta a sensibilibus, de quibus prius fecerat mentionem. Res enim sunt in intellectu secundum modum ejus: res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo quam in se ipsis. Et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo in cor ascendunt. Unde dicitur Isaiæ V: Non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor. Illa vero quæ sunt intellectu superiora, altiori modo sunt in se ipsis quam in intellectu. Et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo descendunt; Jac. I: Omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Quia igitur illius gloriæ notitia non accipitur a sensibus, sed ex revelatione divina, ideo signanter dicit: " nec in cor hominis ascendit, „ sed descendit, id scilicet quod præparavit Deus, idest prædestinavit, diligentibus se: quia essentiale præmium æternæ gloriæ charitati debetur, secundum illud Joan. XIV: Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum; in quo perfectio æternæ gloriæ consistit. Et Job XXXVI: Annunciat de ea, idest de luce gloriæ, amico suo quod possessio ejus sit. Cæteræ autem virtutes accipiunt efficaciam merendi vitam æternam, in quantum informantur charitate.

DISPUTATIO IV.

DE PURGATIONE PARTIS INTELLECTIVÆ

ARTICULUS I.

Intellectus purgandus est ab ignorantia vel cæcitate.

187. Per peccatum Adæ intellectus humanus graviter vulneratus est, præsertim vulnere ignorantiæ. Et D. Thomas in expositione litteræ textus Primi libri Sententiarum, Distinctionis secundæ, affirmat purgationem mentis esse triplicem: ab errore, a phantasiis, et a culpa. Et error in hoc loco nihil aliud est quam ignorantia et cæcitas, qua homo et in notione veritatis errat, et quid sit faciendum a se vel alio, aut fugiendum ignorat. Et ideo merito attribuitur homini illud Davidis Psalm. XLVIII: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Audite D. Thomam in expositione horum verborum: Homo habet duplicem naturam: rationalem et sensitivam. Secundum naturam rationalem homo habet similitudinem cum Deo et angelis. Gen. I: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; Psalm. VIII: Minuisti eum paulo minus ab angelis. Secundum autem sensitivam naturam habet communicationem cum bestiis. Primo ponit honorem hominis quantum ad hoc quod habet similitudinem cum angelis. Unde dicit: " Homo cum in honore esset, " scilicet similis ad Deum. Et ex hoc quod hæc habet, præmittit tria: quia præmittit quod hæc non considerat, scilicet quod sit similis Deo; secundo, quod declinat in ignorantiam et ignobilitatem bestialem; tertio, quod consequitur actum bestialem. Quantum ad primum dicit: " non intellexit, " scilicet quod ad imaginem Dei sit factus, et quod esset aptus ad possidenda cœlestia. Sap. II: Neque speraverunt mercedem justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quantum ad secundum dicit: " comparatus est jumentis. " Bruta

animalia operantur ex passione: et hoc patet quia canis statim cum irascitur, clamat; equus cum concupiscit, hinnit. Sed non imputatur eis, quia carent ratione. Si ergo homo statim cum concupiscit, sequitur passionem, et iratus percutit, comparatus est in agendo jumentis insipientibus. Psalm. xxxvii: Nolite fieri sicut equus et mulus, etc. Quantum ad tertium dicit: " et similis factus est illis. „ Nam quando natura brutorum inclinatur ad aliquid, sic utitur passione, et consuetudo vertitur in naturam. Quando ergo homo assuescit secundum passionem vivere, jam vertitur in naturam, et ideo similis factus est illis per habitum ex malis operibus aggravatum. Jer. v: Equi amatores et emissarii facti sunt. Et ideo dicit Philosophus quod pejor est malus homo quam mala bestia, quia cum malitia habet intellectum, ut diversa mala adinveniat. Hæc ille.

188. D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. Cor. vi: " Nolite errare. „ Quod signanter dicit, quia circa impunitatem peccatorum aliqui multipliciter errabant, secundum illud Sap. ii: Et cogitaverunt, et erraverunt. Quidam enim philosophi erraverunt credentes Deum non habere curam rerum humanarum, secundum illud Soph. i: Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male. Quidam vero credentes solam fidem sufficientem esse ad salutem, secundum illud Joan. xi: Qui credit in me non morietur in æternum; quidam vero credentes per sola Christi sacramenta salvari, propter id quod dicitur Matthæi ultimo: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, et Joan. vi: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam æternam; quidam vero propter sola opera misericordiæ se impune peccare arbitrantur, propter illud quod dicitur Lucæ xi: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Nec intelligunt quod hæc omnia sine charitate non prosunt, secundum illud quod dicitur I. Cor. xiii: Si habuero omnem fidem, et distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: et ideo subdit quod peccata contraria charitati a regno Dei excludunt, in quod sola charitas introducit. Hæc ille.

189. Est error electionis: et iste est quando nescitur quid est melius; ita quod quandoque pejus pro meliori eligitur, et e converso. Istum errorem inducit cæcitas ignorantiæ, quæ non sinit hominem recta eligere vel judicare. Si enim denarius

aureus vel plumbeus cæco anteferretur, faciliter erraret in eligendo. Tali modo erravit Jacob, cui de nocte supposita est Lia pro Rachele; ipse vero Liam pro Rachele suscepit, et cum ea delicias duxit: qui tamen non suscepisset, si eam clara luce vidisset. Tali modo decipiuntur multi in electionibus prælatorum, quia cæcitas ignorantiæ, cæcitas etiam affectionis ipsos excæcat: ideo sæpe fit quod unum pro alio, plumbum pro auro, malum pro bono, hypocritam pro viro sancto eligunt et assumunt. Unde, Thren. IV: Erraverunt cæci in plateis.

190. Est error cognitionis. Et isto modo potissime errant prælati in promotionibus subditorum, figurati in Isaac, qui cæcutiens, et Jacob Esau esse credens, pellibus caprinis quibus mediantibus ipsum tetigerat deceptus, benedictionem primogeniti secundogenito concessit, sicut dicitur Genes. XXVII. Quia vero prælatus, quando est cæcutiens et ignorans, maxime quando tangit personam mediante pelle carnalis affectionis, sæpe taliter errat et decipitur quod primogenitos et filios Ecclesiæ suæ subditos, meliores et antiquiores, impromotos dimittit; juniores vero et imperfectiores, ad quos afficitur, promovet et extollit ad benedictionem, idest beneficium quod ad alios pertinebat eis indebite concedit. De isto ergo errore dicitur Eccle. X: Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. Isto etiam modo errant judices in judiciis: ignorantes quid agere debeant, et ignorantes merita personarum, sæpe fit quod malos dimittant, bonos puniant, exemplo Lamech, qui cæcus credens sagittare bestiam, hominem interfecit, sicut dicitur Gen. IV. Isto etiam genere errorum erratur in fide et veritate, quando scilicet hæresis fides creditur, et quando mendacium veritas reputatur; Isaiæ LIII: Omnes nos quasi oves erravimus.

191. D. Thomas, Quæst. III De malo, art. 7, definit errorem sic: Approbatio falsa pro veris; unde addit actum quemdam super ignorantiam. Potest enim esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat: et tunc ignorans est, sed non errans; sed quando jam falsam sententiam fert de his quæ nescit, tunc proprie dicitur errare. Quo modo errant illi qui solum cogitant et quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Cætera sunt vana: imo vanitas ipsa, quandoquidem ad salutem

æternam nobis prodesse nequeunt. Quid magis vanum, inutile et perniciosum est, quam relicta salutis æternæ cura, quæ sola magnum principale et summum negotium est, continuo cogitare de aliis, quæ minima sunt, accessoria, ac mentis humanæ penitus indigna: et hoc tanto studio, tanta diligentia, tantaque animi perplexitate, ut miseri mortales nullum ad ea comparanda formident periculum, nullum vitent laborem, ipsam sæpius corporis, et quod deterius est, etiam animæ mortem incurrant?

192. D. Thomas, in II, dist. 39, q. 3, a. 1, dicit in solutione ad 1, intellectum non errare circa prima principia secundum se considerata; contingit tamen errare circa ea, secundum quod sunt in virtute in conclusionibus per malam ratiocinationem. Et in art. 2 ejusdem Distinctionis in Corpore, dicit quod principia propria non sunt per se nota naturaliter, sicut principia communia; sed innotescunt vel per inquisitionem rationis, vel per assensum fidei; et quia ratio conferens quandoque decipitur, ideo circa ista principia contingit errare. Quam verum principium est quod paupertas est amplectenda! Et tamen ita decipiuntur homines a divitiis, quod multi sunt qui de solis divitiis comparandis cogitant, earumque cogitatione et amore præventi, solis illis inhærent; terras percurrunt, maria navigant, ad incognita penetrant loca, ut commercio sæpius illicito divitias congregent. D. Chrysostomus: Qui collocat thesauros in terra, non habet quid speret in cœlo. Ut quid respiciat in cœlum, ubi nihil habet repositum? Quidquid pro anima tua feceris, hoc tuum est; quod autem reliqueris, perdidisti.

ARTICULUS II.

Intellectus purgandus est a phantasiis.

193. De isto articulo pauca dicentur in hoc loco, quia materia illius pertinet ad Tertiam Quæstionem de Vita illuminativa, seu contemplativa: solum hic memoriam facimus ut tradatur completa doctrina circa purgationem activam partis cognoscitivæ. — Dum anima ad supernaturalem Dei contemplationem, quæ pro mortalis vitæ statu in generali et confusa ipsius Dei

notitia consistit, misericorditer elevetur, debet statim omnes notitias particulares et distinctas, sive naturales sive supernaturales, dimittere, et tunc Deo loquenti et instruenti suaviter attendere. Ita D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 4 ad 3. Idem tenet D. Bonaventura, lib. 1 De profectu religiosorum; loquens ad intentum nostrum sic ait: Perfectio memoriæ est ita hominem in Deum esse absorptum, ut etiam sui ipsius, et omnium quæ sunt obliviscatur; et in solo Deo, absque omni strepitu volubilium cogitationum atque imaginationum, suaviter quiescat. Et Gilbertus abbas, serm. 1 in Cantica: Per noctem quæsivi quem diligit anima mea: Quid si ad inventionem Dilecti et nox operetur? Cooperatur plane et accommodate satis. Sicut in lectulo sanctæ quietis accipis otium, sic oblivionem quamdam intellige in nocte. Nec Salomon vult te scribere sapientem, nisi in tempore otii; nec Paulus ad interiora extenditur, nisi prius eorum quæ retro sunt, oblitus. In umbra rerum visibilium oblivionem aliquantam accipe, in nocte omnimodam. Quis mihi dabit sic advesperascere? Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia nec respicit, nec notare putat, dum ad illum quem diligit intenta suspirat. Ratio hujus doctrinæ est manifesta: nam contemplatio divina est operatio mentis quietissima et suavissima, qua vacat anima Deo sibi præsenti cum amorosa attentione. Cui actioni seu operationi non solum non potest anima proprio studio cooperari, sed etiam si tunc vellet operari propria industria, pacificam et quietissimam illam operationem ac divinam communicationem incitatis suis actibus perturbaret, ac prorsus impediret; nam certum est quod si vellet anima juxta naturalem suarum potentiarum capacitatem operari, et maxime considerando, divinum illud opus inverteret, suamque pacem inquietaret. Tunc otio potentiarum cum simplici rerum cœlestium intuitu, et dulci consensu et fruitivo amore, non multiplici earum consideratione vel exercitio opus est: sicut enim tunc animæ divina notitia generalis passive communicatur, sic debet passive tantum se gerere absque ulla operatione interna vel externa.

194. Contemplatio supernaturalis est præmium et finis connaturalium operationum intellectus. Si enim quando divinitus conceditur, et in ea divini Spiritus substantia communicatur, nollet anima in Deo suo suaviter quiescere, sed operari vellet

connaturaliter speciem aliquam considerando, vel super ea quæ contemplatur reflectendo, se haberet ad instar illius qui perveniens ad finem viæ, de novo vellet incedere; vel ad instar alterius qui perfectum opus vellet iterum incipere: et consequenter semper laborem viæ sustineret, et nunquam termini quiete potiretur; opus perfectum impediret, et nihil perfecti faceret, quia non potest ex se ipsa pertingere ad illud obtinendum quod ei liberaliter a Deo conceditur. Dicat igitur imitando sanctum prophetam Habacuc: Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor quid dicatur mihi. Quasi diceret: Ero vigilans custodiendo potentias meas, non procedam in connaturalibus meis operationibus, et ita contemplabor quid mihi supernaturaliter ostenditur, revelatur aut dicitur, ac fruar divinis communicationibus.

195. Et non inde sequitur quod anima maneat tunc otiosa, si tunc memoriam Dei sæpius non excitet, et non multiplicet actus virtutum erga eum. Quia maximum bonum in silentio potentiarum advenit, et divinam sapientiam dulciter gustat, quia Deus mundo se communicat dum medium silentium tenent omnia, et nox suo cursu medium iter habet. Sileat igitur anima in se ipsa, solique Deo suaviter attendens, dicat: Loquere, Domine, quia audit ancilla tua. Vult cœlestis Sponsus quod soror ejus sponsa sit hortus conclusus, fons signatus. Si cæteris anima notitiis clausa fuerit, et a Deo signata, penetrabit ad ipsam suavissimus ille Dominus, qui januis clausis intravit ad discipulos, eamque pace perfundet quam mundus dare non potest; ejus potentias, intellectum, memoriam et voluntatem divinis charismatibus implebit: expectet patienter, ab omnibus aliis evacuata, et credat quod bonum ejus adveniet, et non tardabit. Notandum tamen quod quando contemplationis exercitium transierit, poterit anima piis meditationibus ac sanctis discursibus vacare.

ARTICULUS III.

Intellectus purgandus est a culpa.

196. Sanctissimus præceptor D. Thomas, p. p.. q. 48, art. 5 ad 6, definit culpam hac ratione: Culpa est voluntaria inordinatio, vel privatio boni. Idem D. Thomas in expositione c. x

Isaiæ affirmat quod culpa consistit in transgressione præcepti, vel in abusu auctoritatis. Et, 2 2, q. 79, art. 2 in corp., dicit quod nomen transgressionis a corporalibus motibus ad actus morales derivatum est. Dicitur autem aliquis secundum corporalem motum transgredi ex eo quod graditur trans terminum sibi præfixum. Terminus autem præfigitur homini ut ultra non transeat in moralibus per præceptum negativum. Et ideo transgressio proprie dicitur ex eo quod aliquis agit aliquid contra præceptum negativum. Quod quidem materialiter potest esse commune omnibus speciebus peccatorum, quia per quamlibet speciem peccati mortalis homo transgreditur aliquod præceptum divinum. Sed si accipiatur formaliter, scilicet secundum hanc specialem rationem, quod est facere contra præceptum negativum, sic est speciale peccatum dupliciter. Uno modo secundum quod opponitur ad genera peccatorum opposita aliis virtutibus. Sicut enim ad propriam rationem justitiæ legalis pertinet attendere debitum præcepti, ita ad propriam rationem transgressionis pertinet attendere contemptum præcepti. Alio modo secundum quod distinguitur ab omissione, quæ contrariatur præcepto affirmativo. — Peccatores per peccatum male gradiuntur. Isti sunt sicut cancer, qui est piscis retrogrediens; nunquam directe graditur, sed semper retrograde et oblique: sic peccator nunquam tendit recte versus paradisum, sed oblique currit et graditur. Genes. III: Super pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Quia pro certo habetur (*quod*) serpentes, idest serpentini peccatores, super pectus suum gradiuntur, in quantum per pectoralem affectionem inferius per peccatum inclinati videntur, et terram dicuntur comedere, quoniam se solent in bonis terrenis plus debito delectari. Isti figurantur Levit. XI, ubi dicitur quod omne animal quadrupes, quod super pectus gradiebatur, immundum erat; ubi etiam dicitur quod omnis volucris, quæ super quatuor pedes gradiebatur, erat immunda. Quia inter quadrupedes, idest inter sæculares, et inter volucres, idest inter clericos et inter regulares, illi coram Deo sunt immundi qui cum quatuor pedibus, idest quatuor affectibus; et cum pectore, idest cum cordis desiderio et amore, gradiuntur inferius circa terram, et circa bona delectabilia et terrena. De quibus dicitur Ezech. XX: Post idola graditur cor eorum. Et de talibus gressibus dicitur Prov. V,

ubi (*Sapiens*) loquitur de mala muliere, dicens quod pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus ejus penetrant.

197. Culpa consistit in abusu auctoritatis; et, ut dicit D. Thomas, 2 2, q. 155, art. 2, Gravitas peccati magis attenditur in abusu rei quam in omissione debiti usus. Et p. p., q. 48, a. 6: Peccatum dupliciter contingit in actibus humanis, scilicet ex natura facti, ut in malis ex genere; et ex abusu boni. Et 1 2, qu. 2, art. 4 ad 2, docet quod, sicut optimum est quod aliquis bene utatur potestate in regimine multorum, ita pessimum est si male utatur. Et, 2 2, q. 65, art. 3 ad 1, affirmat quod homo qui abutitur potestate sibi data, meretur eam amittere. Et ideo D. Thomas, ut jam dixi, in expositione cap. x Isaiæ, super illa verba: Ipse autem, etc.: Hic ponitur abusio potestatis concessæ, in quantum excessit fines mandati. Et primo ponitur ejus propositum; secundo propositi motivum, et taxat pœnam, et adauget eam quantum ad modum: ad omnia conterenda; et quantum ad numerum gentium. Habacuc I: Ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt. Et c. II: Cogitasti confusionem domus tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. Numquid non reges simul et principes mei sunt?

ARTICULUS IV.

Intellectus purgandus est judicio proprio in rebus agendis.

198. Judicium ex D. Thoma in II, dist. 24, q. 1, art. 1 ad 3, non nominat potentiam nec habitum, sed actum. Et secundum primam impositionem significabat rectam determinationem justorum; sed postea ampliatum est nomen ejus ad significandam omnem rectam determinationem, tam speculativam quam practicam. Ita D. Thomas, 2 2, q. 93, art. 2 ad 3. Proprium ergo judicium est quod non est Dei nec hominum sapientium judicio conforme, sed singulare nostrum, ab aliorum definitione ac sententia dissentiens. A quo fugiendum esse docet D. Thomas, 2 2, q. 49, art. 3, ubi disputat de docilitate, quæ est pars prudentiæ. Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus, cum sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab

uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, nec per temporis diuturnitatem. Unde in his quæ ad prudentiam pertinent maxime indiget homo ab alio erudiri: et præcipue a senioribus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Unde Philosophus dicit in VI Ethic.: Oportet attendere expertorum et seniorum et prudentium indemonstrabilibus enuntiationibus et opinionibus, non minus quam demonstrationibus. Propter experientiam enim vident principia. Unde et Proverb. III: Ne innitaris prudentiæ tuæ; et Eccli. VI: In multitudine presbyterorum, idest seniorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere. Hæc autem pertinent ad docilitatem, ut aliquis sit bonæ disciplinæ susceptivus, et ideo convenienter docilitas ponitur pars prudentiæ. Hæc D. Thomas.

199. Eccli. XI: Ne dicas: sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor? Proverb. XXVIII: Qui confidit in corde suo stultus est. Et Proverb. XII: Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia. Augustinus in epistola ad Palatinum tom. 2, circa finem: Cave ne tibi subrepat in tua virtute confidere: homo es enim, et maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. Bernardus, serm. III de Resurrectione: In corde duplex est lepra: propria voluntas et proprium consilium. Lepra utraque nimis pessima est. Et infra: Lepra vero proprii consilii eo perniciosior est quo magis occulta, et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur. In Numeris cap. V dicitur: Præcipe filiis Israel ut ejiciant de castris omnem lepram, quia fert contagium. Cassianus, Collat. II, c. X: Nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivit exemplo. Basilius in epistola ad Chilonem anachoretam: Maxime omnium cave ne tui unius consilio imprudenter innixus, tuæ uni te permittas plus æquo fiduciæ, nequando per rudem rerum inexperientiam e salubri fastigio religionis, quam ex professo percolendam accepisti, (*te*) deturbare (*contingat*).

200. Negare debemus proprium judicium in his quæ pertinent ad doctrinam et inquisitionem veritatis, et debemus adhærere doctrinæ Christi et Ecclesiæ. Quæ, ut docet D. Thomas super cap. LV Isaiæ, dicitur aqua, quia infirmos sanat, Eccli. XV: Aqua sapientiæ potavit illum; secundo, quia iniquitates mundificat, Ezechiel. XXXVI: Effundam super vos aquam mundam,

et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris; tertio, quia sitientes satiat; Joan. IV: Si quis biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. In eodem capite comparat doctrinam vino. Primo, quia pungit arguendo; Isaiæ I: Vinum tuum mixtum sit aqua. Secundo, quia incendit exhortando; Psal. CIV: Eloquium Domini inflammavit eum. Tertio, quia inebriat consolando; Isaiæ ult.: Inebriamini ab uberibus consolationis vestræ. In eodem capite comparat illam cum lacte. Primo, propter pulchritudinem; Genes. penult.: Nephthalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Secundo, propter dulcedinem: Cantic. II: Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis. Tertio, propter sumendi facilitatem; I. Pet. I: Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.

201. Negandum est etiam proprium judicium in rebus a tota congregatione probatis, et summa omnium qui bene sentiunt consensione susceptis. Quia, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 49, art. 3 ad 2, ad docilitatis consummationem plurimum valet humanum studium: dum scilicet homo sollicite, frequenter et reverenter applicat animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam. Et D. Thomas, super cap. VI Matthæi, sollicitudinem nominat providentiam cum studio. Studium autem est vehemens applicatio animi. Proprium judicium magna abnegatione eget in rebus particularibus quæ ad nostras animas pertinent, et ad viam spiritus ambulandum, in quibus proprio judicio regi, et magistri spiritualis documenta præterire, irreparabilia damna solet inducere. Magister spiritualis qui alium debet instruere tria debet habere, ut docet D. Thomas, 1 2, q. 111, art. 4, in corpore: primum, quod homo qui debet instruere sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex his instruere alios possit; secundum, quod possit confirmare vel probare ea quæ dicit; alias non esset efficax ejus doctrina; tertium, ut ea quæ concipit possit convenienter auditoribus proferre.

202. In fine hujus articuli proponenda est admirabilis doctrina, quam tradit D. Thomas, opusc. LXIV, ubi dicit: Qui vult ad sui perfectam cognitionem cito et faciliter venire, ac perfecte pacem conscientiæ possidere, primo cor suum spoliet omni amore et affectione sensuali a quacumque persona et re temporali, sic quod intra Deum et cor suum nullum sit medium

impediens, et nihil diligat extra Deum: et tunc talis affectio non erit medium impediens, sed adjuvans et coaptans. Secundo, exuat cor suum ab amore inordinato ad se ipsum, videlicet quod non sit fur et latro honoris et laudis, appetendo aliquid de his quæ debentur soli Deo simpliciter; nihil etiam terrenum appetat, nisi pro Dei servitio et utilitate animæ suæ vel proximi; abneget propriam voluntatem, cupiat alienum velle potius quam suum perficere, nec a voluntate Dei ac ejus permissione animus suus discordet. Tertio, ad suæ conscientiæ stimulum frequenter se exerceat memorando præterita delicta, se ipsum arguendo de negligentia, concupiscentia et nequitia. De negligentia quidem se arguat si cor suum non bene custodivit, si tempus suum inutiliter expendit, si opera sua in finem debitum non reduxit; adhuc si fuit negligens in oratione, in lectione et boni operis executione, quorum unum non sufficit sine altero; adhuc si fuit negligens ad agendam pœnitentiam de commissis, ad resistendum tentationibus a Deo permissis, ad proficiendum in bonis sibi ostensis.

203. De concupiscentia se reprehendat cogitando si in se vivit aut vixit concupiscentia et voluptas, appetendo dulcia et mollia, et cibaria sapida, vestimenta deliciosa et oblectamenta luxuriosa: quæ omnia in primo motu sunt fugienda. Item si vivit in se vel vixit concupiscentia curiositatis, appetendo scire occulta Dei aut creaturarum, videre pulchra, habere pretiosa, et similia: quæ omnia procedunt ex avaritia. Item si in se vivit aut vixit concupiscentia vanitatis, appetendo humanos favores, vel honorem, laudem, propriam gloriam: hæc omnia quæ faciunt homines vanos sunt fugienda a quocumque, et maxime religioso, qui debet ambulare in veritate coram Deo et hominibus in cunctis bonis operibus suis, et ordinare cor, verba et opera in laudem Dei, et ædificationem proximi, et utilitatem sui, nihil extra Deum ullatenus appetendo.

204. De nequitia vero se arguat cogitando si in se vivit aut vixit iracundia in verbo, in animo, vel in exteriori signo, et si aliquem ad iracundiam provocavit. Hoc autem vitium non potest corrigi nisi per spiritum veritatis, ut scilicet homo consideret quid meruit per peccatum mortale, ac per hoc bonitatem Dei attendat et patientiam, quæ ipsum sustinuit usque nunc, neque adhuc eum damnare vult, cum juste possit, ac potuit

quoties mortaliter deliquit. Cum ergo veritas ingreditur animam, et ibi permanet, omne cor impatiens et furiosum efficitur humile et mansuetum, et omne cor durum et impium efficitur pium et compassivum. Hæc autem virtus ingreditur solummodo in cor mundatum.

205. Item cogitet si in se vivit aut vixit nequitia invidiæ, quæ de bono alterius contristatur, et de malo jucundatur: quod vitium directe contradicit Spiritui sancto; et ideo ex invidia oritur peccatum in Spiritum sanctum, quod dicitur invidentia, contra quod scriptum est in Matthæo: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et ideo peccatum hoc non remittitur in hoc sæculo neque in futuro. — Item cogitet si in eo est vel fuit nequitia accidiæ, quæ consurgit ex tædio boni, aut ex otiositate nimia, aut ex timore vel dolore alicujus mali. Et ex hoc oriuntur pessimæ suspiciones, malignæ cogitationes, blasphemiæ, diffidentia de Deo, et finalis desperatio. Ad hanc sæpissime veniunt insolentiæ dediti, et qui se negligunt in bonis exercere, et tempus suum utiliter expendunt; nec non qui nimis est vitiosus, ambitiosus, appetendo excessive honorem: talis qui appetit supra meritum suæ sufficientiæ, nunquam habet quod appetit. Sed, quod pejus est, justo Dei judicio tanto magis ad ima trahuntur, quanto magis se ipsos elevaverunt et procuraverunt per alios trahi sursum. Qui ergo hoc vitium vitare desiderat, studeat otium evitare, et mentis et corporis superare pigritiam, eorumque occasiones præscindere quæ sunt amor quietis et immoderantia victus: propter has duas causas, et peccata pessima perpetrata sunt. Ex his occasionaliter venit ira Dei super Sodomam et Gomorrham. Idcirco sancti patres fugientes de hoc sæculo ad desertum, contra illud vitium accidiæ, quæ inficit et dissipat omne bonum, statim armis temperantiæ, et occupationis, et continentiæ, ne otiositatem radicem omnis mali incurrerent, se principaliter muniebant.

ARTICULUS V.

De purgatione propriæ voluntatis.

206. Voluntas autem propria dicitur quæ ita nostra est, ut in eo quod volumus non sit Deo proximisque communis; ut si

ego volo dormire aut vigilare, quo tempore non est secundum divinam voluntatem quod (*dormiam aut*) vigilem, et ordinationis instituta, jussiones prælatorum et consensus fratrum tunc (*dormiendum aut*) vigilandum esse non censent; et dicitur fieri ex propria voluntate. Ista propria voluntas purganda est. Audite D. Thomam, opusc. XVIII: Docet enim Dionysius, c. IV De div. nom., quod divinus amor est extasim faciens, idest extra se ipsum ponens, non sinens hominem sui ipsius esse, sed ejus quod amatur: cujus rei exemplum in se ipso demonstravit Apostolus dicens, ad Galat. II: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus: quasi suam vitam non suam æstimans, sed Christi, quia quod proprium sibi erat contemnens totus Christo inhærebat. Et hoc etiam in quibusdam esse completum ostendit cum dicit, ad Coloss. III: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Exhortatur etiam alios ut ad hoc perveniant cum dicit, II. Cor. V: Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Et ideo, ut habetur Lucæ XIV, postquam dixerat: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, tamquam aliquid majus addens, subdit: adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Hoc etiam idem Dominus docet, Matthæi XVI, dicens: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me.

207. Hæc autem salubris abnegatio propriæ voluntatis, dicit D. Thomas eodem loco, partim quidem necessaria est ad salutem, et omnibus qui salvantur communis; partim autem ad perfectionis pertinet complementum. Ut enim ex supradicta Dionysii auctoritate apparet, de ratione divini amoris est ut amans non sui ipsius remaneat, sed amati. Secundum igitur divini amoris gradum, necesse est et odium et abnegationem prædictam distingui. Est autem necessarium ad salutem ut homo sic Deum diligat, ut in eo finem suæ intentionis ponat, nihilque admittat quod contrarium divinæ dilectioni existimet. Et ideo consequenter et odium et abnegatio sui ipsius est de necessitate salutis. Ad perfectionem vero pertinet ut homo propter intensionem amoris Dei etiam ea abjiciat quibus licite uti posset, ut per hoc liberius Deo vacet.

208. Affirmat D. Thomas, eodem opusc., cap. X, quod nihil

est homini amabilius libertate propriæ voluntatis. Per hanc enim homo est etiam aliorum dominus, per hanc aliis uti vel frui potest, per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde sicut homo dimittens divitias vel personas conjunctas, eas abnegat: ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius dominus est, seipsum abnegare invenitur. Nihil est etiam quod homo naturali affectu magis refugiat quam servitutem: unde et nihil possit homo pro alio amplius impendere post hoc quod se ipsum in mortem pro eo traderet, quam quod se servituti ejus subjugaret. Unde, ut dicitur Tobiæ IX, Tobias junior dixit ad angelum: Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.

209. Aliqui libertati propriæ voluntatis, dicit D. Thomas eodem opusc., totaliter abrenunciant, se propter Deum aliis subjicientes per obedientiæ votum: cujus quidem obedientiæ exemplum præcipuum habuimus in Christo, de quo Apostolus dicit, Rom. V: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi. Quam quidem obedientiam Apostolus manifestat, ad Philipp. II, dicens: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Hæc autem obedientia in abrenuntiatione propriæ voluntatis consistit; unde ipse dicebat, Matthæi XXVI: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et Joan. VI dicit: Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. In quo nobis dedit exemplum, ut sicut ipse suam voluntatem humanam abnegabat supponendo eam divinæ, ita nos nostram voluntatem Deo totaliter supponamus, et hominibus qui ponuntur tamquam Dei ministri. Unde Apostolus ait, ad Hebræos ultimo: Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.

210. Propria voluntas aliquando reperitur in substantia ejus quod volumus; aliquando vero solum in his quæ insunt rei quam peroptamus. Si enim velis in die jejunii manducare, acceptio cibi propria voluntas est, quia nec Deus, nec Ecclesia volunt ut illo die comedas. At si velis orare, non tamen tempore aut modo quo est oratio fundenda, res quidem volita, nempe oratio, non ex propria voluntate est, quam Deus vult a te fundi, sed modus ac orandi ratio est a propria voluntate,

quia Deus non vult ut distractus ac tepidus ores. Abneganda est propria voluntas in omnibus, ita ut nihil propter nos ipsos aut propter nostram voluntatem explendam aut capiamus aut faciamus. Ut enim inquit Basilius, quidquid ex propria voluntate concipitur, id alienum est a pietatis cultoribus. Idem: Uti propria voluntate arbitriove alienum est a recta ratione. Sic imitatores sumus Christi Salvatoris nostri dicentis, Joan. VI: Quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris. Studiosa opera quibus intendimus ita exercenda sunt, ut vere parati simus ea relinquere, aut pro aliis commutare, cum Dominus per suum instinctum aut per vocem prælati sic faciendum esse præscripserit. Dicamus illud Davidis, Psal. LV: Paratum cor meum. Et illud Pauli, Actor. III: Domine, quid me vis facere? Audiamus Bernardum, serm. De conversione Pauli: Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut nec ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quod ipsi, sed quod Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? Eligamus etiam ad propriam voluntatem vincendam magis subesse quam præesse, potius alterius ductu regi quam cæteris imperare. Certum est enim eos qui aliis præsunt, in magno versari periculo sequendi suam voluntatem. Et vidimus aliquos aliorum regimini assuetos, cum onus gubernationis deponunt, ægre satis propriam cui assueverunt voluntatem deponere, et vix se alterius voluntati et judicio submittere. Sed istis quodammodo parcendum est, quia saltem aliorum bonum curantes, suum non ita perfecte curarunt. Qui dicere possunt illud Sponsæ, Cantic. I: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.

DISPUTATIO V.

DE ORATIONE

—

ARTICULUS I.

Quid sit oratio.

211. Nomen orationis a Sanctis, a theologis, a viris contemplativis sumitur multipliciter. A D. Thoma in IV, dist. 15, q. 4, art. 1 in corp. sumitur quadrupliciter, secundum quatuor conditiones quæ habentur in oratione: et in quacumque habet suas definitiones, et fere omnes definitiones orationis reducuntur ad istas quatuor considerationes. Primo, oratio nihil aliud est quam opus intellectus practici, quo intendit movere voluntatem ad opera exteriora cujuscumque virtutis; et melius explicando istam considerationem: oratio in ista consideratione nihil aliud est quam bona cogitatio, qua homo excitat suam voluntatem ad opus bonum cujuscumque virtutis intra se. Ex. gr. homo in se ipso cogitat modos quomodo efficiatur humilis, obediens, castus, aut quomodo debeat amare proximum, aut quomodo debeat credere res fidei, quomodo debeat servire Deo et patienter se gerere in omnibus. Et in ista consideratione definitur oratio: Elevatio mentis in Deum.

212. Secundo, sumitur oratio pro operibus intellectus practici, quibus se movet homo ad petendum a Deo quidquid licitum, honestum, utile et conveniens est ad obsequium Dei; et verbis clarioribus: oratio in ista consideratione nihil aliud est quam petere a Deo quidquid justum, utile et necessarium est ad obsequium Dei, ad salutem animæ, ut remittat peccata, conferat gratiam, qua possimus illum amare. In hoc sensu definitur a D. Augustino, lib. De verbis Domini: Oratio petitio quædam est. Damascenus, lib. De fide, cap. XIV: Oratio est ascensio mentis ad Deum, sive petitio descendentium a Deo. Basilius: Oratio est boni cujuspiam petitio.

213. Tertio, sumitur oratio pro operibus intellectus practici, quibus excitamus voluntatem ad amandum Deum; et clarius: oratio in isto sensu nihil aliud est quam sancta cogitatio qua excitamur ad amandum. Ex. gr. cogitat homo intra se passionem Christi et beneficia per eam nobis collata, vel peccata quæ nobis condonavit per eam: quæ beneficia excitant nos ad amandum Deum. Et oratio in isto sensu est melior, perfectior et elevatior, quia idem est quod contemplatio. Et differentia istius considerationis ab aliis est, quia in ista consideratione nihil petimus a Deo, et in ista consideratione operationes intellectus et sanctæ cogitationes solum ordinantur ad amorem Dei: in aliis considerationibus prioribus operationes intellectus, cogitationes sanctæ et petitiones non solum ordinantur ad amorem Dei, sed etiam ad quodcumque opus bonum cujuscumque virtutis, quamvis non sit amor Dei, scil. humilitatis, vel patientiæ. In ista consideratione definitur oratio a D. Laurentio Justiniano: Oratio additamentum gratiæ et amoris incentivum. Augustinus: Oratio est purus affectus mentis in Deum directus.

214. Quarto, sumitur oratio pro quocumque bono desiderio, et pro quocumque opere bono cujuscumque virtutis, in qua exercetur voluntas intra se. Et in hoc sensu sumitur multoties oratio in Scriptura sacra et a sanctis Patribus. Si enim voluntas intra se eliciat actus amoris, fidei, spei, humilitatis, et doleat de peccatis, istæ operationes interiores vocantur oratio. Et differentia istius considerationis ab aliis consistit in hoc quòd in tribus præteritis principale, pro quo sumitur oratio, est pro operibus intellectus, vel pro cogitationibus quibus petimus a Deo opus bonum, quo excitatur voluntas ad amandum Deum, vel quodcumque opus bonum cujuscumque virtutis; et secundo loco, et minus principaliter considerantur opera bona voluntatis, ad quæ ordinantur operationes intellectus, quæ sunt causæ et principia operationum voluntatis, et illa considerantur ut effectus et terminus operationum intellectus: sed tamen in ista ultima consideratione e contra se habet, quia quod principaliter et primo loco consideratur, sunt operationes voluntatis et opera virtutum in quibus voluntas se exercet. Et operationes intellectus non considerantur in ista consideratione orationis, etsi considerentur solum in secundo loco et minus principaliter. In ista consideratione definitur oratio a D. Augustino, serm. CCXXX

De tempore: Ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. A D. Thoma, 2 2, q. 83: Desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid ab ipso impetremus.

215. Ex qua doctrina colligitur a doctoribus scholasticis non dari definitionem communem orationis, quia cum a sanctis patribus et a viris contemplativis non solum oratio mente fusa, verum et omnis mentis exercitatio erga Deum, quatenus illius opera visibilia cogitamus, et invisibilia meditamur, et ipsius perfectiones contemplamur, et quoquomodo ad illum desiderandum, timendum, aut amore aut alio simili affectu tenendum assurgimus, nomen orationis obtineat, ideo non datur definitio orationis in communi. Simon de Casia loquens de oratione, dicit: Oratio est suavis clamor in sensu cordis; negatio, dum agitur, omnium corporalium motionum, restrictio sensuum; oblivio sui atque omnis visibilis creaturæ præter Deum. Tum etiam quia in considerationibus orationis, seu in his modis, quædam sunt definitiones orationis quæ pertinent ad intellectum, et aliæ ad voluntatem; et si daretur definitio in communi ad istas, deberet esse talis quod non esset nec operum intellectus, neque voluntatis, quod est impossibile. Item oratio est operatio bona et virtuosa, ut notum est; et opus bonum et virtuosum debet esse alicujus virtutis particularis, ac per consequens alicujus virtutis quæ sit in intellectu vel voluntate: igitur non potest poni definitio orationis in communi, sed alicujus generis communis ad orationem et ad opera virtutum.

216. D. Thomas, 2 2, q. 83, a. 1, sequendo definitionem orationis D. Augustini, secundum quam dicit quamdam deprecationem seu petitionem, et definitionem D. Damasceni, affirmat orationem secundum omnes suas partes pertinere ad intellectum, quod probat in corp. art. hac ratione. Imperare et petere important ordinationem: ergo pertinent ad rationem secundum modum causandi per rationem. Patet consequentia quia proprius modus causandi per rationem est causare ordinando: ergo quod importat ordinationem importat aliquid rationis. Antecedens probatur quia tam per imperium quam per orationem disponit homo quid sit faciendum per alium: ergo importat ordinationem. Et Philosophus petitionem et deprecationem in ratione posuit: Ad optima deprecatur ratio. Non est mei instituti declarare quomodo ordinatio, cum pertineat ad duplicem

potentiam, ad intellectum et voluntatem, principaliter sit actus intellectus, quia hoc pertinet ad scholasticos in materia de prædestinatione, de legibus et de voto.

217. Oratio est actus religionis. Ita D. Thomas, 2 2, q. 83, art. 3. Probatur primo in argumento: Sed contra, ex illo Ps. CXL: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Et Glossa dicit quod incensum offertur in odorem suavem Domino in figuram orationis; hoc autem pertinet ad religionem: ergo oratio est actus religionis. In corpore probat S. Doctor duplici enthymemate. Ad religionem proprie, idest elicitive, pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere: ergo omnia illa per quæ exhibetur reverentia Deo pertinent ad religionem. Rursus per orationem homo exhibet reverentiam Deo in quantum se illi subjicit, et profitetur orando se indigere illo, ut auctore omnium bonorum: ergo oratio est actus religionis.

218. Oratio est necessaria necessitate medii et præcepti. Necessitas medii sumitur præcise in ordine ad finem quem intendimus consequi; et quia beatitudo est finis ultimus, et finis simpliciter, necessitas medii dicitur quando aliquid est medium necessarium, sine quo obtineri non potest talis finis. Et ista necessitas medii non est una, sed multiplex, et habet latitudinem. Aliquando medium est necessarium ex ipsa natura finis, quæ intrinsece postulat tale medium, sicut gratia ad gloriam. Aliquando medium est necessarium ad finem, non ex natura finis, sed ex determinatione dirigentis ad finem, sicut baptismus est necessarius ad salutem necessitate medii, non ex natura, sed ex institutione Christi. Et potest esse medium necessarium vel simpliciter, vel ad melius, quod est idem atque utile. Potest etiam dici medium necessarium vel quoad omnes, sicut baptismus pro parvulis et adultis; vel pro aliquo statu hominum, sicut meritum et observantia mandatorum est medium necessarium ad obtinendam salutem pro adultis, non pro parvulis. Necessitas præcepti non sumitur ex fine, sed in ordine ad præcipientem qui per imperium et præceptum cogit.

219. Hoc supposito dico quod oratio est necessaria pro adultis necessitate medii tam ex natura rei, quam ex ordinatione divina. Ex natura rei attendendo ad nostram necessitatem et excellentiam bonorum spiritualium, quæ a solo Deo dantur. Est enim universaliter loquendo necessarium ex natura rei

quod in his in quibus indigemus recurramus ad eos qui possunt dare: cum autem solus Deus possit dare salutem æternam et bona spiritualia, necesse est quod quamdiu indigemus illis, recurramus ad Deum : et iste recursus est oratio , quia oratio est ipsa ordinatio ascensus, seu recursus mentis ad Deum. Est etiam necessaria necessitate medii ex ordinatione divina, quia Deus sua providentia ordinavit orationes tamquam causas secundas et media ad obtinenda aliqua bona , præsertim spiritualia. Et hoc satis revelatum est in sacra Scriptura, ubi hæc necessitas orationis commendatur. Lucæ XVIII: Oportet semper orare, ubi ly " oportet „ necessitatem inducit, ut ait Chrysostomus, homil. I De Moyse; et Matth. XXVI: Orate ne intretis in tentationem; et clarius Jacobi V: Orate pro invicem ut salvemini. Et communiter sancti Patres hanc necessitatem orationis ad præparationem mediorum ad salutem reducunt.

220. Oratio, quæ est actus religionis, cadit sub præcepto divino et naturali. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 83, art. 3, quia oratio commendatur in multis locis S. Scripturæ per modum imperii et præcepti. Matth. VII: Petite et accipietis; ad Thessal. V: Sine intermissione orate ; et Jacobi V: Orate pro invicem ut salvemini. Et ab Ecclesia sic videtur intelligi quod ad recitandam Orationem Dominicam in canone Missæ præmisit illa verba: Præceptis salutaribus moniti.

ARTICULUS II.

De partibus orationis.

221. Quatuor sunt partes orationis secundum D. Thomam, 2 2, qu. 83 , art. 17; et I. ad Timoth. cap. II ; et ad Philipp. cap. IV , et sunt illæ quæ numerantur ab apostolo Paulo in locis citatis. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones: tria pertinent ad beneficia impetranda , ultimum ad beneficia accepta. In impetrandis beneficiis tria requiruntur: primo scilicet ut impetrans assignet causam quare debet ei concedi ; secundo, oportet ut ostendat causam esse rationabilem; tertio, concludat petitionem: et sic rhetores faciunt, sic nos orando debemus facere. Primo,

excogitare causam quare sit concedendum, et hoc non merita nostra, sed miserationem divinam. Daniel. IX: Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Et hoc est obsecratio, quæ est attestatio per sacra, sicut: Per passionem et crucem tuam libera nos, Domine. — Hac causa excogitata, necesse est quod meditemur quod hoc sacrum est causa salutis, et ideo requiritur oratio, quæ est ascensus mentis in Deum. Psal. LXVIII: Ego vero orationem meam ad te, Domine. Dicitur autem oratio, quasi oris ratio. Persuasiones enim rhetorum dicuntur orationes quia persuadent: sed aliter ibi, aliter in nostra ad Deum oratione, quia non intendimus quod animum Dei flectamus, qui semper ad bonum est paratus, sed ut nostrum cor sit in oratione ad Deum elevatum. —Tertio postulatio; Jacobi I: Postulet autem in fide nihil hæsitans. — Item, de acceptis donis gratiarum actiones; I. Thessalon. ult.: In omnibus gratias agite; Philipp. IV: In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Unde iste modus orandi est in Ecclesia Dei: Omnipotens sempiterne Deus: ecce ascensus mentis in Deum, qui est oratio; qui dedisti tale beneficium: ecce gratiarum actio; præsta quæsumus: ecce postulatio; per Dominum: ecce obsecratio. Similiter in Missa est obsecratio usque ad consecrationem corporis et sanguinis, quia in eis est commemoratio sacrorum ex quibus est fiducia impetrandi; in mysterio consecrationis est oratio, quia est meditatio eorum quæ Christus egit; in aliis vero usque ad communionem est postulatio pro vivis et mortuis, et pro se; in fine autem est gratiarum actio. — Vel hæc quatuor referuntur ad quatuor quæ nos volumus in oratione obtinere, ut obsecratio referatur ad difficilia impetranda, ut impiorum conversionem; oratio, quando jam conversis imploramus gratiam ut proficiant; postulatio, ut præmia pro meritis retribuantur; et pro beneficiis jam acceptis est gratiarum actio. Ista sunt D. Thomæ ad Timoth. II.

DE OBSECRATIONE.

222. Obsecratio, ex D. Thoma, 2 2, q. 83, art. 17 et in aliis locis, est contestatio per sacra, sicut cum dicimus: Per nativitatem tuam libera nos, Domine. Dan. IX: Propter temetipsum

inclina, Deus meus, aurem tuam. — Aliter definitur: obsecratio nihil aliud est quam proponere Deo rationem et causam quæ debet illum inclinare ad concedendum quod petitur, nempe bonitatem suam. Explicans D. Thomas illud ad Rom. XII: Obsecro igitur vos, fratres, per misericordiam Dei; quasi dicat: Dictum est incomprehensibilia esse judicia Dei, et investigabiles vias ejus: itaque obsecro vos, ut scilicet observetis ea quæ dicuntur. — Utitur autem obsecratione propter tria. Primo quidem ad demonstrandam suam humilitatem. Prov. XVIII: Cum obsecrationibus loquitur pauper; qui scilicet de sua abundantia non confidit, et ideo non ex eo quod suum est, sed ex eo quod est hominis conatur inducere in bonum. Nam obsecrari est ob sacra contestari. Secundo, ut magis ex amore moveat rogando, quam ex timore auctoritative imperando. Unde dicitur ad Philem.: Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro. Tertio, propter reverentiam; I. ad Tim. V: Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.

223. Deum obsecrare debemus ut velit mentis iniquitatem auferre. Sic obsecravit David, qui dicebat. Paral. XXI: Obsecro, aufer iniquitatem servi tui. Obsecrare debemus ut velit gratiæ sanitatem inferre. Sic videbatur obsecrare qui dicebat, III. Reg. XVII: Revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et Numer. XII: Obsecro, Domine, sana eam. Obsecrare debemus Deum ut velit gloriæ claritatem conferre. Et sic videbatur obsecrare ille qui dicebat, Gen. XXVII: Mihi quoque obsecro ut benedicas. Et II. Reg. XIV: Obsecro ut videam faciem regis. Obsecrare debemus ut velit æternam calamitatem differre. Sic obsecrabat ille, Daniel. IX: Avertatur, obsecro, ira tua a populo tuo. Et Lucæ VIII: Obsecro te ne me torqueas. Obsecrare debemus Deum ut velit clementiam et pietatem afferre. Et sic obsecrabat ille qui dicebat, Amos VII: Domine Deus, propitius esto, obsecro.

DE ORATIONE.

224. Oratio dicit duo antecedentia, nempe præparationem, et lectionem; et tertium in quo constituitur oratio, nempe meditatio, vel contemplatio et unitio. Loquamur modo de præpa-

ratione. Audiamus D. Thomam, opusc. LVIII, De sacramento Altaris, cap. XV: Præparate corda vestra Domino, I. Reg. VII: Ad Dominum omnium non incurate et indevote, sed aliquo competenti modo præparati accedamus. Per tria debemus præparari: scilicet per fidei plenitudinem; ad Hebr. X: Accedamus cum vero corde in fidei plenitudine: cum vero corde, idest cum vero intellectu, sine errore. Secundum præparativum est munditiæ magnitudo; Exod. XXI: Sume vas unum, et mitte manum ibi: vas unum quasi singulariter et excellenter mundum; hinc Apostolus, ad Hebr. IX, vas istud dicit esse urnam auream: decet enim cor quasi aurum esse purissimum per magnam munditiam, quod capere debet cœlestem Sponsum. Hugo: Pura conscientia est quando non habet de præterito justam accusationem; de præsenti, injustam delectationem; sed de futuro, justam voluntatem. Matth. XXVIII: Joseph petiit a Pilato corpus Jesu, et involvit in sindone munda. Glossa: Sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum suscipit. In tribus vero quæ perducunt corporale linteum ad candorem, intelliguntur tria quæ faciunt ad nostram mundificationem. Primo enim lavatur, secundo torquetur, tertio exsiccatur. — Si quis ad suscipiendum Dominum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum mundari. Ad Hebr. X: Accedamus aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, idest mundati lacrymis a peccatis cordis et corporis. Exod. XXX: Lavabunt Aaron et filii ejus manus et pedes, idest opera et cogitationes, aqua compunctionis et confessionis, quando accessuri sunt ad altare, ne moriantur; Jerem. IV: Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Ps. XXXI: Lavabo per singulas noctes, idest pro singulis peccatis, lectum meum, idest conscientiam meam. Secundo per opera pœnitentiæ torqueri; Exod. XXVI: Cortinas tabernaculi, idest ornatus animæ, facies de bysso retorta, idest de operibus pœnitentiæ, jejuniis, orationibus, afflictionibus et hujusmodi. I. ad Cor. IX: Castigo corpus meum; Eccli. XXXIII: Servo malevolo, idest corpori, tortura et compedes; mitte illum in operationem ne vacet; Psalm. XXXIII: Multæ tribulationes justorum. Tertio, per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari; Psalm. XVIII: In sole posuit tabernaculum suum, idest ad siccandum per amorem divinum, ut

fiat valde mundum et pulchrum; Cantic. IV: Tota pulchra es, amica mea, quia scilicet bene lota, torta et exsiccata; Num. IX: Sanctificamini, cras comedetis carnes. Tertium præparativum est orationis devotio. Hinc est quod Maria Magdalena et aliæ mulieres devotæ, dum quærebant corpus Domini, portabant aromata: sic nobis accessuris ad Dominum prælibanda est orationis devotio, ut quod forte minus parati sumus per jejunium et confessiones, suppleat spiritualium aromatum, idest orationum, oblatio.

225. Præparatur homo ad orationem per cordis contritionem. Isa. XLVII: Tolle molam, mole farinam. Quasi dicat: fac in te molam spiritualem de duobus molaribus, considerando misericordiam Dei et justitiam, ad emolliendam cordis tui duritiam: misericordiam, quasi superiorem lapidem qui nunc operatur et circuit, sed post hanc vitam operari cessabit; Psal. LXXXV: Misericordia tua magna super me; item considerando justitiam, quasi inferiorem lapidem qui nunc jacet et quiescit, sed post hanc vitam elevatur, operatur et circuit; Oseæ VIII: Judicabo te juxta vias tuas; non parcet oculus meus, et non miserebor; Matth. XXIX: Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum; Job V: Deus emollivit cor meum, et omnipotens conturbavit me. Præparatur homo per oris confessionem; Amos IX: Ecce ego mundabo et concutiam domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, ubi scilicet furfures separantur a nucleo, impurum a puro. Sic per confessionem mundatur anima a vili peccato; Psal. XCV: Confessio et pulchritudo in conspectu Domini; Eccle. II: Qui timent Dominum præparabunt corda sua, et in conspectu ejus sanctificabunt animas suas.

Adde Append., nn. 192-194.

DE LECTIONE.

226. Legendus est primo loco liber S. Scripturæ, qui habet mandata dirigentia, habet consilia sapientia, habet promissa rigantia, habet prohibitiva comminantia, seu repræmiantia. Explicans D. Thomas illud Isaiæ XXIX: Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum; et respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege; et respondebit: Nescio litteras. Liber iste est liber S. Scripturæ. Secun-

dum D. Thomam, istum ergo debent viri scientifici libenter legere, et in eo studere, et inspicere; et in eo legunt et student ut ignorantes doceant. Unde Josue VIII dicitur: Legit omnia verba benedictionis et maledictionis. Et IV. Reg. XXIII: Legit Josias cunctis audientibus omnia verba libri fœderis. De Moyse etiam dicitur, Exod. XXIV: Assumens Moyses volumen fœderis, legit audiente populo. De Christo etiam dicitur, Luc. IV, quod intravit secundum consuetudinem in synagogam, et cœpit legere. Si ergo Josias, Moyses et Christus in isto libro legerunt, bene ergo debemus ibidem legere, et nos in divinis voluminibus exercere. Dan. V: Quicumque legerit Scripturam hanc, et interpretationem notam fecerit, purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo, et tertius in regno erit. Purpura significat ruborem charitatis; torques, quæ ligat collum, significat catenam seu vinculum justitiæ et æquitatis; aurum, quod splendet, significat refulgentiam sapientiæ et veritatis.

227. Explicans D. Thomas illud I. ad Tim. IV: Dum venio, attende lectioni, dicit sic: Scilicet librorum sanctorum. I. Machab. XII: Habentes solatio libros sanctos; Joan. V: Scrutamini Scripturas. Et hoc significatur Exod. II, ubi dicitur quod semper in arca Domini debebant esse vectes in circulis, et circuli in angulis, quasi semper parati ad portandum. Ad exercitium autem necessaria est exhortatio nostra quantum ad agenda, doctrina quantum ad cognoscenda. D. Thomas super illa verba, Joan. X: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, etc., dicit sic: Sacra Scriptura dicitur ostium. Primo, quia per ipsam accessum habemus ad Dei cognitionem; Rom. I: Quod autem promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo. Secundo, quia sicut ostium oves custodit, ita sacra Scriptura vitam fidelium conservat; Joan. V: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis vitam habere in ipsis. Tertio, quia ostium lupos supervenire non permittit: sic sacra Scriptura divinitus inspirata utilis est. Ille ergo non intrat per ostium qui ad docendum populum non ingreditur per sacram Scripturam. Exponens D. Thomas illud Isaiæ VIII: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo, etc.: Per librum grandem significatur sacra Scriptura, de qua habetur Baruch IV: Hic est liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum. Per stylum hominis modus prophetiæ, ut non omnibus usquequaque pateat, sed tantum rationabilibus,

qui ex figuris possunt significata concipere; Oseæ XII: Ego visionem multiplicavi eis, et in manibus prophetarum assimilatus sum. "Velociter spolia detrahe„ nomen Christi, i. e. circumlocutio nominis quod est Jesus Salvator, per hoc quod detraxit spolia, idest peccatores, a potestate diaboli, et prædatus est infernum. Certe S. Thomas Aquinas sapiens et perfectus erat, immo et sapientissimus, magister egregius, et mirabilissimum perfectionis exemplar, de quo tamen hæc scripta sunt: Est autem hoc quoque in sancto viro memorabile, quod cum ei esset integrum, libenter solitus fuerat aliquid in Patrum Collationibus lectitare, ne ex rerum subtilium speculatione affectus ejus nonnihil tepesceret, possetque se rursus facilius ad divina contemplanda colligere et erigere.

228. Legendi sunt libri pii, qui materiam meditationis ex parte intellectus, et motum devotionis ex parte voluntatis præbent. Augustinus, serm. CXII, De tempore: Studio sapientiæ cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Idem Augustinus: Lectio assidua timorem excutit gehennæ, et gratia superna cor justificat legentis. Idem: Labor honestus est lectio, et multis ad emendationem proficit. Lectio hæc, ut proposito conveniat, necesse est ut sit brevis, sit attenta, sit ad finem instruendi intellectum, afficiendi voluntatem, et sancte vivendi accommodata.

DE PETITIONE.

229. De his quæ petenda sunt in oratione disputat D. Thomas, 2 2, qu. 83, art. 5, 6, 7, 8 et 9. Circa materiam quam possumus petere, distinguimus triplicem ordinem bonorum: quædam sunt spiritualia, quæ pertinent ad ordinem gratiæ et virtutis; quædam vero sunt temporalia, ordinata tamen ad propriam vel aliorum utilitatem, sicut divitiæ, honores, valetudo; alia denique sunt quæ secum afferunt aliquod nocumentum seu pœnam, sive pro se, sive pro aliis, et vocantur mala pœnæ, ut ægritudo, infortunia.

230. Circa bona spiritualia unum est certum et aliud dubium. Certum est quod bona spiritualia considerata secundum se, et quasi in generali, et quantum ad substantiam, sine ulla conditione peti possunt a Deo. Hoc determinat D. Thomas, art. 5.

et constat ex multis orationibus, quibus in sacra Scriptura petuntur ista bona, et hoc expresse Dominus docuit in Oratione Dominica nos petere: ibi enim continentur omnia petibilia; et ideo dicit Augustinus, serm. CLXXXIII, De tempore: Hæc oratio compendiosis verbis septem petitionibus omnes species orationis comprehendit. In illa autem oratione bona spiritualia petuntur absque ulla conditione. Dubium potest esse an possimus petere determinate et in particulari aliquem eximium gratiæ aut gloriæ gradum, ex. gr. gratiam quam habuit sanctus Paulus et alii Apostoli; et similiter, an possimus petere semper auxilium efficax ad omnes actus bonos, cum constet Deum sæpe habere decretum absolutum non dandi tale auxilium in particulari; et an possimus aliquando petere suspensionem auxilii efficacis. Similiter auxilium sufficiens non est necesse quod petatur, quia Deus paratus est omnibus illud dare, et nemini negare: superflue ergo petitur.

231. Eximius gradus gloriæ potest peti dupliciter. Uno modo quantum ad tendentiam ad perfectissimum et eximium gradum gloriæ; et cum tendamus ad illum per actus charitatis et virtutum, hæc perfectio et tendentia, quantumcumque eximia, sine ullo termino postulanda est. Unde dicit Apostolus ad Philipp. II: Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet; et Apoc. XXII: Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. Alio modo potest desiderari eximius gradus gloriæ non ex parte tendentiæ ad majorem gloriam, sed ex parte ipsius status seu excellentiæ ad quam aliqui a Deo præ aliis præordinati sunt; et hoc modo esset temerarium petere a Deo excellentiam extraordinariam in genere gratiæ aut gloriæ, qualem habuit beata Virgo aut Apostoli. Petentibus ut unus sederet a dextris et alius a sinistris respondit, Matth. XX: Nescitis quid petatis. Sic qui peteret a Deo absolute gloriam Virginis aut S. Petri, nesciret quid peteret, et temerarius præsumptor (*esset*), quamvis sub conditione desiderare illam gloriam, si esset possibile, nulla temeritas esset. Et idem dicendum est si aliquis peteret a Deo aliquod extraordinarium genus gratiæ, v. gr. fieri sibi revelationes, aut patrare miracula, quando non conducunt ad bonum publicum.

232. Possumus semper et debemus petere a Deo auxilium efficax in ordine ad omnes actus virtutum, et nunquam suspensionem ejus: qui enim peteret suspensionem ejus ad aliquem

actum bonum, peteret determinate aliquid diminuens propriam perfectionem, et consequenter contra propriam salutem. Et licet Deus aliquando velit dare auxilium efficax, tamen semper vult quod illud petamus, quia petitiones nostræ mensurandæ sunt cum voluntate Dei antecedente, seu voluntate signi, per quam nobis significavit quid debeamus velle facere et desiderare: non tamen cum illa voluntate ex qua efficaciter sequitur quod de facto faciemus aut desiderabimus; non enim quod de facto fit, sed quod debet fieri est mensura nostrorum actuum. Et ita Christus Dominus in Oratione Dominica instituit ut semper peteremus liberationem a malo et adventum regni ejus, quamvis non semper efficaciter decernit Deus dare regnum, vel liberare a malo (1), quia aliud est nos conformari voluntati divinæ efficaci, etiam qua permittit nos cadere in peccatum, secundum quod talis voluntas procedit a Deo; aliud petere et desiderare ab ipso ut talem voluntatem denegandi auxilium habeat erga nos: hoc enim petere non possumus nisi desiderando objectum talis voluntatis. De auxilio constat semper posse peti, quia etsi Deus sit paratus ex se dare illud, sæpe tamen determinat dare mediante oratione, quamvis illud auxilium quod antecedit orationem, et datur ut oremus, sub oratione non cadat.

233. Ex qua doctrina colligitur id quod D. Thomas, 2 2 qu. 97, art. 2, ubi ponit hoc argumentum, quod est tertium: Nullus vituperatur in sacra Scriptura ex eo quod a peccato cesset, sed magis si peccatum commisit; vituperatur autem Achaz, qui, Domino dicente: Pete tibi signum a Domino Deo tuo, respondit: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dictum est ei: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Isa. VII. De Abraham autem legitur, Genes. XV, quod dixit ad Dominum: Unde scire possum quod possessurus sim eam? scilicet terram repromissam a Deo. Similiter etiam Gedeon signum a Deo petiit de victoria repromissa, ut legitur Judic. VI: qui tamen ex hoc non reprehenditur.

234. Respondeo quod Deus volebat signum dare regi Achaz non pro ipso solum, sed pro totius populi instructione. Et ideo reprehenditur quasi impeditor publici boni et salutis, quod signum

(1) Edit.:..... regni ejus, quæ nobis sæpe efficaciter decernit Deus neque dare regnum, neque liberare a malo.

petere nolebat. Nec petendo tentasset Deum, tum quia ex mandato Dei petiisset, tum quia hoc pertinebat ad utilitatem communem. Abraham autem signum petiit ex instinctu divino, et ideo non peccavit; Gedeon vero ex debilitate fidei signum petiisse videtur, et ideo a peccato non excusatur, sicut ibidem dicit Glossa.

235. Circa secundum genus bonorum, scilicet temporalium, est advertendum breviter quod hæc et quæcumque alia quæ ex se sunt indifferentia, ex adjunctis circumstantiis et conditionibus in individuo possunt tripliciter modificari. Quædam redduntur absolute mala, quædam absolute bona, quædam periculosa. Absolute mala: si quis in divitiis constituat ultimum finem, aut propter malum finem illas velit; et sic certum est quod nullo modo licite desiderantur aut petuntur. Absolute redduntur bona quando considerantur ut adminicula beatitudinis: sic enim licet illa desiderare, ut ait D. Thomas, art. 6. Quia vero hæc ex sua præcisa natura non habent, sed potius indifferentiam, absolute et sine conditione non possunt peti. Et divitiæ, si solum important sustentationem et conservationem naturæ, sic nullam habent indifferentiam, sed bonitatem, et sic absolute possunt peti. Sic enim petimus quotidie in Oratione Dominica: Panem nostrum quotidianum, etc.; et Proverb. xxx: Tribue tantum victui necessaria. Et hoc pacto orat Ecclesia pro temporalibus. Si vero considerentur bona temporalia secundum quod subsunt moderationi nostræ, et possumus ea bene vel male expendere, tunc non licet absolute petere, quia licet bona temporalia mediocria non multum periculum habeant, adhuc tamen ex se sunt indifferentia ad bonum vel malum usum, ac per consequens non licet absolute petere. Sunt autem ista bona temporalia periculosa quando sunt nimia vel superflua respectu naturæ, vel status, juxta illud ad Tim. vi: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa et nociva.

236. Circa tertium genus temporalium, scilicet de malo pœnæ, illa possumus pro nobis licite desiderare et petere, quando scil. deservire possunt alicui fini honesto. Ex. g.: licet desiderare egestatem, persecutiones, dolores, ut illis mereamur, vel ut illis auferatur occasio peccandi. Et eadem ratione potest quis desiderare mortem aut ægritudinem, sicut D. Paulus desiderabat dissolvi et esse cum Christo, et Job desiderabat sibi mortem

aut mala; et denique quia potest quis petere ut purgentur hic peccata sua per labores et opera pœnalia. Nunquam tamen licet nobis inferre mortem, aut ægritudinem, aut mutilationem propter quemcumque finem.

DE GRATIARUM ACTIONE.

237. De gratitudine, seu de gratiarum actione, disputat divus Thomas, 2 2, q. 106, et affirmat, art. 1, gratitudinem esse specialem virtutem distinctam ab aliis virtutibus. Nam secundum diversas causas ex quibus aliquid debetur, necesse est diversificari debiti reddendi rationem. In Deo autem primo et principaliter invenitur causa debiti, eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum: ergo gratitudo, seu gratiarum actio, primo respicit Deum, deinde parentes, deinde benefactores, quibus per gratitudinem beneficia reddimus. In art. 2 quærit D. Thomas utrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens quam pœnitens. Et respondet cum distinctione, præsupponendo prius quod actio gratiarum in accipiente respicit gratiam dantis, unde ubi est major gratia ex parte dantis, ibi reperitur major gratiarum actio. Quo supposito, dupliciter potest esse ex parte dantis major gratia. Uno modo ex quantitate dati, et hoc modo innocens tenetur ad majorem gratiarum actionem, quia majus donum ei datur a Deo, et magis continuatum cæteris paribus absolute loquendo. Alio modo potest dici major gratia, quia magis datur gratis. Et secundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens quam innocens, quia magis gratis datur illud quod ei datur a Deo. Cum enim esset dignus pœna, datur ei gratia. Et sic licet illud donum quod datur innocenti sit absolute consideratum majus, tamen donum pœnitenti est majus in comparatione ad ipsum. In articulo 6 resolvit D. Thomas oportere aliquem plus exhibere in recompensatione quam susceperit in beneficio. Et probat quia recompensatio gratiæ respicit beneficium secundum voluntatem benefacientis. In qua quidem præcipue hoc commendabile videtur quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur. Et ideo qui beneficium accipit, ad hoc obligatur ex debito honestatis ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi

excedat quantitatem accepti beneficii: quia quamdiu recompensat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit. Et ideo gratiæ recompensatio semper tendit ut pro suo posse aliquid majus retribuat.

238. Ex qua doctrina D. Thomæ colligitur quod gratiarum actio nihil aliud est quam quædam laus, quædam confessio, quædam recognitio perceptorum. Sicut enim aves mane beneficium solis et luminis sentientes solent exultare, lætari, atque dulcimode modulari: sic homo, quando sentit a Deo beneficium aliquod accepisse, debet quadam naturali lætitia perfundi, et ad laudandum per gratiarum actionem efficaciter animari. Tobias cum patri suo acceptum ab angelo beneficium exposuit: Pater, ait, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, me reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse accepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Si enim in reddendis gratiis de beneficiis acceptis simus obliviosi, et plane inveniamur ingrati, de nobis Dominus ipse conqueritur, aitque quod leprosis a lepra mundatis dixerat, Luc. XVII: Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo nisi hic alienigena. Et, ut dicit Augustinus in Soliloquiis, ingratitudo est radix totius mali spiritualis, et ventus quidam dissecans et urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ super hominem.

239. D. Thomas in expositione Psalmi IX, super illa verba: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, dicit: " Confitebor: „ gratias ago corde, ore et opere; ore dupliciter, laudando et prædicando. Triplex confessio: fidei, Rom. X: Confessio fit ad salutem; peccatorum, Jac. ult.: Confitemini alterutrum peccata vestra; laudis, Tob. XII: Coram omnibus viventibus confitemini ei. Et de hac confessione hic agit: O Domine, confitebor tibi, idest gratias agam, idest laudabo te; Ps. LXVIII: Laudabo nomen Dei mei: hoc in corde, quia homines vident quæ parent, Dominus autem scrutatur cor, I. Reg. c. XVI; " in toto „ (*corde*), quia Deus est major corde nostro, et ideo quantumcumque laudemus secundum posse nostrum, minus est ipso. " Narrabo mirabilia tua, „ quia opera Dei mirabilia sunt,

" omnia „ secundum genus; quia intentio narrantis non debet sistere in aliquo, sed procedere quantum potest.

240. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Thess. cap. I: Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris, memores operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, dicit sic: Tria debent esse in gratiarum actione: primo, quod sit ordinata, scilicet ad Deum, ideo dicit: " Gratias agimus Deo; „ Psalm. LXXXIII: Gratiam et gloriam dabit Dominus; Jac. ult.: Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Item assidua, quia " semper. „ Item universalis: " pro omnibus. „ I. ad Thess. v: In omnibus gratias agite. " Memoriam vestri facientes, „ quasi dicat: Quandocumque oro, habeo vos in memoria; Rom. I: Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. " Memores operis: „ ponit bona de quibus agit gratias, scilicet fidem et charitatem.

241. D. Thomas, opusc. LXIII, c. VI, dicit quod anima gratias agere debet Deo pro singulis donis naturalibus et gratuitis animæ et corporis, pro singulis spiritualibus et temporalibus; spiritualibus collatis et conservatis in terra et conservandis in patria. Et hæc gratiarum actio est per Deum Filium, sicut Apostolus dixit: Gratias ago Deo meo per Jesum Christum. Gratias anima agit Deo quia ei imaginem sanctissimæ Trinitatis impressit; Psal. IV: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: et quia Spiritum sanctum cum donis suis et omnibus virtutibus in baptismo contulit; et quia eam corpore et sanguine suo delectabili sæpe reficit; et quia ei S. Scripturam concessit, divinam naturam occultam manifestantem, omnem voluntatem suam manifestantem, indicantem, nobilitantem, et utilitatem omnium donorum demonstrantem, viam certissimam ad cœlestia ostendentem per exempla sanctissima Jesu Christi; et quia sine meritis suis fidem christianam sibi dedit, qua credere possit sacræ Scripturæ promissis et minis, consiliis et doctrinis.

Adde Append., nn. 195-196.

ARTICULUS III.

Oratio est petitio decentium a Deo, vel ascensus mentis ad Deum. Clamor illius est in corde, et debet continuari quantum durat devotio.

242. Oratio est petitio decentium a Deo, vel ascensus mentis ad Deum. Hoc probat D. Thomas super illa verba Ps. XXXVIII: Exaudi orationem meam, ubi petit ut exaudiatur. Et ponit tria quæ faciunt acceptam petitionem Deo. Primum est elevatio mentis in Deum, et hæc est oratio quæ est ascensus mentis in Deum, unde dicit: " Exaudi orationem meam, Domine; „ Psal. LXVIII: Ego vero orationem meam ad te, Domine. Secundum est continuatio petendi, et hoc cum dicit: " Et deprecationem meam; „ Jacobi ult.: Multum valet deprecatio justi assidua. Tertium est lacrymarum multitudo, et hoc ostendit cum dicit: " Auribus percipe lacrymas meas. „ — " Ne sileas. „ Hic ponitur signum exauditionis: unde petit quod Deus non sileat. Dicitur autem aliquando Deus silere quantum ad malos, quando eos non punit, sicut dicitur Isa. XLII: Tacui semper, silui, patiens fui, etc. " Ne sileas, „ idest ne taceas a punitione. Item aliquando silet non consolando bonos, et sic dicit: " Ne sileas „ animæ meæ, sed dic animæ meæ: salus tua ego sum. Et hoc facit Deus in vita ista, cum dicit peccatori: Remittuntur tibi peccata tua, Luc. VII; et etiam in futuro, quando dicet: Venite, benedicti Patris mei, Matth. XXV. " Quoniam advena ego sum apud te. „ Hic assignat rationem suæ petitionis, quasi dicat: Hoc præcepit Deus, Exod. XXII, scilicet quod exaudiantur advenæ; et quia ego sum advena, justum est quod exaudias me. Ego dimisi mundum, et ad te confugi, et sum apud te sicut advena, quia in mundo isto non habeo mansionem manentem, sed sum sicut peregrinus tendens alibi, scilicet ad patriam vitæ æternæ.

243. D. Thomas, super cap. XXVI Matth., in illa verba: Vigilate et orate ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, (*ait*): " Vigilate et orate. „ In ista parte subjungitur admonitio: Vos de vobis confiditis, sed

vos debetis refugere ad suffragia orationis; unde orate ne intretis in tentationem. In Oratione Dominica docet hoc petere: Et ne nos inducas in tentationem. Et præmittit vigilantiam ad præparationem; Eccli. XVIII: Ante orationem præpara animam tuam, idest necessaria est prudentia. " Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. „ Quod promittis, ex promptitudine est spiritus. — Sed tamen non est necessaria oratio propter spiritum, sed propter carnem quæ infirma est; ideo necessaria est vigilantia. Simile est quod Apostolus dicit, Rom. VIII: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, sed spiritus vivit propter justificationem. Sed notandum quod omnium caro est infirma, sed non omnium spiritus est promptus. In malis siquidem, sicut caro est infirma, ita et spiritus. E contrario in bonis, quia spiritum habent promptum, et ideo in resurrectione spiritus reddit corpus promptum. Vel potest esse duplex infirmitas: una mala, quæ inclinat ad peccatum, secundum quod dicit Apostolus ad Rom. VII: Non habitat in carne mea bonum; alia infirmitas bona, secundum quod carnalis deficit secundum promptitudinem, secundum quod dicitur in Cant. V: Nunciate dilecto, quia amore langueo. Et ex ista causa debet homo vigilare, sicut dicit Origenes, sicut qui habet magnum thesaurum diligenter vigilat ut illud custodiat.

244. Clamor orationis est in corde, et non in voce. D. Thomas super illa verba Psal. XXX: Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te, dicit sic: Clamor, secundum Glossam D. Augustini, fit ad Deum non voce, sed corde, quia multi silentes labiis corde clamaverunt, multi ore strepentes corde adverso nihil impetrare potuerunt. Clama ergo intus ubi Deus audit. D. Thomas super illa verba D. Pauli ad Rom. VIII: In quo clamamus: abba, pater (*ait*): Profitemur enim nos patrem habere Deum, instructi a Domino cum dicimus orantes: Pater noster, qui es in cœlis, ut habetur Matth. VI. Hoc autem convenit dicere non solum Judæis, sed etiam Gentibus. Et ideo duo ponit idem significantia, scilicet " abba, „ quod est hebræum, et " pater, „ quod est latinum vel græcum, ut ostendat hoc ad utrumque populum pertinere. Unde et Dominus, Marc. XIV: Abba pater, omnia possibilia sunt tibi; Jerem. III: Patrem vocabis me. Hoc autem dicimus non tantum sono vocis quantum intentione cordis, quæ quidem propter sui magnitudinem clamor dicitur,

sicut et ad Moysen tacentem dicitur, Exod. XIV: Quid clamas ad me intentione cordis? Sed ista magnitudo intentionis ex affectu filialis amoris procedit, quem in nobis scilicet facit. Et ideo dicit: In quo, scilicet Spiritu sancto, clamamus: abba, pater. Unde Isa. VI dicitur quod Seraphin, qui interpretantur ardentes, quasi igne Spiritus sancti clamabant alter ad alterum.

245. Oratio debet continuari quantum durat devotio. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, qu. 4, art. 2, quæstiunc. 2: In oratione præcipue attenditur orantis devotio, et ideo tantum debet oratio protendi, quantum devotio orantis conservari potest; et ideo si diu possit devotio conservari, debet oratio esse diuturna et prolixa: si autem prolixitas fastidium vel tædium pariat, oratio non est diutius protrahenda. Unde Augustinus in lib. De orando Deum: Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per diutiores moras evanescat atque hebetetur intentio; ac per hoc ipsi satis ostendunt hanc intentionem sicut non esse obtendendam, si durare non potest, ita si perduraverit non esse rumpendam.

246. Oratio debet semper durare secundum virtutem, non secundum essentiam. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, q. 4, art. 2, quæstiunc. 3: Aliquis actus dicitur durare dupliciter, aut secundum essentiam, aut secundum virtutem, sive effectum suum. Sicut motio ejus qui lapidem projicit, durat et per essentiam actus, dum manum lapidi movendo apponit: sed virtus motionis manet dum lapis ex vi impulsionis primæ movetur. Similiter etiam dico quod orationis duratio dupliciter potest considerari: vel secundum essentiam actus; et sic non debet aliquis continue orare, vel semper, quia oportet etiam interdum circa aliqua occupari; vel secundum virtutem, et sic ejus virtus præcipue quantum ad sui initium, manet in omnibus operibus aliis quæ facimus ordinate, quia omnia ad vitam æternam habendam ordinare debemus: et ideo desiderium vitæ æternæ, quod est orationis principium, manet in omnibus operibus bonis secundum virtutem. Et propter hoc dicitur in Glossa, I. Thes a.: Non cessat orare qui non cessat bene agere. Et sicut virtus motionis primæ continue debilitatur utcumque lapis impulsus

quiescat, vel contrario motu moveatur, nisi iterum impellatur: ita, ut docet Augustinus, a curis vitæ desiderium quodammodo tepescit, et ideo certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, ne desiderium quod tepescere incœperat, omnino frigescat.

ARTICULUS IV.

Oratio semper habet efficaciam impetrandi si habeat conditiones quæ adducuntur a D. Thoma in diversis locis suorum operum.

247. S. Thomas, in IV, dist. 15, qu. 4, art. 7, assignat quatuor conditiones quæ præstant efficaciam orationi, (*scil.*) ut petatur pie, et pro se, et perseveranter, et ad salutem: quas conditiones explicat quæstiunc. 2 hujus artic. Potest ergo impedimentum orationis esse, vel ex parte orantis, si orationem inordinate emittat: et quantum ad hoc removendum, dicitur pie, in quo importatur modus latriæ, quæ alio nomine pietas dicitur, secundum quam oratio modificari debet; vel ex eo quod petitur, quia quandoque etiam petenti non expedit, et sic dicitur quod sit ad salutem; vel ex parte ejus pro quo petitur, et hoc impedimentum vel est tunc quando oratio fit; quod non potest esse quando oratio fit ab aliquo pro se ipso, si pie petat, sed quando fit pro alio, et ideo additur alia conditio quod fiat pro se; vel potest esse propter intermedium inter orationem et consecutionem petiti, et hoc excluditur (*ubi dicitur*): perseveranter. — Advertit D. Thomas in solutionibus argumentorum quod istæ conditiones non hoc modo requiruntur ad efficaciam impetrandi, quasi nihil impetrent, si aliqua desit; quia etiam quandoque aliquis pro alio orans auditur: sed quia his positis semper oratio habet efficaciam impetrandi, quia impetrationis virtus magis est ex proposito ejus qui oratur quam ex orantis merito, et ideo quandoque peccatores audiuntur, quando eorum oratio divino proposito concordat. Tamen sciendum est quia quandoque aliquis pie petit, qui pietatis virtutem non habet: sicut aliquis aliquando justa facit qui justitiæ habitum non habet, et sic etiam peccatores aliquando possunt pie orare. Dicit D. Thomas, loco citato, quod istæ conditiones quæ sunt

ex parte orantis, scilicet fides, confidentia, humilitas, charitas et fervor, jam includuntur in hoc quod dicitur pie.

248. Oratio, ut habeat efficaciam impetrandi, debet esse ex corde, anxia, recta ad Deum, et assidua. Istas conditiones ponit D. Thomas in expositione Psalm. XXVI, super illa verba: Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Dicit Sanctus: Primo petit divinæ faciei prospectum; secundo, divinum auxilium; tertio, viæ suæ directivum. Circa primum ostendit quod de re petita habet magnum desiderium, et intimum, et anxium, et assiduum. Intimum: " quia tibi dixit cor meum. „ Aliquando homo aliquid petit ore, sed cor ejus ad alia versatur; Matth. VII: Non omnis qui dicit mihi, Domine, etc.; Isa. XXIX: Populus hic labiis me honorat, etc. Sed quando petitio est ex intimo desiderio cordis, tunc est Deo accepta: sed tunc non os tantum, imo cor petit. II. Reg. VII: Invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac; Ps. CXVIII: Clamavi in toto corde. Anxium et æquum dicit habere, cum dicit: " exquisivit te. „ Contingit aliquando quod desiderium est intimum, et quietum, et multum quærit: sed quando est anxium, tunc vere quærit; unde dicitur: " Exquisivit te, „ idest frequenter et diligenter quæsivit. Et hoc etiam ostendit æquum desiderium, quia imago non perficitur nisi pertingat ad exemplar, ad quod est facta; unde dicit: " exquisivit facies mea. „ Facies hominis interior est in qua visus est interior, idest anima, sive mens rationalis; et hæc, scilicet facies mea, quæ est facta ad imaginem tuam, exquisivit te. Unde non potest reformari et perfici nisi jungatur tibi, Domine. Unde sicut quælibet res quærit suam perfectionem, ita mens nostra quærit Deum. Et ostendit quod sit assiduum, quia " requiram, „ idest iterum et iterum quæram; Isa. XXI: Si quæritis, quærite; Matth. VII: Quærite et invenietis. Hoc est proprium diligentis, quærere sæpe rem dilectam. Et quid quærit ostendit cum dicit: " Faciem tuam, Domine, requiram. „ Hoc petebat Moyses, Exod. XXXIII: Ostende mihi faciem tuam. Et Dominus non statim ostendit, sed dixit: Ostendam tibi omne bonum. Lucæ X: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Et ideo David non erat extra spem, sed adhuc quærebat; unde alibi dicit, Ps. LXXIX: Ostende nobis faciem tuam.

249. Oratio, ut habeat efficaciam impetrandi, debet habere

tria: clamorem, justitiam, et quod totum bonum tribuatur Deo. Hoc ostendit D. Thomas in expositione Psal. IV, in illa verba: Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ. Dicit Sanctus: Quatuor considerantur. Primo, ponit orationem et exauditionem, unde non dicit: " exaudisti „ sed: " exaudivit „ me clamantem; unde dicit: " Cum invocarem, „ quod est implorare auxilium in necessitate. Psal. CXIX: Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. Item requiritur quod sit justus, quia si audit peccatores, est ex misericordia, non ex justitia; et ideo dicit: " Justitiæ meæ. „ Ibi Glossa: idest dator justitiæ vel justificationis meæ. Ps. XXXIII: Oculi Domini super justos. Aliud quod est primum, quod justitiam suam homo attribuat Deo et non sibi, et ideo dicit: " Deus „ contra quod Rom. X: Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere. Primo ergo debet bonum suum attribuere Deo; secundo, habere justitiam; tertio, clamare.

250. D. Thomas in expositione capitis VI epistolæ ad Ephes., lect. 5, ponit septem conditiones orationis cum quibus habet vim impetrandi. Prima quod sit perfecta, unde dicit Apostolus: " omnem orationem, „ quod fit cum in omnibus recurrit quis ad orationem, vel orat pro omni bono. Secunda, quod sit humilis, non præsumptuosa; Psalm. CI: Respexit in orationem humilium, etc., quod fit quando homo non putat se exaudiri propter merita sua, sed propter misericordiam divinam, et ideo dicit: " Obsecrationem, „ idest per sacræ rei acceptionem; Philipp. IV: In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Tertia, quod sit continua: " omni tempore; „ I. Thessal. V: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite; Psal. XXXIII: Benedicam Dominum in omni tempore, scilicet statuto. Quarta, quod sit devota: " quia in spiritu; „ I. Cor. XIV: Psallam spiritu, psallam et mente, idest non ut vagus. Quinta, quod sit vigilans: " vigilantes; „ I. Petri IV: Estote prudentes, et vigilate in orationibus. Sexta, quod sit instans: " in omni instantia; „ Rom. XII: Orationi instantes. Septima, charitativa, ut scilicet fiat pro omnibus aliis sanctis: " et obsecratione pro omnibus sanctis; „ I. Tim. II: Obsecro enim primum omnium fieri obsecrationes, orationes. postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. — *Adde Append.*, nn. 181-190.

ARTICULUS V.

Tria faciunt orationem commendabilem in doctrina D. Thomæ.

251. D. Thomas in expositione Psalmi XXXVIII, super illa verba: Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas, dicit: Tria faciunt orationem commendabilem, scilicet elevatio mentis in Deum, continuatio, et lacrymæ. Elevatio mentis in Deum: et hæc est oratio quæ est ascensus mentis in Deum, unde dicit: " Exaudi orationem meam, Domine; „ Psal. LXVIII: Ego vero orationem meam ad te, Domine. Secundum est continuatio petendi, et hoc cum dicit: " et deprecationem meam; „ Jacobi ult.: Multum valet deprecatio justi assidua. Tertium est lacrymarum multitudo: et hoc ostenditur cum dicit: " auribus percipe lacrymas meas. „

252. Tria alia sunt quæ faciunt orationem commendabilem, scilicet attentio, rectitudo et devotio. Ita D. Thomas super illa verba Psal. III: Voce mea ad Dominum clamavi. Attentio: et ideo dicit: " Voce mea, „ scilicet cordis, quæ sonat Deo, qua Moyses tacens ore, clamabat corde ad Dominum; Exod. XLIV: Dicit Dominus: Quid clamas ad me? etc. Hac etiam voce clamans Susanna, est exaudita; Daniel. XIII: Quæ flens respexit in cœlum: erat enim cor ejus habens fiduciam in Domino, etc.; I. Reg. I: Porro Anna loquebatur in corde suo, etc.; I. Cor. XV: Orabo spiritu, orabo et mente; et ideo dicit: " mea. „ Vox enim quæ non procedit ex corde non est mea. Item debet esse recta. Tunc enim est recta quando tendit ubi debet. Et ideo dicit: " ad Dominum, „ ubi est auxilium; II. Paral. XX: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum ut oculos nostros dirigamus ad te. Psalm. CXX: Auxilium meum a Domino. Item debet esse devota, unde addit: " clamavi. „ Clamosa namque dicitur oratio propter magnitudinem affectus; Psal. C: Clamor meus ad te veniat; Hebr. V: Cum clamore valido et lacrymis.

253. Tria alia faciunt orationem commendabilem: quod sit

assidua, grata et vigilans. Ita D. Thomas sup. epist. ad Coloss. IV, lect. 1. Assidua; unde dicit: " Orationi instantes, „ idest cum perseverantia orate; I. Thessal. V: Sine intermissione orate; Luc. XVIII: Oportet semper orare et nunquam deficere. Item vigilans, ut animus non sit pressus; ideo subditur: " vigilantes; „ I. Petr. IV: Vigilate in orationibus; et Luc. VI: Erat pernoctans in oratione. Item grata, idest in gratiarum actione, alias non mereretur beneficia nova, si de acceptis esset ingratus; unde sequitur: " in gratiarum actione. „ Ps. IV: Cum gratiarum actione; I. Thessal. V: In omnibus gratias agite.

254. Tria alia faciunt orationem commendabilem: quod sit tempestiva, continua, multiplex. Ita D. Thomas super caput I ad Coloss. super illa verba: Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, etc. Dicit sic: Oratio tres habet conditiones. Prima, quod sit tempestiva; unde subdit: " Ex qua die, „ etc.; supple: cœpimus orare. Jerem. XXXI: Ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Secundo, quod sit continua: " non cessamus, etc. „ I. Reg. XII: Absit autem a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis. Rom. I: Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Tertio, multiplex et perfecta: " orantes et postulantes. „ Oratio est ascensus mentis in Deum; postulatio est rerum petitio. Oratio debet præcedere, ut devote petens exaudiatur, sicut petentes præmittunt persuasionem ut inclinent; sed nos debemus præmittere devotionem et meditationem Dei et divinorum, non ut eum flectamus, sed ut nos erigamus in eum.

255. Tria alia faciunt orationem commendabilem, scilicet quod sit assidua, pura et quieta. Ita D. Thomas in commentario Ep. I. ad Tim., c. II, super illa verba: Volo ergo viros orare. Requiritur quod oratio sit assidua, scil. in omni tempore et in omni loco. Et dicit: " Volo, „ quia bonum est quod homo oret. Et ego doctor volo viros orare in omni loco, non in Jerusalem tantum, ut Judæi, nec in monte Gerasin, ut Samaritani; Joan. IV. In omni loco potest homo spiritualiter et mentaliter orare. Sophon. II: Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. — Sed quomodo Dominus reprehendit Pharisæos stantes in angulis? Matth. VI. Respondeo: Oratio mentalis ubique potest fieri; sed signa orationis exterius non debent fieri in omni loco, quia homo non debet singularis apparere in exterioribus, quia

propter hoc posset haberi inanis gloria. — Sed quare nunc sunt factæ ecclesiæ? Respondeo. Non quod locus sit de necessitate orationis, sed ad bene esse ejus, quia oratio requirit solitudinem et quietem. — Item pura; ideo dicit: " levantes puras manus. „ Augustinus, quod exterius orando agimus, facimus ut affectus noster interius excitetur. Genuflectiones et hujusmodi non sunt per se acceptæ Deo, sed quia per hæc tamquam per humilitatis signa homo interius humiliatur, sicut elevatio manus designat elevationem cordis. Thren. III: Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlo. " Levantes, „ idest orantes cum devotione cordis. Job VIII: Si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. — Item quieta; ideo dicit: " sine ira et disceptatione. „ Et ponit duo. Primo, ut scilicet mens sit sine ira quæ animum inquietet ad inferendum nocumentum proximo, a quo oportet liberum esse animum orantis. Eccli. XXVIII: Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam. Item liber debet esse homo a disceptatione, quod potest intelligi dupliciter: Uno modo, secundum Glossam, ut non disceptemus contra Deum incredulis verbis et murmurando contra ejus ordinationem. Rom. IX: O homo, tu quis es ut respondeas Deo? Item contra proximum, ut non rumpamus pacem cum eo, quod fit per disceptationem. Pax enim est necessaria oranti. Matthæi XVIII: Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quam petierint, fiet illis a Patre meo.

ARTICULUS VI.

De circumstantiis quæ faciunt orationem esse exaudibilem.

256. Tres circumstantiæ faciunt orationem esse exaudibilem, scilicet bonitas Dei, suffragia Sanctorum et meritum proprium Ita D. Thomas in expositione Psal. XIX, super illa verba: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui. — Quantum ad primum, bo-

nitas Dei facit orationem esse exaudibilem, et hoc declarat David quando dicit: " Protegat te nomen Dei Jacob, „ idest propter nomen suum, seu propter suam bonitatem: quem Deum ipse (*Jacob*) adoravit quando apparuit ei in Bethel, Gen. XXVIII, Deus Jacob, qui terrenos ad cœlos ducit, et de cœlis auxiliatur terrenis; iste ergo protegat te. Prov. XVIII: Turris fortissima nomen Domini. Psalm. XXX: Proteges eos in tabernaculo tuo. Hoc nomen est omnipotens; Exod. XV: Qui potest salvare. Item est nomen misericordiæ; Luc. I: Sanctum, idest misericors nomen ejus; Cant. I: Oleum effusum nomen tuum. Sic ergo ex potentia et misericordia Dei protegimur. Isa. XLIX: Sub umbra manus tuæ protexit me; Psal. IX: Sub umbra alarum tuarum protege me.

257. Secunda causa, seu circumstantia, suffragia Sanctorum; et hoc declarat David quando dicit: " Mittat tibi auxilium de sancto „ idest de collegio sanctorum. Et est duplex collegium sanctorum. Unum regnantium cum Deo in gloria, aliud est militantium in terra: et ex utrisque adjuvamur; quia angeli intercedunt pro nobis. Joan. I: Advocatum habemus, scilicet collegium angelorum. Apoc. VII: Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli, coram Deo. Fumus est ex humore et calore. Item Christus qui est rex eorum pro nobis assistit. Hebr. VII: Accedens per semetipsum ad Deum, ad interpellandum pro nobis, et ideo dicit: " Mittat tibi auxilium de sancto, „ idest de Filio incarnato, qui anagogice dicitur Sanctus. Luc. I: Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Daniel. IX: Ungetur Sanctus sanctorum. Vel " de Sancto, „ idest de Christo passo, quia in passione sua sanctificavit se pro nobis. Joan. XVII: Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Vel " mittat tibi auxilium de sancto „ idest de Beatorum collegio. Psalm. XXI: Tu autem in sancto habitas. Vel " Mittat tibi auxilium de sancto „ quantum ad eos qui sunt in vita activa, vel qui sunt in vita contemplativa.

258. Tertia circumstantia est meritum proprium, et hoc insinuat David cum dicit: " Memor sit omnis sacrificii tui. „ Omne opus bonum est sicut sacrificium, quia omnia debent Deo offerri. I. Corinth. X: Omnia in gloriam Dei facite. Ergo omnia opera nostra sunt sacrificium quodammodo: sive elee-

mosynæ, Hebr. ult.: Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus; sive jejunium, Rom. XII: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. In Veteri Testamento quædam sacrificia fiebant, quæ non totaliter comburebantur, sed pars: et pars in usum offerentium veniebat: sicut hostiæ pacificæ; quædam vero totaliter comburebantur, quæ dicebantur sanctissima, quæ vocabantur holocaustum ab ὅλον, quod est totum, et κάυμα, quod est incensum. Et ideo est duplex genus bonorum operum, quædam quæ dicuntur sacrificium, quando quis aliquid de bonis suis dedicat Deo, ut si quis conjugatus aliquibus diebus abstineat; Eccle. III: Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Sed quando aliquis totum dat nihil sibi reservans, vel totaliter continet, sic dicitur holocaustum; ideo dicit: " Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat, „ idest acceptum Deo. Eccli. XXXV: Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Domini. Et dicit " pingue, „ quia holocaustum incendebatur, et odorem faciebat: quia pinguia plus odoris habent. Et ideo qui plus devote sacrificium offert, magis est acceptum, quantumcumque sit illud.

259. Alia circumstantia est ut oratio sit exaudibilis, ut fiat recta intentione. D. Thomas super Psalm. XVII, in illa verba: Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, objicit ex illo Isaiæ penult.: Antequam clament ego exaudiam; et Psal. XC: Clamabit ad me, et ego exaudiam eum. Respondet sic: Quando recta intentione quis clamat, sive orat, tunc creditur, et Deus statim orationem approbat et exaudit. Joan. IX: Si quis Dei cultor est, scilicet recta intentione, hunc exaudit: sed quando simulata oratione et ficta clamaret ad Deum, non exauditur. Jacobi IV: Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.

260. Quando oratio habet istas alias circumstantias quod est obedientis, patientis et orantis pro inimicis, exauditur. Ita D. Thomas super illa verba Psal. XXXVII: Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine, Deus meus. Dicit Sanctus: Hic ponitur causa patientiæ, quæ est triplex: ex parte Dei, ex parte inimicorum, et ex parte sui. Ex parte Dei causa patientiæ est quod tota causa relinquatur Deo: Mihi vindicta, et ego retribuam, Deuter. XXXII. Et ideo dicit: " Quoniam in te

sperávi, Domine; „ quasi dicat: in te est causa mea. Jerem. XVII: Spes mea tu es. Et quid speras de Deo? Dixi: " Tu exaudies me, Domine, Deus meus. „ Origenes: Quandoque homo orat Deum, et non exauditur, quia ipse non audit eum præcipientem. Proverb. XXVIII: Qui declinat aures ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis; sed qui obedit Deo et legi, tunc exauditur. Jacobi ult.: Multum valet deprecatio justi assidua. Deus autem maxime præcipit patientiam. Matth. V: Si quis te percusserit in unam maxillam, etc. Et orantis pro inimicis (*oratio*) exauditur, ut patet in oratione Christi pendentis in patibulo, et Stephani, et aliorum sanctorum.

ARTICULUS VII.

Oratio fit ad excitandum affectum nostrum, non autem ad docendum Deum, neque ad mutandam dispositionem divinæ Providentiæ et ad alios fines.

261. D. Thomas, 2 2, q. 83, art. 2, in corpore: Considerandum est quod ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causæ actus humani; unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis. Et simile est etiam in oratione. Non enim propter hoc oramus ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes sanctorum esse implendum, ut scilicet homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare, ut Gregorius dicit in libro Dialogorum. Et art. 9 ad 5 dicit quod oratio non porrigitur Deo ut ipsum flectamus, sed ut in nobis ipsis fiduciam excitemus postulandi. Quæ quidem præcipue excitamus in nobis considerando ejus charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult, et ideo dicimus: Pater noster; et ejus excellentiam qua potest, et ideo dicimus: Qui es in cœlis.

262. D. Thomas, in IV, dist. 15, q. 4, art. 1, quæst. 3 ad 2, dicit quod per orationem præcipimur vota nostra Deo pandere, non ut eum doceamus quod desideramus, sed ut affectum et intellectum nostrum dirigamus in illum. Et solutione ad 3 dicit quod Deus orationem acceptat, et de eo quod dare vult, et interdum de eo quod dare non vult, ut idonei simus ab ipso accipere: quod non esset si ab eo non speraremus quod desideramus. Nec esse durum homini debet se Deo per orationem subjicere, sicut homini per preces, quia in hoc totum bonum nostrum consistit quod Deo subditi simus: non autem in hoc quod homini subdamur. De eo autem quod non vult dare, quia ipse vult nos pie velle quod ipse juste non vult. Et art. 2, q. 2 ad 3 ejusdem Distinctionis, dicit quod petitio fit homini ad hoc quod desiderium petentis ei innotescat ad flectendum ipsum verbis: sed orationem ad Deum fundimus ut desiderium nostrum exerceamus, et ideo utile est diu orare, si diuturna exercitatione desiderium crescat.

263. Oratio causat sollicitudinem, fervorem, servitium Dei, gaudium et auxilium. Ita D. Thomas ad Rom. XII, lect. 2 super illa verba: Orationi instantes. Sollicitudinem, ad serviendum Deo; Mich. VI: Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te; postea subdit: Sollicite ambulare cum Deo tuo. II. Tim. II: Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo: quantum ad affectum, in dilectione Dei. Unde fervor spiritus dicitur, quia propter abundantiam divinæ dilectionis totus homo fervet in Deum. Fervor enim procedit ex abundantia caloris. Unde Actor. XVIII dicitur quod Apollo fervens spiritu loquebatur; I. Thess. ult.: Spiritum nolite extinguere. — " Domino servientes, „ scil. servitute latriæ, quæ soli Deo debetur. Deut. VI: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Psal. II: Servite Domino in timore; vel secundum aliam litteram: Tempori servientes, ut scilicet Dei servitium congruo tempore faciamus. Eccle. VIII: Omni negotio tempus est et opportunitas.

264. Qui non attendit vel non intelligit orationem, habet quidem meritum, non autem consolationem. Ita D. Thomas in expositione I. Cor., cap. XIV, lect. 3: Quia sequeretur quod multæ orationes essent sine merito, cum vix unum Pater noster potest homo dicere, quin mente ad alia feratur, ideo di-

cendum est quod quando orans aliquando divertit ab his quæ dicit, seu quando quis in uno opere meritorio non continue cogitat in quolibet actu quod facit hoc propter Deum, non perdit rationem meriti, quia in omnibus operibus meritoriis, quæ ordinantur ad finem rectum, non requiritur quod intentio agentis conjungatur fini secundum quemlibet actum; sed vis prima, quæ movet intentionem, manet in toto opere, etiamsi aliquando in aliquo particulari divertatur. Privatur tamen fructu consolationis spiritualis et devotionis.

265. In oratione debent peti aliqua determinata propter attentionem et cognitionem nostri desiderii, et ut ferventius fiat. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, q. 4, art. 4, quæstiunc. 1: Determinatio ejus quod in oratione petendum est, ad tria valet: primo, ad hoc ut attentio orantis determinetur ad aliquid, quæ plurimum est in oratione necessaria; secundo, ut nobis innotescat desiderium nostrum, et quantum in ipso profecerimus; tertio, ut ferventius petamus, quia bona quanto particularius inspiciuntur, tanto ferventius concupiscuntur, sicut de delectabilibus corporalibus Philosophus dicit, III Ethic. Unde Augustinus, in lib. De orando Deum, dicit: Ideo per certa intervalla ipsum etiam verbis determinatis oramus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus: quantum ad primum; et quantum in ipso desiderio profecerimus nobis innotescamus: quantum ad secundum; et ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus: quantum ad tertium. Hoc idem docet 2 2, qu. 83, art. 5. Sicut magister Vallerius refert, Socrates nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent, quia hi demum scirent quid unicuique esset utile. Nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Quæ quidem sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum eventum habere; quibus etiam homo potest male et bene uti. Sicut divitiæ quæ, ut ibidem dicitur, multis exitio fuere; honores, qui complures pessumdederunt; regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur; splendida conjugia, quæ nonnunquam funditus domos evertunt. Sunt tamen quædam bona quibus homo male uti non potest, quæ scilicet malum eventum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur, quæ quidem sancti orando absolute petunt, secundum illud Ps. LXXIX:

Ostende faciem tuam, et salvi erimus; et iterum Psal. CXVIII: Deduc me in semitam mandatorum tuorum.

266. Impetratio orationis potest se extendere ad omnia illa quæ subsunt potentiæ Dei ordinariæ. Hoc docet expresse divus Thomas in IV, dist. 45, q. 2, art. 1, quæstiunc. 1: Cum enim impetratio orationis sit secundum libertatem Dei, qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere, quæ potestati divinæ subsunt ordinate. Nihil debemus petere in oratione nisi in ordine ad beatitudinem. Ita D. Thomas, 2 2, q. 17, art. 2 ad 2: Quæcumque alia bona non debemus a Deo petere nisi in ordine ad beatitudinem æternam. Unde et spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia vero quæ petuntur a Deo respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam: sicut et fides principaliter quidem respicit Deum, et secundario respicit ea quæ ad Deum ordinantur.

267. Hoc præcipue petendum est in oratione, ut Deo uniamur. Ita D. Thomas 2 2, qu. 83, art. 1 ad 2: Tendit autem oratio in Deum, quasi a voluntate charitatis mota, dupliciter. Uno quidem modo ex parte ejus quod petitur, quia hoc præcipue est in oratione petendum ut Deo uniamur, secundum illud Psal. XXVI: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Alio modo ex parte ipsius petentis, quem oportet accedere ad eum a quo petit: vel loco, sicut ad hominem; vel mente, sicut ad Deum. Unde dicit Dionysius quod quando orationibus invocamus Deum, revelata mente adsumus ipsi. Et secundum hoc etiam Damascenus dicit quod oratio est ascensus mentis in Deum.

268. Oratio petentis liberari ab omni peccato per Deum est tripliciter commendabilis, scilicet ratione petiti necessarii, ratione Dei, non propter merita, et ratione utilitatis. Ita divus Thomas in expositione Ps. XXXVIII, super illa verba: Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Dicit Sanctus: Hæc petitio commendabilis est propter rem petitam, quæ necessaria est, scilicet liberari a peccato. Job XI: Si iniquitatem, quæ in manu tua est, abstuleris a te, et non permanserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem absque macula. Secundo, quia petit non meritis propriis, sed petit sibi dari a Deo. Isaiæ XLIII: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Tertio, quia petit ab omnibus liberari, quia impium est a Deo

petere veniam de peccatis, a quo tota liberatio non speratur. Joan. VI: Totum hominem sanum feci in sabbato. Unde dicit: " Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, " quasi: non peto liberari ab uno solo peccato, sed ab omnibus. Ezech. XXVI: Mundamini ab omnibus iniquitatibus vestris; Psal. XXIV: Dimitte omnia peccata mea. — Effectus orationis triplex; scilicet meritum, impetratio, spiritualis refectio. D. Thomas 2 2, q. 83, art. 13.

ARTICULUS VIII.

Oratio soli Deo porrigitur, ut per eum implenda; sanctis vero, et angelis, et hominibus, ut per eos impetranda suis meritis et precibus.

269. Respondet D. Thomas 2 2, q. 83, art. 4: Oratio porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum implenda; alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum illud Psal. LXXXIII: Gratiam et gloriam dabit Dominus. Sed secundario modo orationem porrigimus sanctis, angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocal. VIII quod ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam a sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur: ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis. Et in solutione ad 1 dicit quod illi soli impendimus orando religionis cultum, a quo quærimus obtinere quod oramus, quia in hoc protestamur eum bonorum nostrorum auctorem: non autem eis quos requirimus quasi interpellatores nostros apud Deum.

270. Deus oratur in quantum est beatus: ideo oratur ratione essentialium attributorum, non autem ratione attributorum personalium. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, q. 4, art. 5, quæstiunc. 3: Deus præcipue oratur in quantum est beatus, et aliis beatitudinem largitur: et quia hoc convenit ei ratione essentiæ,

ideo ratione essentialium attributorum oratur. Et art. 6, q. 1: Oratio autem fit ad Deum ratione attributorum essentialium. Spiritus sanctus ex personali proprietate habet quod sit donum, et ideo magis competit quod ipse petatur quam quod ab eo aliquid petatur: quamvis etiam ad Spiritum sanctum Ecclesia orationes aliquas dirigat et hymnos, qui loco orationum in Ecclesia recitantur, sicut patet: Nunc sancte nobis Spiritus, etc. Veni, creator Spiritus.

271. Oratio non debet fieri ad sanctos qui sunt in purgatorio vel in hoc mundo, quamvis sint Deo conjuncti per gratiam et charitatem, et per alias virtutes et dona, et per gratias gratis datas: sed tantum supplicatio vel petitio. Ita D. Thomas 2 2, q. 83, art. 4 ad 3: Illi qui sunt in hoc mundo aut in purgatorio nondum fruuntur visione Verbi, ut possint cognoscere ea quæ nos cogitamus vel dicimus. Et ideo eorum suffragia non imploramus orando, sed a vivis petimus colloquendo. Et art. 11 ad 3 dicit quod illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, inferiores sunt tamen quantum ad pœnas quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis. Idem dicit in IV, dist. 15, q. 4, art. 6, quæstiunc. 2: Nihil petitur ab aliquo qui non habet; unde cum beata vita sit quæ in mundo petitur, ad illos solos dirigi potest qui beatam vitam habent, non autem ad illos qui in mundo sunt, neque ad illos qui in purgatorio sunt: quamvis illis qui in mundo sunt supplicatio vel petitio aliqua fieri potest.

272. Sancti debent interpellari ut orent pro nobis. Ita divus Thomas in IV, dist. 45, art. 2, ubi respondet in argumento: Sed contra, tribus rationibus. Prima ex illo Job V: Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere: vocare autem nostrum, ut Gregorius ibidem dicit, est humili Deum prece deposcere: ergo cum volumus orare Deum, debemus ad sanctos converti, ut orent pro nobis ad Deum. Secunda, sancti qui sunt in patria magis sunt accepti Deo quam in statu viæ; sed sanctos qui sunt in via constituere debemus interpellatores pro nobis ad Deum, exemplo Apostoli, qui dicebat, Rom. XV: Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum: ergo et nos multo

fortius petere debemus a sanctis qui sunt in patria ut nos juvent orationibus ad Deum. Tertia est communis consuetudo Ecclesiæ, quæ in litaniis sanctorum orationem petit. In Corp.: iste ordo est divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum; unde cum sancti qui sunt in patria sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit ut nos qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur; quod quidem contingit dum per eos divina bonitas suum effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos, sicut mediantibus sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus sanctis: et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituamus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

273. Utile est orare sanctos inferiores quintuplici ratione. Ita D. Thomas in IV, dist. 45, q. 3, a. 2 ad 2: Primo ex hoc quod aliquis quandoque habet majorem devotionem ad sanctum minorem quam ad majorem: ex devotione autem majori dependet orationis effectus. Secundo, propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit: per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur. Tertio, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari, sicut S. Antonio ad ignem infernalem. Quarto, ut honor debitus omnibus exhibeatur. Quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod unius oratione non impetratur.

274. Sancti orantur nominibus propriis propter tria, scilicet quia hoc meruerunt, plus nobis innotescunt, et propter fidem resurrectionis insinuandam. Ita D. Thomas 2 2, qu. 83, art. 11 ad 5: Quia sancti viventes meruerunt ut pro nobis orarent, ideo invocamus eos nominibus quibus hic vocabantur, quibus etiam nobis magis innotescunt, et iterum propter fidem resurrectionis insinuandam, sicut legitur Exod. III: Ego sum Deus Abraham, etc. — Sancti cognoscunt in Verbo orationes nostras ad eos, etiam mentales, sicut et omnia alia quæ ad eos pertinent. Ita D. Thomas 2 2, q. 83, a. 4 ad 2: Beatis, ut Gregorius dicit, XII Moral., in Verbo manifestatur illud quod decet eos

cognoscere de eis quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maxime autem excellentiam eorum decet ut cognoscant petitiones ad eos factas vel voce vel corde. Et ideo petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt. — Sancti orant pro nobis dupliciter, scil. expresse et interpretative, sicut sanguis Christi. Ita D. Thomas in IV, dist. 45, q. 3, art. 3: Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant. Alio modo oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quædam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere. Utroque autem modo sanctorum orationes sunt, quantum est ex ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt: sed ex parte nostra potest esse defectus, ut non assequamur fructum orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita ipsorum nobis proficiunt; sed secundum quod orant pro nobis votis suis nobis aliquid postulando, semper exaudiuntur, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri: quod autem Deus simpliciter vult, impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam vult omnes homines salvos fieri, quæ non semper impletur; unde non est mirum si etiam quod sancti volunt per hunc modum voluntatis interdum non impleatur.

ARTICULUS IX.

Orandum est pro omnibus.

275. Respondet titulo art. D. Thomas in expositione epistolæ primæ D. Pauli ad Timoth. II, super illa verba: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: " Primum omnium obsecro: „ in quo aperte ostendit quod inter omnia necessaria ad vitam christianam præcipua est oratio, quæ valet contra pericula tentationis, et ad proficiendum in bono. " Pro omnibus: „ cujus ratio est, quia oratio est interpres desiderii nostri. Orando enim petimus quod desideramus. Charitas autem re-

quirit quod desideremus bonum omnibus ad quos se extendit. Jacobi ult.: Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua. — Sed pro quibus specialiter? Pro regibus, etc. Baruch. I: Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babyloniæ, et pro vita Balthassar filii ejus. Et I. Petr. III: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis. Hoc idem docet D. Thomas 2 2, q. 83, art. 7: Charitas hoc requirit ut pro aliis oremus. Unde Chrysostomus dicit super Matthæum: Pro se orare necessitas cogit; pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

276. Quilibet tenetur orare in communi pro suis inimicis, non autem in speciali, nisi in aliquo casu speciali, sicut in necessitatis articulo. Ita D. Thomas 2 2, q. 83, art. 8: Orare pro alio charitatis est, sicut dictum est; unde eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare. Qualiter autem teneamur inimicos diligere, supra habitum est in tractatu de charitate, ut scilicet in eis diligamus naturam, non culpam; et quod diligere inimicos in generali est in præcepto, in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi: ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere et eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret. Sed in speciali absolute inimicos diligere et eos juvare perfectionis est. Et similiter necessitatis est ut in communibus orationibus nostris, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oremus perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

277. Orandum est pro omni peccatore viatore ut convertatur. Ita D. Thomas, 2 2, q. 83, art. 7 ad 3 (*dicit*): pro omni peccatore orandum ut convertatur, et pro justo ut perseveret et proficiat. Orantes tamen non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam. Exaudiuntur enim pro prædestinatis, non autem pro præscitis ad mortem. Sicut etiam correctio qua fratres corrigimus, effectum habet in prædestinatis, non in reprobatis, secundum illud Eccle. VII: Nemo potest corrigere quem Deus despexerit. Et ideo dicitur I. Joan. V: Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, et dabitur ei vita

peccanti peccatum non ad mortem. Sed sicut nulli, quamdiu vivit hic, subtrahendum est correctionis beneficium, quia non possumus prædestinatos distinguere a reprobatis, ut Augustinus dicit in lib. De correptione et gratia, ita etiam nulli est denegandum orationis suffragium. Pro justis etiam est orandum triplici ratione. Primo quidem quia multorum preces facilius exaudiuntur; unde super illud Rom. xv: Adjuvetis me in orationibus vestris, dicit Glossa: Bene rogat Apostolus minores pro se orare. Multi enim minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni; et multorum preces impossibile est quod non impetrent, illud scilicet quod est impetrabile. Secundo, ut ex multis gratia agatur Deo de beneficiis quæ conferuntur justis; quæ etiam in utilitatem multorum vergunt, ut patet per Apostolum, II. Cor. I. Tertio, ut majores non superbiant, dum considerant se minorum suffragiis indigere.

278. Non est orandum pro damnatis, nec pro beatis, nec pro pueris in limbo: sed pro his qui sunt in purgatorio. Pro damnatis probat D. Thomas, in IV, dist. 45, q. 2, art. 2, triplici ratione. Prima D. Dionysii, cap. VII De cœlesti hierarch.: Summus sacerdos pro immundis non oret, quia in hoc averteretur a divino ordine. Et, Comment. ibid., dicit quod peccatoribus non orat remissionem, quia non audiretur pro illis: ergo non valent existentibus in inferno suffragia. Secunda: Gregorius dicit in XXXIV Moral.: Eadem causa est cur non oretur tunc, scilicet post diem judicii, pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc causa est ut non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio damnatis; quæ etiam nunc causa est ut non orent sancti pro hominibus infidelibus ipsisque defunctis: quia de eis utique quos æterno damnatos supplicio jam noverunt, ante illum justi judicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt: ergo suffragia damnatis in inferno non valent. Tertia in littera habetur ex verbis Augustini: Qui sine fide operante per dilectionem, ejusque sacramentis, a corpore exeunt, frustra illis a suis hujusmodi officia impenduntur; sed omnes damnati sunt hujusmodi: ergo suffragia damnatis in inferno non prosunt.

279. Non est orandum pro beatis. Hoc probat D. Thomas in eadem Dist. citata, et in eodem articulo, quæstiunc. 4, ex illo quod habetur in littera ex verbis Augustini: Injuria est in

ecclesia orare pro martyre, cujus nos debemus orationibus commendari. – Præterea ejus est juvari, cujus est indigere; sed sancti in patria sunt absque omni indigentia: ergo per suffragia Ecclesiæ non juvantur. Suffragium de sui ratione importat quamdam auxiliationem, quæ non competit ei qui defectum non patitur. Nulli enim juvari competit, nisi in eo quo indigens est: unde cum sancti, qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunes, inebriati ab ubertate domus Dei, eis juvari per suffragia non competit.

280. Licitum est orare pro his qui sunt in purgatorio. Ita D. Thomas in eodem art., quæst. 2, in argumento: Sed contra, quo dicitur ex littera Augustini quod suffragia prosunt his qui sunt mediocriter boni vel mali; sed tales sunt qui in purgatorio detinentur: ergo. — Præterea D. Dionysius dicit in c. VII Cœlestis Hierar. quod divinus sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat qui sancte vixerunt, et tamen aliquas maculas habuerunt ex infirmitate humana contractas; sed tales in purgatorio detinentur: ergo. — Pœna purgatorii est in supplementum satisfactionis quæ non fuerat plene in corpore consummata: et ideo quia, sicut ex prædictis patet, et ex his quæ supra dist. 20 dicta sunt, opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem sive vivis, sive mortuis, non est dubium quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint.

281. Non est orandum pro pueris in limbo. Hoc probat divus Thomas in eodem art., quæstiunc. 3, et primo argum.: Sed contra, in littera ab Augustino, quod suffragia non prosunt illis qui sine fide operante per dilectionem hinc exierunt; sed pueri hoc modo exierunt: ergo eis suffragia non prosunt. — Pueri non baptizati non detinentur in limbo, nisi quia deficiunt a statu gratiæ; unde cum per opera vivorum, mortuorum status mutari non possit, maxime quantum ad meritum essentialis præmii, vel pœnæ, suffragia vivorum pueris in limbo existentibus prodesse non possunt.

282. Orandum est pro excommunicatis, sed non inter orationes pro membris Ecclesiæ. Ita D. Thomas in IV, dist. 18, q. 2, art. 1, quæstiunc. 1 ad primum: Pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter et pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; et tamen

fructum non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent: sed oratur ut detur eis spiritus pœnitentiæ, et ab excommunicatione solvantur.

ARTICULUS X.

Christus oravit secundum humanitatem.

283. Hoc probat D. Thomas, 3 p., qu. 21, art. 1: Oratio est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Si igitur in Christo esset una tantum voluntas, scilicet divina, nullo modo competeret sibi orare, quia voluntas divina per seipsam est effectiva eorum quæ vult, secundum illud Ps. CXXXIV: Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. Sed quia in Christo est alia voluntas divina et alia humana, et voluntas humana non est per seipsam efficax ad implendum quæ vult, nisi per virtutem divinam, inde est quod Christo secundum quod est homo, et humanam voluntatem habens, competit orare. Hoc idem habet 2 2, q. 83, art. 1 ad 1: Dicitur autem Filius rogare vel orare secundum naturam assumptam, scilicet humanam, non secundum divinam.

284. Oratio Christi pertinet ad sacerdotium ejus. Ita D. Thomas, 3 p., quæst. 22, art. 4 ad 1: Oratio, etsi conveniat sacerdotibus, non tamen est eorum officio propria. Cuilibet enim convenit pro se et pro alio orare, secundum illud Jac. ult.: Orate pro invicem, ut salvemini. Et sic posset dici quod oratio qua Christus pro se oravit, non erat actus sacerdotii ejus. Sed hæc responsio videtur excludi per hoc quod Apostolus ad Hebræos V, cum dixisset: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, subdit: Qui in diebus carnis suæ preces, etc. Et ita videtur quod oratio, qua Christus oravit, ad ejus sacerdotium pertineat. Et ideo oportet dicere quod alii sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non inquantum sacerdotes, sed inquantum peccatores: Christus autem simpliciter loquendo peccatum non habuit; habuit tamen similitudinem peccati in carne, ut dicitur Rom. VIII. Et ideo non simpliciter dicendum est quod ipse effectum sacerdotii participaverit, sed secundum quid: scil. secundum passibilitatem carnis. Unde signanter dicit: Qui possit illum salvum facere a morte

285. Oratio Christi quoad objectum fuit sensualitatis, non autem quoad actum. Ita D. Thomas, 3 p., q. 21, art. 2: Orare secundum sensualitatem potest intelligi dupliciter. Uno modo sic quod ipsa oratio sit actus sensualitatis: et hoc modo Christus secundum sensualitatem non oravit, quia ejus sensualitas ejusdem naturæ et speciei fuit in Christo et in nobis. In nobis autem non potest sensualitas orare duplici ratione. Primo quidem quia motus sensualitatis non potest sensibilia transcendere, et ideo non potest in Deum ascendere: quod requiritur ad orationem. Secundo, quia oratio importat quamdam ordinationem, prout scilicet aliquis desiderat aliquid quasi a Deo implendum; et hoc est solius rationis. Unde oratio est actus rationis, ut in secunda parte habitum est. Alio modo potest dici aliquis orare secundum sensualitatem, quia scilicet ejus oratio orando Deo proponit quod est in appetitu sensualitatis ipsius, et secundum hoc Christus oravit secundum sensualitatem, inquantum scilicet oratio ejus exprimebat sensualitatis affectum, tamquam sensualitatis advocata.

286. Christus oravit pro se et pro nobis quoad bona corporis; sed quoad bona spiritualia oravit pro nobis, non autem pro se. Ita D. Thomas in III, dist. 17, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 2: Oratio semper est ad supplendum aliquem defectum. Christus autem non patiebatur aliquem defectum quantum ad bona spiritualia, quia beatus erat; patiebatur autem defectum inquantum passibilis erat in anima et in corpore: unde omnis oratio Christi, quæ erat pro bonis spiritualibus, non erat pro se, sed pro aliis; sicut illud: Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus, Joan. XVII. Sed oratio quæ erat pro his quæ pertinent ad corpus, etiam erat ipsi pro se ipso, sicut patet per illud Psal. CXL: Resuscita me. Quæ quidem oratio, etsi sit pro se, idest ut ipse resuscitetur, tamen est pro aliis in quantum ad aliorum salutem tendit, quia resurrexit propter justificationem nostram; Rom. IV; et in instructionem, quia ejus exemplo ab ipso Deo petere debemus.

287. Christus dupliciter oravit pro se, scilicet exprimendo affectum sensualitatis, vel voluntatis ut natura, quoad passionem transformandam; et secundum rationem, quoad gloriam corporis: et sic omnis oratio ejus pro se et pro nobis, et voluntas impleta est; non autem primo modo. Primum dictum

probat D. Thomas 3 p., qu. 21, art. 3, dicendo quod Christus pro se oravit dupliciter: uno modo exprimendo affectum sensualitatis, vel etiam voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura, sicut cum oravit a se calicem passionis transferri; alio modo exprimendo affectum voluntatis deliberatæ, quæ consideratur ut ratio, sicut cum petiit gloriam resurrectionis. Et hoc rationabiliter. Ad hoc (*enim*) uti voluit oratione ad Patrem ut nobis daret exemplum orandi, et ut ostenderet Patrem suum esse auctorem a quo et æternaliter processit secundum divinam naturam, et secundum naturam humanam ab eo habet quidquid boni habet. Sicut autem in humana natura quædam bona habebat a Patre jam percepta, ita etiam expectabat ab eo quædam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo sicut pro bonis jam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum auctorem, ut patet Matth. xxvi et Joan. xi, ita etiam ut Patrem auctorem recognosceret ab eo orando petebat ea quæ sibi deerant secundum humanam naturam: puta gloriam corporis et alia hujusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, ut de perceptis a nobis muneribus gratias agamus, et etiam nondum habita orando postulemus.

288. Secundam partem ostendit art. 4 quæstionis citatæ; sed clarius in iii, dist. 17, q. 1, art. 3, quæstiunc. 4: Omnis oratio quam Christus obtulit hac intentione ut ipsa impetraret, fuit exaudita: sed cum aliquis impetrare non intendat quod absolute non vult, hæc sola oratio Christi exaudita fuit quæ erat de eo quod Christus absolute voluit. Hoc autem dicitur aliquis simpliciter et absolute velle, in quo ultimus ejus consensus stat: ultimus autem consensus est secundum supremam partem appetitus in homine. Appetitus autem rationis est supra appetitum sensus; et in appetitu rationis est supremum quod in finem tendit, vel in aliquid conjunctum fini. Et ideo hoc solum Christus absolute voluit, quod secundum rationem voluit ut finem, et ut in ordine ad finem: et omnis talis sua oratio fuit exaudita. Quod autem secundum sensualitatem voluit, absolute non voluit, et ideo ratio non ad hoc orando proposuit ut impetraret: nec tamen fuit simulatio, quia appetitum sensualitatis exprimebat ratione jam dicta. Similiter quod volebat ratio ut natura, si in eo non sicut in fine quiescebat, non simpliciter volebat, ut prius dictum est. Et ideo etiam hæc non ad hoc

proposuit orando, ut impetraret, et propter hoc hujusmodi orationes non fuerunt exauditæ.

289. Christus oravit pro nobis dupliciter, scilicet petendo, seu volendo, et repræsentando Patri humanitatem suam cum mysteriis ejus. Hoc probat D. Thomas ad Rom. VIII, lect. 1, super illa verba: Qui etiam interpellat pro nobis, quasi advocatus noster existens. Joan. II: Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum. Ad officium advocati pertinet non solum quod accuset vel condemnet, sed magis accusatorem repellat et condemnationem impediat. Dicitur autem pro nobis interpellare dupliciter. Uno modo pro nobis orando, secundum illud Jo. XVII: Non pro his rogo tantum, scilicet Apostolis, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me. Nunc autem ejus interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute; Joan. XVII: Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum. Alio modo interpellat pro nobis humanitatem pro nobis assumptam, et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando. Ad Hebr. IX: Introivit in ipsum cœlum ut appareret nunc vultui Dei pro nobis. Idem dicit D. Thomas ad Hebr. VII, super illa verba: Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Dicit Sanctus: Quia licet sit ita potens, ita altus, tamen cum hoc est pius, quia interpellat pro nobis. I. Cor. II: Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, etc. Interpellat autem pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando; item sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod de salute nostra habuit, exprimendo, cum quo interpellat pro nobis. Christus in quantum homo orat pro nobis, quia Christus supponit suppositum æternum, cujus non est orare, sed adjuvare; et ideo dicimus: Christe, audi nos, vel: miserere nostri; et in hoc etiam evitamus hæresim Arii et Nestorii. — Christus docuit dirigere Orationem Dominicam ad Patrem. Ita D. Thomas in IV, dist. 15, qu. 4, art. 5, quæstiunc. 3 ad 1, dicendo quod ea quæ sunt essentiæ in Patre, sunt in aliis personis, et ideo est quædam reductio ab aliis personis ad Patrem, ut patet per Hilarium, lib. De Trinitate, et propter hoc etiam dicitur Pater principium totius Trinitatis, et sic nos ad Patrem, sicut in principium non de principio reducens Christus, nos ad Patrem orationem dirigere per Filium docuit.

DISPUTATIO VI.

DE MEDITATIONE

ARTICULUS I.

Quid sit meditatio.

290. Meditationis definitio adducitur clare a D. Thoma, 2 2, q. 80, art. 3 ad 4, et in IV, dist. 15, q. 4, art. 1, quæstiunc. 2 ad 2, et ab omnibus dialecticis: Meditatio est mentis discursus, quo intellectus circa materiam aliquam de una consideratione ad aliam transit. Discursus duplex: unus proprie dictus, alius improprie. Discursus proprie dictus ex una consideratione aliam colligit; improprie dictus unam considerationem post aliam format. Meditatio habet similitudinem corporalium oculorum. Oculi enim sunt membra mobilia, et nunquam in eodem statu permanentia; voluit enim natura quod superius, dextrorsum et sinistrorsum possent se volvere, et sic possent pericula præcavere, et corpori proficua providere. Sic vere dico de oculo mentis nostræ: vertibilis enim et mobilis esse debet, quia scilicet per meditationem providam et discretam quandoque debet sursum, scilicet ad Deum et ad bona æterna respicere; quandoque inferius, scilicet ad mortem et ad infernum intendere; quandoque exterius ad dexteram, idest ad illa quæ facienda sunt se convertere; quandoque ad sinistram, hoc est ad illa quæ cavenda et vitanda sunt se transferre. Et ideo dicit divus Thomas super cap. XXVI Isaiæ quod oculus mentis nostræ per meditationem debet aperire tres portas, scilicet infernalis miseriæ, justæ vitæ, et cœlestis gloriæ. Et D. Thomas super Psalmum XXXVI dicit quod oculus mentis nostræ per meditationem cognoscit sapientiam quadrupliciter, scilicet credendo Christo, acquiescendo sapientibus, psallendo Deo, et docendo ut justi.

291. Columba enim, quæ est avis gemebunda et meditativa, solet caput suum nunc huc, nunc illuc sæpe volvere, antequam ipsam contingat alicubi se movere. Meditatio ergo, cogitatio et deliberatio est necessaria viro justo, et cuique provido et discreto, ut dicat illud Isaiæ XXXVIII: De mane usque ad vesperam finies me; sicut pullus hirundinis, sic clamabo; et meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei. Sequitur: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ecce ergo quomodo iste meditatur vitæ fragilitatem: " De mane usque ad vesperam finies me; „ carnis fragilitatem: " sicut pullus hirundinis; „ mundi adversitatem: " clamabo; „ mortis necessitatem: " meditabor ut columba, „ quæ scilicet respiciens gemit; rerum debilitatem: " Attenuati sunt oculi mei; „ cœli felicitatem: " suspicientes in excelsum; „ mentis iniquitatem: " Recogitabo tibi omnes annos meos; „ Dei auctoritatem: " tibi, „ qui es Deus omnipotens; inferni pœnalitatem: " in amaritudine animæ meæ. „ Ista sunt novem diverticula quæ debet vir prudens scrutari. Gen. XXIV dicitur quod cum Isaac exivisset ad meditandum in agro, obviavit sibi Rebecca pulcherrima et prudentissima puellarum, quæ facta est ejus uxor. Quia revera cum quis ad agrum extrinsecæ meditationis egreditur, et in præfatis et aliis necessariis sollicitius meditatur, Rebecca, quæ interpretatur patientia, et quæ multum accepit a virtute modestiæ et prudentiæ, quæ secundum veritatem multa merita recolligit, eidem conjugatur, et sic talis posset dicere illud Psal. LXXVI: Meditatus sum nocte cum corde meo; exercitabar, et scopebam spiritum meum. Et ideo dicit D. Thomas quod vir justus, prudens et discretus, antequam perveniat ad contemplationem, principaliter ei incumbit meditatio divinorum; ita 2 2, q. 187, art. 3, et I. Contra gent., cap. I, quod officium sapientis est veritatem Dei meditari; et super Psal. I, quod ad salutem est necessaria jugis meditatio de Deo. Et super Psal. XXXIV dicit D. Thomas quod lingua dicitur meditari, quia est signum cordis, et loquitur meditata, et sunt quasi unum.

292. Meditari debemus in Deo quam potens est in operibus, quam justus in vindicandis sceleribus, quam largus in retribuendis muneribus, quam certus in prolatis sermonibus, quam clemens relevans onera, seu dispensans munera, quam prudens gubernans, seu ordinans cætera. Josue I: Non recedat volumen

legis hujus de ore tuo, sed meditaberis in eo diebus atque noctibus, ut facias ea, et custodias quæ scripta sunt in eo. Hugo de S. Victore: Tria sunt genera meditationum: unum in creaturis, unum in Scripturis, unum in moribus. Primum surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione. Et alibi: Lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat, meditatio coaptat, oratio sublevat, operatio componit, contemplatio in ipsa exultat. Consequenter dicit D. Thomas quod meditatio de divinis causat charitatem, quia causat necessitatem loquendi de Deo. Ita 1 2, q. 27, art. 2; et super Ps. XXXVII; et adducit illud Ps. XXXVIII: Et in meditatione mea exardescet ignis charitatis. Et consequenter D. Thomas, Opusc. IV, dicit quod ad acquirendam charitatem necessaria sunt duo, scilicet auditio verbi Dei, et meditatio donorum ejus. Et Opusc. LI: Ut amor Dei non pereat in nobis, quatuor nutritur remediis, scilicet meditatione, doctrina, oratione et exercitio.

293. Aliqui habent potentias ita debiles, ut vix possint meditari, et ista imbecillitas debet suppleri ex parte voluntatis, facta experientia quod intellectus discurrere non potest, nec diu mentaliter loqui. Sequantur consilium Augustini, lib. De orando Deo, cap. x, ubi sic ait, hoc Christi referens mandatum: Orantes autem nolite multum loqui: Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus; absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, et negotium hoc plus gemitibus quam sermonibus agitur. Meditatio, sicut non debet esse superflua, sic nec diminuta; unde sic meditationi insistendum est donec veritas inventa moveat affectum: æqualis namque periculi videtur si quis vel præmature meditationem relinquat statim ad primum minimum affectus motum, vel diutius affectu jam sufficienter excitato perseveret in ea. Si quis præmature meditationem relinquat, et non convincatur a veritate reperta, non excitat moraliter omnes alias potentias; sin autem intellectus affectu jam excitato sufficienter, diutius in meditatione perseverat, multam temporis jacturam patietur. Meditatio autem non propter se quæritur, sed propter virtutem, et fine acquisito superflue laboratur in medio.

294. Sed est advertendum quod quandoque sicut facile excitatur affectus, sic ejus excitatio facile transit, et in pristinum immobilitatis statum redit. Et e contra in aliquibus difficulter

movetur affectus. Quantum ad primum, dico resumendum esse meditationis exercitium, et sic secundo vel sæpius ignem inflammandum: ad quod primum conducit breves quasdam meditationes ultimis partibus affectivis intermiscere, et sic affectus excitatur. Sed si multum accendatur, temperanda foret sensibilis commotio, præsertim in incipientibus. Quantum ad secundum dicimus quod licet per meditationem non statim affectus moveatur, aliquantulum tamen in ea est persistendum, et deprecandus est Deus ut affectum excitet; sed si medium orationis tempus, puta dimidia fluxerit hora, relinquatur meditatio velut inutilis et infructuosa, et ad alias orationis partes fiat transitus. — Affectus est duplex, sensibilis et rationalis: rationalis, voluntas; sensibilis, appetitus concupiscibilis. Principaliter excitandus est affectus rationalis.

ARTICULUS II.

Meditatio est primus gradus vitæ contemplativæ, et ordinate non possumus sine illa ascendere ad contemplationem.

295. D. Thomas, 2 2, q. 82, art. 3, quærit utrum meditatio sit devotionis causa, et respondet affirmative, assignando duplicem causam devotionis, unam extrinsecam et principalem, nempe Deum, de quo dicit Ambrosius super Lucam quod Deus quos dignatur, vocat, et quem vult, religiosum facit: et si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset. Causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio, seu contemplatio. Dictum est enim quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis. Unde et Augustinus dicit in lib. De Trinit. quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis, et beneficiorum ipsius, secundum illud Ps. LXXII: Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem

meam. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud Psal. cxx: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur. Ergo meditatio est primus gradus vitæ contemplativæ, quia est prima ratio quæ excitat devotionem.

296. D. Thomas, multis in locis, præcipue p. p., q. 84, art. 7, et q. 85, art. 1, et q. 87, art. 2 ad 2, et q. 88, art. 1, 2 et 3, sequendo doctrinam Philosophi, I. Phys. text. 34 et 35, et II. Metaph. text. 3, (*ait quod*) ordo præscriptus a natura est ut ab imperfectioribus ad perfectiora ascendamus. Et sic valde errant qui dicunt posse nos ascendere ad contemplationem intellectualem simplicem sine meditatione sensibili et corporali. Et ita divus Thomas, locis citatis, (*dicens*) quod res spirituales in vita mortali sunt nobis obscuræ et parum cognitæ, et non cognoscimus illas nisi per ordinem ad corporalia et per species rerum corporalium; et res sensibiles et corporales in hac vita sunt nobis notæ, et ea quæ pertinent ad contemplationem simplicem plerumque sunt res spirituales et incorporeæ. Ergo priusquam ascendamus ad res spirituales, debet natura esse assuefacta in meditationibus corporalibus, et per species corporales et sensibiles. Tum etiam quia illa contemplatio est melior incipientibus quæ est magis clara, et magis notoria, et magis manifesta: sed incipientibus meditatio rerum sensibilium, et per species sensibiles est magis clara, et magis nota, et magis manifesta. Et ut colligitur ex loco citato Arist. Metaphys., illa quæ ex sua natura sunt clariora et magis notiora, sunt obscuriora nobis, ut patet in luce solis, quæ est clarior nocte, et tamen noctuæ lux solis est magis obscura propter debilitatem potentiæ visivæ. Ita similiter res spirituales, quæ pertinent ad contemplationem simplicem, sunt clariores rebus visibilibus, sed tamen nobis res corporeæ sunt magis claræ, et sic dicit Apostolus: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

297. D. Thomas, 1 2, q. 27, art. 2, et in 1 Sentent., dist. 15, q. 4, art. 1 ad 3, sequendo doctrinam Aristotelis, IX. Ethic. c. v, et Augustini, X. De Trinit., in princ., (*dicit quod*) tanto res magis

amantur, quanto magis cognoscuntur; et hoc manifeste patet: nam bona corporalia, nempe pecuniæ, honores, et delectationes, et res sensibiles magis amantur, quia magis illa videmus et cognoscimus, et vix possumus ab illis separari. E contrario ad amandum spiritualia, et quæ pertinent ad contemplationem simplicem, veluti violenter ad illa rapimur, et cum ingenti difficultate, et sic magis connaturale est homini diligere alterum hominem quam res spirituales: ergo pro hoc statu meditatio rerum corporalium, et per species sensibiles in principio vitæ spiritualis, est magis conformis et connaturalis. Et experientia clare manifestum est quod res præsentes magis movent quam absentes, tam quoad amorem quam quoad timorem; sed res sensibiles et corporales sunt magis præsentes quam spirituales, quæ sunt remotæ a sensibus nostris: et hac causa pluris faciunt homines dona quam promissiones, quia sunt absentes; et homo infelix et miser, quamvis proponatur illi beatitudo, quia tamen est absens, magis diligit res visibiles quam beatitudinem, et delectatio præsens circa sensibilia aufert amorem rerum spiritualium: ergo pro hoc statu vitæ purgativæ et incipientium, meditatio per species sensibiles est magis apta, et via ad contemplationem simplicem.

298. Veritatem hujus articuli ostendunt sancti Patres. D. Bernardus, serm. 1 De S. Andrea, dicit: Nemo repente fit summus; ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quidem pedibus, meditatione et oratione: meditatio quidem docet quid sit, oratio ne desit obtinet; meditatione denique cognoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus. Augustinus affirmat orationem esse tepidam nisi meditatione calescat, juxta illud Prophetæ: Et in meditatione mea exardescet ignis. Hieronymus ostendens quam necessaria sit meditatio, dicit quod est soror lectionis, nutrix orationis, directrix operis. Hanc meditationis necessitatem novit Propheta regius dum ait: Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Et alibi: Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, ut custodiam illam in toto corde meo. Lex tua meditatio mea est. Hugo de S. Victore, De laude orationis, ait orationem esse non posse perfectam, nisi meditatio præcedat aut comitetur. Et Augustinus, tom. 10, serm. 112 De tempore: Quicumque lectiones sacras legere et intelligere pos-

sunt, in his studium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur. S. Gregorius, lib. XX. Moralium, cap. I: Scriptura sacra usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur. S. Thomas, Opusc. IV, dicit quod ad acquirendam charitatem necessaria sunt duo, scilicet auditio verbi Dei, et meditatio donorum ejus. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 4: Ad contemplationem principaliter pertinet meditatio Dei. — D. Thomas exponens illa verba Davidis, Ps. XXXIV: Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, objicit sibi: Meditari non pertinet ad linguam, sed ad cor. Et tripliciter sibi respondet. Uno modo, lingua meditatur, idest meditata loquitur. Psal. XLVIII: Os meum loquetur sapientiam, scilicet meditatam. Qui est justus loquitur ex præmeditatione, et sic est sapiens. Alio modo, est duplex os, sive duplex locutio, scilicet interius et exterius. Matth. XIV: Quæ procedunt de ore, scilicet cordis, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Et sic accipitur hic lingua, scilicet interior. Tertio modo, sic: " Meditabitur „ idest decantabit, et modulabitur, idest semper cogitabit quomodo laudet te. Psal. XXXIII: Benedicam Dominum in omni tempore. Quia meditatio est incipientium, ideo in unaquaque meditatione adducetur materia pro meditatione.

MATERIA MEDITATIONIS.

299. D. Thomas, Opusc. VII, in expositione devotissima Orationis Dominicæ, dicit: Inter alias orationes Oratio Dominica principalior invenitur; habet enim quinque excellentia quæ in oratione requiruntur. Debet enim oratio esse secura, recta, ordinata, devota et humilis. — Secura quidem, ut cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ ejus, ut dicitur ad Hebr. IV. In fide etiam non deficiens; dicitur enim Jacobi I: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Rationabiliter autem hæc oratio dicitur securissima: est enim ab Advocato nostro formata, qui est sapientissimus petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ; ad Coloss. II. Securior etiam apparet ex hoc quod ipse qui orationem exaudit cum Patre docuit nos orare, secundum illud Ps. XC: Clamabit ad me, et ego exaudiam eum. — Debet etiam oratio esse recta, ut petat orans a Deo quæ sibi conveniunt. Nam Damascenus dicit: Oratio est petitio decentium a Deo;

multoties enim non exauditur oratio quia indecentia postulamus. Jac. IV: Petitis et non accipitis eo quod male petatis. — Debet etiam oratio esse ordinata. Est autem hic debitus ordo ut spiritualia carnalibus, cœlestia terrenis desiderando et orando præferamus, secundum illud Matth. VI: Primum quærite regnum Dei. — Debet etiam oratio esse devota, quia pinguedo devotionis facit sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundum illud Psal. LXII: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. — Debet etiam oratio esse humilis, secundum illud Psal. CI: Respexit in orationem humilium. Et Judith IX: Humilium et mansuetorum semper tibi placuit oratio.

300. Pater noster. Dicitur autem pater ratione specialis creationis, quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam. Deuter. XXXII: Ipse est pater tuus qui fecit et creavit te. Item ratione gubernationis. Quamquam enim omnia gubernet, nos tamen gubernat ut dominos, alia ut servos. Sap. XIV: Tua, Pater, providentia cuncta gubernat. Item ratione adoptionis, quia aliis creaturis dedit quasi munuscula, nobis autem hæreditatem, et hoc quia filii: et si filii et hæredes. Debemus nos autem ei tria. Debemus honorem, Malach. I: Si ego pater, ubi est honor meus? Debemus ei imitationem, quia pater est; ad Ephes. V: Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. Debemus ei obedientiam. Ad Hebr. XII: Multo magis obtemperabimus patri spirituum.

ARTICULUS III.

Contrarium est omni bonæ philosophiæ velle ascendere ad contemplationem divinam sine exercitio meditationis imaginariæ.

301. Quamplurimis viis et modis curavit dæmon perturbare excellentiam vitæ contemplativæ. Primus, alta petendo; secundus, humilia suadendo. In primo proponit ut quæramus finem sine mediis, scilicet veram contemplationem sine meditatione sensibili et imaginaria; in secundo, sistendo in meditatione sensibili et imaginaria, non curando de contemplatione divina. Primus est contrarius omni bonæ philosophiæ, ac per consequens theologiæ mysticæ, quæ innititur philosophiæ: secundus, fini ultimo, ad quem omnia debemus referre.

302. Objectum intellectus pro hoc statu secundum doctrinam D. Thomæ multis in locis est ens concretum quidditate sensibili; ac per consequens magis connaturalis est pro hoc statu, saltem incipientibus, et his qui sunt in via purgativa, meditatio imaginaria seu per species sensibiles, quam intellectualis contemplatio. Et probatur ex illo quod dicit D. Thomas, 1 2, q. 27, art. 3, quod similitudo est causa amoris, ut habetur Eccli. XIII: Omne animal diligit sibi simile; et quanto magis sunt similia, tanto magis amantur. Hoc probatur in rebus insensibilibus, in animalibus, in angelis, et in ipsomet Deo. In rebus insensibilibus omnes causæ et omnia agentia majori vi et conatu imprimunt suam virtutem in illam materiam quæ habet majorem similitudinem cum causis, et sic ignis magis et prius imprimit suam formam stupæ quam ligno, et in ligno sicco quam in viridi; et gravia naturaliter tendunt in terram, et levia sursum, quia gravia majorem similitudinem habent cum terra, quia participant de gravitate; et levia participant magis de levitate, quæ est propria ignis, et sic ascendunt sursum. In animalibus id cernitur: leones, apri, lupi et omnia animalia unius speciei magis se diligunt. Angeli magis se diligunt invicem quam diligant homines. In Deo hoc idem videtur, quia se ipsum amat amore necessario propter infinitam proportionem et unitatem quam habet cum suo esse, creaturas vero amat libere. Sed inter omnes creaturas, ut docet D. Thomas, p. p., q. 20, art. 4, plus diligit perfectiores et meliores, quia magis participant de suo esse et de sua bonitate.

303. In hominibus hoc idem invenitur, quia homines plus diligunt affines et consanguineos quam extraneos; amicos et compatriotas quam alios, propter majorem unitatem quam habent cum ipsis qui sunt ejusdem nationis vel religionis, propter majorem similitudinem. Tritum et vulgare est quod dicitur I. Regum XVIII de amore Jonathæ cum Davide, quem anteposuit patri, matri et fratribus, et fuit amor naturalis, ut est concors sententia sanctorum Patrum; et fundabatur in similitudine. Duo viri nobiles et gentiles ita se amaverunt propter similitudinem in donis naturalibus, ut unus illorum per sententiam judicis fuerit morti damnatus: et amicus ad liberandum amicum morti se obtulerit, et de facto mortem subisset, nisi nobilitas judicis illos liberasset. Et ratio omnium istorum

est quia causæ et omnia agentia operantur cum majori vi et efficacia cum rebus quæ habent majorem similitudinem cum ipsis. Sed meditatio corporalium et per species corporales et sensibiles majorem similitudinem habet cum viris incipientibus, et qui sunt in via purgativa, quam cum contemplatione simplici : ergo.

304. Non est sistendum in meditatione imaginaria, sed debemus aspirare ad contemplationem supernaturalem. Tantum bonum est contemplatio supernaturalis, tam eminentem continet honestatem, tam magnam affert utilitatem, et tam excessivam communicat delectationem, ut plane ridiculum foret negare non teneri omnes ad illam aspirare, quia bonum, ut dicit D. Thomas, p. p., qu. 5, art. 6; et 1 2, qu. 99, art. 5; et 2 2, q. 26, art. 2, dividitur in honestum, utile et delectabile; et contemplatio supernaturalis hanc triplicem rationem boni habet. — Bonum honestum dicitur illud quod in se ipso habet unde desideretur: quid honestius contemplatione supernaturali, tum ex parte principii, qui est Spiritus sanctus per sua dona influens; tum ex parte objecti (*quod patet esse*) Deum in se ipso consideratum, tam ut auctorem naturæ quam gratiæ, tam ut unum quam ut trinum; tum ex parte finis, qui est intima unio fruitiva Dei? — Bonum utile est quod non habet quatenus tale in se unde desideretur, sed solum ut est ducens ad alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ. Quid utilius contemplatione supernaturali, tum animæ contemplativæ, tum aliis? Animæ quidem contemplativæ, quia per contemplationem plurima acquirit merita quibus ad vitam æternam et gloriæ beatitudinem conducitur; aliis, quia viri contemplativi plus suis precibus fidei propagationi, infidelium conversioni, hæresum extirpationi prosunt quam alii. — Bonum delectabile illud proprie dicitur quod ut tale nullam habet aliam rationem appetibilitatis, nisi delectationem. Quid denique delectabilius contemplatione supernaturali, tum ex parte principii, tum ex parte finis, tum ex parte objecti? Ex parte principii, quia nihil dulcius et delectabilius est quam motio Spiritus sancti et sibilus auræ tenuis, qua mens contemplativa divinitus perflatur. Nihil delectabilius objecto, cum sit Deus summum bonum. Nihil delectabilius ejus fine, cum in intima unione animæ cum Deo consistat : hic jam inchoatur beatitudo, et in cœlo confirmatur.

MATERIA MEDITATIONIS.

305. D. Thomas, Opusc. VII, exponens Orationem Dominicam, et primam ejus petitionem: Sanctificetur nomen tuum, dicit: Est autem nomen Dei primo mirabile, quia in omnibus creaturis mirabilia operatur. Unde Dominus in Evang. Matthæi ultimo: In nomine meo dæmonia ejicient. — Secundo est amabile. Actor. IV: Non est aliud nomen datum sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri; salus autem est ab omnibus diligenda. — Tertio est venerabile. Apostolus ad Philipp. II: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. Cœlestium, quantum ad angelos et beatos; terrestrium, quantum ad mundanos, qui hoc faciunt ex amore adipiscendæ gloriæ; infernorum, quoad damnatos. — Quarto est inexplicabile, quia a narratione ejus deficiunt omnes linguæ, et ideo explicatur aliquando per creaturas: unde dicitur Lapis ratione firmitatis: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Item dicitur ignis ratione purificationis, quia sicut ignis metalla purificat, ita Deus purificat corda peccatorum. Item lux ratione illuminationis, quia sicut lux illuminat tenebras, ita nomen Dei illuminat tenebras mentis; Psal. XVII: Deus meus, illumina tenebras meas.

306. Adveniat regnum tuum, idest gratia, secundum quam habemus jus ad gloriam. Adveniat regnum tuum, ut justi subjiciantur voluntati tuæ. Adveniat regnum tuum, idest regimen: in cœlo est optimum regimen, ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Adveniat regnum tuum! Oramus ut simus participes regni cœlestis et gloriæ paradisi, quod quidem regnum est valde desiderandum propter summam justitiam quæ in eo est; Isa. VI: Populus tuus omnes justi. Oramus propter mirabilem affluentiam; Isa. LXIV: Oculus non vidit absque te quæ præparasti expectantibus te. Ps. CII: Qui replet in bonis desiderium tuum. Adveniat regnum tuum! Oramus ut non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus.

ARTICULUS IV.

Meditatio imaginaria est primus gradus vitæ contemplativæ, secundum doctrinam Apostolorum, ut testatur D. Dionysius.

307. Doctrina mystica D. Dionysii fuit accepta a sanctis Apostolis, de qua fuerunt edocti a Christo Domino, et in illo tamquam in deposito fuit recondita: præcipue a D. Paulo, cujus discipulus fuit, ut testatur D. Thomas, in II, dist. 10, art. 2, in corpore. Et hæc fuit causa quare principes Ecclesiæ, successores Apostolorum, ut Timotheus, Titus et S. Polycarpus, venerabant Dionysium tamquam magistrum illustratum a divina scientia, et ad illum confluebant ut edocerentur. Hoc patet in responsionibus epistolarum, et ex libris quos scripsit et composuit. D. Thomas, in expositione libri De divinis nominibus, assignat causas obscuritatis ipsius; et sunt quatuor: prima, ut sacra et divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret; secunda, utitur modo loquendi quo utebantur platonici, qui apud modernos est inconsuetus, et tunc erat utilis; tertia, plerumque rationibus efficacibus utitur ad propositum ostendendum, et multoties paucis verbis, vel etiam uno verbo implicat; ultima, multoties utitur quadam multiplicatione verborum, quæ licet superflua videantur, tamen diligenter considerata magnam sententiæ profunditatem continere inveniuntur. Et D. Dionysius in diversis partibus suorum operum fatetur se servasse fidelitatem in doctrina, quæ non fuit ex suo ingenio, sed a sanctis Apostolis, et præcipue a suo magistro D. Paulo. Et iste sanctus in multis locis suorum operum affirmat quod primus gradus vitæ contemplativæ est meditatio discursiva per figuras et similitudines. Et in isto articulo adducentur aliquæ figuræ sacræ Scripturæ, secundum piam expositionem D. Thomæ.

308. Sit prima illa quæ refertur a D. Matthæo cap. XIII: Exiit qui seminat seminare. Qui exiit est Christus, dicit D. Thomas, ab occulto Patris non mutando locum. Exiit a Judæa ad Gentes. Item a profundo sapientiæ ad publicum doctrinæ. Exiit ergo " qui seminat, „ scilicet semen doctrinæ. " Exiit qui seminat seminare. „ Christus a principio exiit ad

seminandum semen suum. Quidam exeunt ad seminandam iniquitatem. Job IV: Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metent eos; sed iste exiit seminare semen suum, scilicet verbum Dei, quod procedit essentialiter. Unde est verbum Patris. Sed videamus de impedimento seminis. Tripliciter enim impeditur, quia tria requiruntur: requiritur enim quod memoria conservetur, secundo quod radicetur per amorem, tertio requiritur sollicitudo. Hæc tria per tria tolluntur: memoria per vanitatem, amor sive charitas per duritiam, sollicitudo per germinationem vitiorum. Unde dicit: " Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam. „ Via patens est omni viatori: sic cor quod cuilibet exponitur cogitationi. Unde quando in corde vano et instabili cadit verbum Dei, cadit secus viam, et subjacet duplici periculo, scilicet quia conculcatur et rapitur a volucribus cœli: sic quando vani recipiunt verbum Dei, conculcatur per vanam cogitationem vel pravam societatem. Quare multum gaudet diabolus quando potest auferre et conculcare semen istud. Habacuch I: Quare respicis contemptores, et taces, impio conculcante justiorem se? Secundum est cordis duritia. Job penult.: Cor ejus obdurabitur quasi lapis, et stringetur quasi malleatoris incus; et hoc opponitur charitati, quia amoris est liquefacere. " Alia ceciderunt in petrosa loca. „ Aliqui enim sunt qui ita habent cor privatum omni amore, quod omni carne carent. Ezech. XXXVI: Auferam a vobis cor lapideum. " Alia ceciderunt in spinas. „ Spinæ autem sunt sollicitudines, iræ, rixæ et hujusmodi. Jerem. IV: Nolite serere super spinas. " Et creverunt spinæ et suffocaverunt ea. „ Et non fuit stultitia seminantis si fieret sermo de terra sensibili, non autem de terra spirituali, de qua loquitur. " Alia ceciderunt in terram bonam et dederunt fructum. „ Terra quæ non secus viam, quæ non petrosa, quæ non spinosa, est terra bona, scilicet cor bonum, et si ibi seminatur, fructum affert. Ps. LXXXIV: Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Sed quem? Aliud (*semen*) centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum: et intelligitur de præmio in cœlo.

309. D. Matthæus in eodem capite proponit aliam parabolam. Simile est regnum cœlorum grano sinapis. D. Thomas: Per granum sinapis doctrina evangelica intelligitur, quia granum istud fervidum est, et venena repellit, et hoc significatur quia

doctrina evangelica per fidem facit fervescere; Matth. XVII: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis. Item excludit errores, unde utilis est ad arguendum, ut habetur II. ad Tim. III. " Quod accipiens homo. „ Homo iste est Christus, qui seminavit illud semen. Vel hoc quilibet homo qui doctrinam evangelicam seminat. " In agro suo, „ idest in corde suo, quando ei præbet assensum. Christus seminavit, quia fidem dedit, in qua salvi sumus. Ephes. II: Quoniam enim salvati estis per fidem, et non ex vobis, Dei enim donum est. Item quilibet qui obedit, seminat in agro, idest in corde. " Quod minimum quidem est omnibus seminibus. „ Doctrina legis evangelicæ modica apparuit, quia prædicabat Deum passum, crucifixum, et hujusmodi. Et quis posset hoc credere? I. ad Cor. I: Verbum crucis; et ideo dicit: " Quod minimum quidem est omnibus seminibus. „ Unde primo minima apparuit: pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est. " Cum autem creverit, „ idest pullulaverit, " majus est omnibus oleribus, „ quia doctrina evangelica magis fructificavit quam doctrina legis, quia doctrina legis non fructificavit nisi inter Judæos. " Et fit arbor, „ quia aliæ doctrinæ sunt olera mollia nihil firmum habentia, quia rationi humanæ subjectæ: sed hæc est arbor firma. Psal. CXVIII: In æternum, Domine, permanet verbum tuum. " Ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus. „ Qui habitant in terris non sunt volucres, sed illi de quibus loquitur Paulus ad Philipp. III: Nostra conversatio in cœlis est; isti veniunt, et meditantur, et quiescunt.

310. Matthæus in eodem capite proponit alias parabolas: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Divus Thomas: Copia doctrinæ evangelicæ est in similitudine thesauri, quia sicut thesaurus est copia divitiarum, sic in doctrina evangelica. Isa. XXXIII: Divitiæ salutis, sapientia et scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus. Iste thesaurus est evangelica doctrina, de qua II. ad Cor. IV: Habemus hunc thesaurum in vasis fictilibus; qui absconditus est in agro hujus mundi, scilicet in oculis immundorum; Matth. XI: Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. Secundum Gregorium dicitur cœleste desiderium. Isa. XXXIII: Timor Domini ipse est thesaurus ejus. Iste est absconditus in agro disciplinæ spiritualis. Se-

cundum Hieronymum thesaurus iste est verbum Dei, de quo ad Coloss. II: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. " Quem qui invenit homo, abscondit. „ Invenitur in omnibus per fidem. Sed oportet quod abscondatur secundum illud Ps. CXVIII: In corde meo abscondi eloquia tua. — Quare autem abscondi debeat, multiplex est ratio. Una quia magis fructificat et proficit, quia magis exardescit: sicut enim ignis conclusus magis calefacit, sic verbum, quando est absconditum. Jerem. XX: Factum est verbum Domini quasi ignis æstuans claususque in ossibus meis. Psal. XXXVIII: Concaluit cor meum, et in meditatione mea exardescit ignis intra se. Item est quod absconditur ob inanem gloriam: si enim fumigat exterius, subjacet periculo. Ideo dicitur, Matth. V: Ora Patrem in abscondito. Item quia sic tutius custoditur: quando enim est in publico tunc invenit qui rapit. Isa. XXXIX: Qui custodit thesauros nuntiis regis Babylonis; et subditur: Ecce venit dies, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt. " Et præ gaudio illius vadit et vendit omnia quæ habet. „ Quando per fidem invenit, præ gaudio vadit, et incipit proficere, et vendit omnia, idest contemnit, ut spiritualia habeat. " Et emit agrum. „ Hoc est, vel bonam societatem sibi acquirit, vel emit sibi otium, quod non habet, scilicet pacem spiritualem. Ad Philipp. III: Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Cantic. VIII: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. — Hic non ponitur materia pro meditatione, quia omnes parabolæ sunt materia sufficiens et pia pro meditatione. — *Adde Append.*, n. 197.

ARTICULUS V.

Quomodo debeat exerceri meditatio figurarum absque detrimento salutis.

311. D. Thomas in III, dist. 33, qu. 2, art. 5, dicit quod discretio, quæ ad prudentiam pertinet, est generatrix, et custos, et moderatrix virtutum. Et hoc sic patet. Virtus enim, ut dicit Tullius, movet in modum naturæ, scilicet per quamdam inclinationem affectus: omnis autem naturæ inclinatio præexigit aliquam cognitionem, quæ et finem præstituat, et in finem in-

clinet, et ea quibus ad finem pervenitur, provideat: hæc enim sine cognitione fieri non possunt. Propter quod etiam a philosophis dicitur opus naturæ esse opus intelligentiæ; alias ea quæ natura fiunt, a casu acciderent. Et per hunc modum oportet quod per rationem, quam perficit prudentia et rectam facit, præstituatur finis aliis virtutibus non solum communis, sed etiam proximus, qui est attingere medium in propria natura; medium autem secundum rationem rectam determinatur, ut in II. Ethic. dicitur. Divus Thomas super illa verba D. Pauli ad Romanos XII: Rationabile obsequium vestrum, dicit sic: Scilicet cum discretione corpora vestra Deo exhibeatis hostiam, vel per martyrium, vel per abstinentiam, vel per quodcumque opus justitiæ. I. Cor. XIV: Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Aliter se habet homo justus ad interiores actus, quibus Deo obsequitur, et aliter ad exteriores. Nam bonum hominis et justitia ejus principaliter in interioribus actibus consistit, quibus scilicet homo credit, et sperat, et diligit. Unde Luc. XVII dicitur: Regnum Dei intra vos est. Non autem principaliter consistit in exterioribus actibus. Unde interiores actus se habent per modum finis, qui secundum se quæritur; exteriores vero actus ad quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea quæ sunt ad finem. In eo autem quod quæritur tamquam finis, nulla mensura adhibetur, sed quanto majus fuerit, tanto melius se habet; in eo autem quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem: sicut medicus sanitatem facit tantam quantam potest; medicinam autem non tantam dat quantam potest, sed quantam videt expedire ad sanitatem consequendam. Sic dicendum est de oratione meditationis per figuras, quæ debet esse talis, ut non noceat saluti; et non tam prolongata, ut debilitet potentias. Et D. Bonaventura adducit multa exempla sui temporis. Et imbecilles et qui laborant aliqua infirmitate, non debent longos discursus facere. Et est consilium D. Bonaventuræ: Qui non potest discurrere aspiret ad amorem.

312. D. Thomas, 2 2, q. 49, a. 8, loquens De cautela, seu cautione, quæ est pars prudentiæ, dicit ad illam pertinere vitare impedimenta bonæ operationis. Et in solutione ad 3 affirmat malorum, quæ homini vitanda occurrunt, quædam esse quæ in pluribus accidere solent; et talia comprehendi ratione possunt:

et contra hæc ordinatur cautio, ut totaliter vitentur, vel ut minus noceant. Quod Apostolus ad Ephes. v, insinuavit: Videte quomodo caute ambuletis. D. Thomas super hunc locum: Cautio est quædam conditio prudentiæ, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum; et hanc cautelam debent omnes habere. Prov. IV: Oculi tui videant recta, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Hoc autem pertinet ad sapientes, et ideo dicit: Non quasi insipientes, qui scilicet nesciunt vitare impedimenta. Psalm. LXXV: Turbati sunt omnes insipientes corde. Sed ut sapientes, Eccle. II: Sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat. Et ideo magistri spirituales et experti in vita contemplativa affirmant aliquas circumstantias esse observandas in exercitio meditationis activæ. Prima, quod actus non sint nimis frequentes, nec prolongati, quia assiduus labor debilitat naturam; et hoc est intelligendum non solum de actibus apprehensivis, sed etiam de affectivis, cum violentia præsertim appetitus sensitivi, qui sunt in corpore et fiunt cum transmutatione corporali, et applicando se ad orandum cum actibus appetitus rationalis, qui est voluntas. Secunda circumstantia, quod isti actus exerceantur cum desiderio: desideria enim sunt voces quibus loquimur Deo, secundum illud Prophetæ regis: Desiderium cordis mei audiet auris tua. Tertia circumstantia, quod devotio non excitetur viribus corporalibus, sed humilitate et suavitate; et hoc debet observari in actibus activis ne noceant saluti.

313. D. Thomas, 2 2, q. 49, art. 7, quærit utrum circumspectio possit esse pars prudentiæ, et respondet affirmative, et probat in corpore. Ad prudentiam pertinet recte ordinare aliquid in finem. Quod quidem recte non fit, nisi et finis bonus sit, et id quod ordinatur in finem sit etiam bonum et conveniens fini. Sed quia prudentia, sicut dictum est, est circa singularia operabilia, in quibus multa concurrunt, contingit aliquid secundum se consideratum esse bonum et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem. Sicut ostendere signa amoris alicui secundum se consideratum videtur esse conveniens ad alliciendum ejus animum ad amorem; sed si contingat in animo illius superbia, vel suspicio adulationis, non erit hoc conveniens ad finem; et ideo necessaria est circumspectio ad prudentiam, ut scilicet homo id quod ordinatur in finem, comparet

etiam cum his quæ circumstant. Ex qua doctrina bene intelligitur id quod dicit Gerson doctor Parisiensis, qui comparat meditationem vino, qui medicinalis est et salutiferus homini: sed tamen usus ipsius sine circumspectione et moderatione provocat ad furorem, et multoties infert mortem. Debemus esse circumspecti in meditatione, quia multoties affert delirium. Omnis virtus quæ utitur organis corporeis sine circumspectione et modo, infirmat illa si est cum operatione continua, ut docet D. Thomas, De veritate, qu. 24, art. 10 ad 1. Meditatio est utilis ad contemplationem et periculosa propter indiscretionem. Contingit aliquando studium meditationis converti, dilabi, vel in morbum melancholiæ, vel passionis, propter immoderationem. Vinum in jucunditatem et hominis salutem conditum est; videmus tamen ex abusu potantium, quod potus vini alias salubris causat ægritudinem. Ita in meditatione debet esse circumspectio.

MATERIA MEDITATIONIS.

314. Tertia petitio: Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. D. Thomas: Tunc enim est rectum cor hominis quando concordat cum voluntate divina. Hoc Christus fecit, Joan. VI: Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Fiat voluntas tua in nobis qui sumus in terra, sicut in sanctis qui sunt in cœlo. Fiat voluntas tua in cœlo et in terra, idest fiat in peccatoribus sicut in cœlo, idest in justis. Fiat voluntas tua, idest in carne nostra, sicut fit in cœlo, idest in spiritu nostro per justitiam. — Panem nostrum da nobis hodie, idest necessaria ad præsentem vitam. Panem nostrum, non alienum. Panem nostrum quotidianum unius diei. Panem nostrum da nobis, ut sciamus quod omnia nostra a Deo sunt. Panem nostrum da nobis hodie: fac divitias nobis utiles. Panem nostrum: da ea quæ nobis necessaria sunt ad præsens tempus. Petimus etiam panem nostrum sacramentalem, qui quotidie in Ecclesia conficitur. Panem nostrum: detur nobis panis verbi vitæ. — Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos, etc. D. Thomas: Dimitte nobis, quia omnes peccatores sumus, et speramus veniam; et si aliquis non dimittat ex corde, videtur quod non possit dicere: sicut et nos dimittimus; sed potest, quia non orat in persona propria, sed Ecclesiæ. — Et ne nos

inducas in tentationem. D. Thomas: Ne inducamur in tentationem per consensum. — Sed libera nos a malo. Petimus præservationem a malis. D. Thomas: A peccato, ab infirmitatibus, a tribulationibus malis, non ab aliis.

ARTICULUS VI.

Ex discursu imaginario nos debemus transferre ad ponderationem rei meditatæ.

315. In repræsentatione humana duo inveniuntur: et repræsentatio rerum per imagines et species; et judicium et ponderatio rei repræsentatæ: et hoc est principale et perfectivum cognitionis. Hæc doctrina est D. Thomæ in infinitis propemodum locis, et ideo non citantur. Hoc tamen est discrimen ex D. Thoma, 2 2, q. 83, art. 1, inter speculativum et practicum, quod ratio speculativa est apprehensiva solum rerum: ratio vero practica non solum est apprehensiva, sed etiam causativa. Et D. Thomas, q. 3 De veritate, art. 3: Intellectus practicus, sicut dicitur III De anima, differt ab speculativo ex fine: finis enim speculativi est veritas absolute, sed practici est operatio. Aliqua vero cognitio practica dicitur in ordine ad opus, quod contingit dupliciter: quandoque in actu, quando scilicet ad aliquod opus actu ordinatur, sicut artifex præconcepta forma, proponit illam in materiam inducere, et tunc est actu practica cognitio, et cognitionis forma; quandoque vero est quidem ordinabilis cognitio ad actum, non tamen actu ordinatur, sicut cum artifex excogitat formam artificii, et scit insuper modum operandi, non tamen operari intendit; et certum est quod est practica habitu, vel virtute, non actu. Et, ut dicit D. Thomas, p. p., qu. 79, art. 11 ad 1, intellectus practicus est motivus, non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum, quod convenit ei secundum modum suæ apprehensionis. Et sic ad rationem speculativam solum pertinet inquirere rationes quæ debent deservire meditationi: ad practicam vero perficere cognitionem cum judicio et pondere ad movendam voluntatem. Et, ut dicit D. Thomas, II sent., dist. 24, q. 2, a. 3, ut meditatio possit movere voluntatem, quæ est finis ad quem oratio

ordinatur, est necessarium quod discursus inquisitionis cesset, et quietem quamdam habeat et uniformitatem; et cessante ratione speculativa, ratio practica communicet animæ substantiam speculationis: et hoc fit quando cessat discursus, et intellectus est in quiete et uniformitate notitiæ acquisitæ per discursum, ut fiat practicum judicium et ponderatio. Est etiam necessarium ut meditatio sit oratio.

316. Ut clarior reddatur hæc doctrina, advertendum est illud quod docet D. Thomas, 1 2, q. 102, art. 6 ad 1: Figuralis autem ratio ruminati significat meditationem Scripturarum et sanum intellectum earum; et sic meditatio sumpta pro ponderatione, nihil aliud est quam ruminatio. Et, ut dicit Ugo de S. Victore, lib. III Eruditionis, cap. 11, meditatio est cogitatio frequens cum consilio, qua causam et originem, modumque et utilitatem cujuscumque rei prudenter investigat. Et infra: Delectatur enim profunda quæque penetrare, nihil anceps, nihilque obscurum relinquere. Et auctor Imperfecti in Matthæum, hom. XLI: Cum audimus aure verbum (scilicet Dei), necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, idest quasi tractatibus molere, et videre quid est hoc quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus: ita et verbum quod audimus, nisi masticaverimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. D. Augustinus in Psal. CXLI dicit: Sapiens ruminat, stultus non ruminat. Hoc est aperte et latine, qui est sapiens cogitat ea quæ audit, idest ponderat; stultus autem audita oblivioni tradit. Et Origenes in cap. VII Levitici: Ille dicitur ruminare qui operam dat scientiæ, et in lege Domini meditatur die ac nocte. D. Gregorius in Cantica, c. VII: Idcirco in lege scribitur quia animal quod non ruminat immundum habetur, quia quisquis bona quæ audit, sive legit, non recogitat (quod quidem est ponderare), vacans a sanctis cogitationibus, immundas congregat.

317. Duplex datur ponderatio, ut ad præsens attinet institutum; una quæ fit circa meditationem, et ista fit circa res repræsentatas in imaginabilibus sensibilibus, et virtute luminis naturalis, et in ista ponderatione se habet intellectus active. Alia est ponderatio quæ pertinet ad contemplationem,

quæ ut plurimum exercetur per donum sapientiæ, de qua disputat D. Thomas in III, dist. 35, qu. 2, art. 1. Quæ sapientia importat eminentiam quamdam sufficientem in cognoscendo, et ponderando, et judicando, et dicit quamdam affinitatem ad divina, et exercetur circa ea quæ proponuntur per fidem: et ad istam ponderationem se habet intellectus veluti passive quia patitur divina, sicut refert D. Thomas loco nuper citato ex divo Dionysio de Hierotheo, qui patiendo divina didicit divina. Et in hoc sensu loquitur Apostolus, I. Cor. II: Spiritualis judicat omnia. Et Joan. II: Unctio docebit vos de omnibus. Legatur art. 13, q. 12, p. p., ubi definit D. Thomas quod per lumen gratuitum, ad cujus receptionem se habet intellectus passive, habetur perfectior cognitio, non solum quantum ad species intelligibiles, sed etiam quantum ad phantasmata.

318. Postquam anima fecit judicium de rebus meditatis, debet disponi ut lux divina imprimat melius judicium, quia, ut dicit D. Dionysius, cap. VII De divinis nominibus, et refert D. Thomas in III, dist. 26, q. 1, art. 6, divina Sapientia conjungit fines primorum principiis secundorum, quia omnis natura inferior in sui supremo attingit ad infimum naturæ superioris, secundum quod participat aliquid de natura superioris. Et sic sicut incipientes transeunt a discursu ad ponderationem quietam, ita perficientes a ponderatione quieta ad puritatem intellectualem; et bene dicit Richardus quod bona meditatio debet habere pro fine contemplationem et illustrationem divinam. D. Thomas explicans illud Psal. XXXV: Et in lumine tuo videbimus lumen: Istud lumen participat creatura rationalis ex refulgentia divinæ claritatis in anima, propter quam claritatem homo est factus ad imaginem Dei. Psalm. IV: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Secundo est lumen gratiæ; ad Ephes. V: Exsurge, qui dormis, et illuminabit te Christus. Tertium est lumen gloriæ; Isa. LX: Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. Vel in lumine, idest in Christo, qui est lumen de lumine. Et in lumine tuo videbimus lumen. Hoc lumen vel est veritas creata, idest Christus, secundum quod homo; vel est veritas increata, qua aliqua vera cognoscimus. Lumen enim spirituale veritas est, quia sicut per lumen aliquid cognoscitur in quantum lucidum, ita cognoscitur in quantum est verum.

MATERIA MEDITATIONIS.

319. Frater Joannes Leonardus a Letere, vir sanctitate insignis ordinis Prædicatorum, hoc modo ponderabat passionem Christi: Liber scriptus intus et foris. Intus, summa humilitas, summa patientia, summa charitas. — Foris, summa paupertas, summus despectus, summus dolor. — Opus, modus, causa. Opus: Patientia, sapientia, bonitas Dei. Modus: Quis, quæ, pro quo, quomodo, a quibus, propter quos. Causa: Consideratio, admiratio, interrogatio, confessio, gratiarum actio, petitio, invocatio, resolutio, quies.

ARTICULUS VII.

Mysteria humanitatis Christi sunt principalis materia circa quam debet versari meditatio.

320. Angelicus præceptor D. Thomas, 2 2, q. 83, art. 3 ad 2, dicit quod ea quæ sunt divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus; sed ex debilitate mentis humanæ est quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota; inter quæ præcipuum est humanitas Christi, secundum quod in præfatione dicitur: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur; et ideo ea quæ pertinent ad Christi humanitatem per modum cujusdam manuductionis maxime devotionem excitant, cum tamen devotio principaliter circa ea quæ sunt divinitatis consistat.

321. D. Thomas, 3 p., q. 27, art. 5, in corp., dicit quod quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii: unde Dionysius dicit cap. IV Cœlest. Hierarch. quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Christus autem est principium gratiæ; secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter; unde et Joan. I dicitur: Gratia et veritas per Jesum

Christum facta est. Beata virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere; ergo qui magis accedit ad primum principium nostræ salutis, quæ est passio Christi, per meditationem, recipit majorem fructum, majorem perfectionem et majorem abundantiam bonorum spiritualium. Eodem principio utitur D. Thomas ad Rom. VIII, lect. 5 ad illa verba: Nos autem primitias spiritus habentes; scilicet Apostoli habentes primitias Spiritus sancti, quia scilicet Spiritum sanctum et tempore prius, et cæteris abundantius Apostoli habuerunt. Ex quo patet quod Apostoli sunt omnibus sanctis quacumque prærogativa præfulgeant, sive virginitatis, sive doctrinæ, sive martyrii præferendi, tamquam abundantius Spiritum sanctum habentes.

322. D. Thomas explicans caput XII epistolæ ad Hebræos, super illa verba: Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum; qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. " Aspicientes. „ Ponit exemplum Christi: si ergo vis salvari, debes intueri exemplar illud, unde dicit: " Aspicientes in Jesum „ passum. Hoc significatum fuit per serpentem æneum elevatum pro signo, in quem aspicientes curabantur; Num. XXI. Joan. III: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Si ergo vis salvari, respice in faciem Christi tui. Ipse est auctor fidei, primo, eam docendo verbo; Joan. I: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrabit. Secundo, eam in corde imprimendo; Philipp. I: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in ipsum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. — In passione Christi tria consideranda sunt: primo, quid contempsit. " Qui proposito sibi gaudio „ istud autem gaudium fuit gaudium terrenum quo a turba, quam paverat, quærebatur, ut facerent eum regem: et ipse contempsit fugiendo in montem; Joan. VI. Vel " proposito sibi gaudio „ æternæ vitæ pro præmio. Secundo, quid sustinuit. " Sustinuit crucem. „ Philipp. II: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. In quo ostenditur et cruciatus,

quia ibi affixus fuit manibus et pedibus; et mortis vilitas et ignominia, quia hoc erat ignominiosum genus mortis; Sap. II: Morte turpissima condemnemus eum. Tertio, quid promeruit: sessionem ad dexteram Patris; unde dicit: " Atque in dextera sedis Dei sedet. „ Exaltatio enim humanitatis Christi fuit præmium passionis ejus. Hebr. I: Sedet ad dexteram majestatis in excelsis. — Deinde cum dicit: " Recogitate eum, „ ostendit quis sit fructus hujus considerationis. Et primo monet ad diligentem exempli considerationem. Dicit ergo ita dictum: " aspicientes; „ nec hoc solum, sed etiam: " Recogitate eum, „ idest iterum cogitate. Prov. III: In omnibus viis tuis cogita illum. Et hujus ratio est quia in quacumque tribulatione invenitur ejus remedium in cruce. Ibi enim est obedientia ad Deum; Philipp. II: Humiliavit semetipsum factus obediens. Item pietas affectus ad parentes, unde ibi gessit curam de matre sua. Item charitas ad proximum, unde ibi pro transgressoribus oravit; Luc. XXIII: Pater, dimitte illis. Item fuit ibi patientia in adversis; Psal. XXXVIII: Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Item in omnibus finalis perseverantia, unde usque ad mortem perseveravit; Luc. XXIII: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Unde in cruce invenitur exemplum omnis virtutis. — Crux non solum fuit patibulum patientis, sed etiam cathedra docentis. " Recogitate eum qui sustinuit. „ Sed quid cogitandum? Tria, scilicet genus passionis, unde sustinuit contradictionem, idest afflictionem in verbis. Unde dicebant: Vah qui destruis templum Dei! Ad Rom. XX: Expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Et contradictionem talem, idest tam gravem et ignominiosam. Thren. I: O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. Secundo, a quibus passus est, quia a peccatoribus, pro quibus patiebatur; I. Petr. III: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Tertio, persona patientis; Isa. XLVI: Ego feci, et ego feram. — Utilitatem ostendit cum dicit: " Ut non fatigemini. „ Consideratio passionis Christi facit nos non deficere. Gregorius: Si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. Unde non deficiatis, tamquam fatigati animo a veritate fidei. Isa. XL: Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

323. D. Thomas, 3 p., quæst. 46, art. 10, solutione ad 1, dicit: Christus convenientissime in Jerusalem passus est. Primo, quia Jerusalem erat locus a Deo electus ad sacrificia sibi offerenda. Quæ quidem figuralia sacrificia figurabant Christi passionem, quod est verum sacrificium, secundum illud Ephes. v: Tradidit semetipsum hostiam et oblationem in odorem suavitatis. Unde Beda dicit in quadam homilia quod appropinquante hora passionis, Dominus appropinquare voluit loco passionis, scilicet Jerusalem, quo pervenit ante sex dies Paschæ; sicut agnus paschalis ante sex dies Paschæ, idest decima luna, secundum præceptum legis ad locum immolationis ducebatur. Secundo, quia virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit, idest in Jerusalem. Unde dicitur Psal. LXXIII: Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, idest in Jerusalem, quæ dicitur esse umbilicus terræ. Tertio, quia hoc maxime conveniebat humilitati ejus, ut scilicet sicut turpissimum genus mortis elegit, ita etiam ad ejus humilitatem pertinuit ut in loco tam celebri confusionem pati non recusasset. Unde Leo papa dicit in quodam sermone Epiphaniæ: Qui servi susceperat formam, Bethlehem elegit nativitati, Jerusalem passioni. Quarto, ut ostenderet a principibus populi Judæorum exortam esse iniquitatem occidentium ipsum, et ideo in Jerusalem, ubi principes morabantur, voluit pati. Unde dicitur Actor. IV: Convenerunt in ista civitate adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pilatus, cum gentibus et populo Israel.

324. In solutione ad secundum dicit quod Christus non in templo, aut in civitate, sed extra portam passus est, propter tria. Primo quidem, ut veritas responderet figuræ: nam vitulus et hircus, qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, ut præcipitur Levit. XVI. Et dicitur ad Hebr. XIII: Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod et Jesus, ut sanctificaret populum suum, extra portam passus est. Secundo, ut per hoc daret nobis exemplum exeundi a mundana conversatione; unde ibidem subditur: Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Tertio, ut Chrysostomus in

sermone De passione, dicit: Noluit Dominus pati sub tecto, non in templo judaico, ne Judæi subtraherent sacrificium salutare, ne putares pro illa tantum plebe oblatum. Et ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio.

MATERIA MEDITATIONIS.

325. Sanctus præceptor D. Thomas, 3 p., q. 46, art. 4 in corpore: Convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis: primo, propter exemplum virtutis. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere. Voluit Christus pati in cruce ut ostenderet homini nullum genus mortis esse metuendum. Secundo, quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit, et ideo conveniens fuit quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato se ipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat; Ps. LXVIII: Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Tertio, ut aeris natura mundaretur, et ipsa terra simile beneficium sentiret. Quarto, ut in alto moriens ascensum nobis pararet ad cœlum; Joan. XII: Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Quinto, quia hoc competit universali salvationi totius mundi; unde dicit Gregorius Nyssenus quod figura crucis a medio tractu in quatuor extrema partita significat virtutem et providentiam ejus qui in ea pependit, ubique diffusam. Sexto, quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur. Unde Augustinus dicit in libro De gratia novi et veteris Testamenti: Non frustra tale genus mortis elegit ut latitudinis, et altitudinis, et longitudinis, et profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, magister existeret.

ARTICULUS VIII.

Frequens meditatio beneficiorum quæ nobis contulit Deus per humanitatem suam, est via recta et secura ad perfectionem.

326. Ex doctrina D. Thomæ in nobis debet esse frequens meditatio passionis, quia per illam causavit nostram salutem

per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum sacrificii, per modum redemptionis et per modum efficientiæ. Primum probat 3 p., q. 48, art. 1, in argumento: Sed contra. Quia super illud ad Philipp. II: Propter quod Deus exaltavit illum, etc., dicit Augustinus: Humilitas passionis, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium; sed ipse clarificatus est non solum in se ipso, sed etiam in suis fidelibus, ut ipse dicit Joan. XVII: ergo videtur quod ipse meruerit salutem suorum fidelium. — In corpore hoc probat, quia Christo data est gratia, non solum sicut singulari personæ, sed inquantum est caput Ecclesiæ, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra. Et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem quod quicumque in gratia constitutus propter justitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem, secundum illud Matth. V: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Unde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.

327. Secundum probat D. Thomas, 3 p., q. 48, art. 2. Primo, in argumento: Sed contra, ex illo Psal. LXVIII: Quæ non rapui, tunc exsolvebam; non autem exsolvit qui perfecte non satisfacit: ergo videtur quod Christus patiendo perfecte satisfecerit pro peccatis nostris. — In corpore ita probat: Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod æque vel magis diligit quam oderit offensam. Christus autem ex charitate et obedientia patiendo, majus Deo aliquid exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. Primo quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundo, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei et hominis. Tertio, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis, secundum illud I. Joan. II: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

328. Tertium probat art. 3 ejusdem quæstionis citatæ. Primo, in argumento: Sed contra, ex illo quod Apostolus dicit ad Ephes. V: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et ho-

stiam Deo in odorem suavitatis. — In corpore: Sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum ad eum placandum; et inde est quod Augustinus dicit in x De civitate Dei: Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut charitate inhæreamus Deo. Relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter boni esse possimus. Christus autem, ut ibidem subditur, seipsum obtulit in passione pro nobis, et hoc ipsum opus quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate proveniens. Unde manifestum est quod passio Christi fuerit verum sacrificium. Et, sicut ipse postea subdit in eodem libro, hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum. Et cum quatuor considerentur in omni sacrificio, scilicet cui offertur, a quo offertur, quid offertur, pro quibus offertur, idem ipse unus verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unus cum illo maneret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebat.

329. Quartum probat art. 4 quæstionis citatæ, et primo in argumento: Sed contra, ex illo I. Petri: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati et incontaminati Christi. Et ad Galat. III dicitur: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Dicitur autem pro nobis factus maledictum, in quantum pro nobis passus est in ligno, ut jam dictum est; ergo per passionem suam nos redemit. — In corpore probat: Homo per peccatum dupliciter obligatus erat, primo quidem servitute peccati, quia qui facit peccatum servus est peccati, ut dicitur Joan. VIII, et II. Petri II: A quo quis superatus est, hujus et servus est. Quia igitur diabolus hominem superavit inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli subditus erat. Secundo, quantum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundum Dei justitiam. Et hic etiam est servitus quædam; ad servitutem enim pertinet quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso, ut vult. Quia igitur passio Christi fuit sufficiens, et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ generis humani, ejus passio fuit quasi quoddam pretium per quod liberati sumus ab utraque obliga-

tione. Nam ipsa satisfactio, qua quis satisfacit sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo se ipsum vel alium redimit a peccato et a pœna, secundum illud Dan. IV: Peccata tua eleemosynis redime. Christus autem satisfecit non quidem pecuniam dando, aut aliquid hujusmodi, sed dando id quod fuit maximum, scilicet seipsum pro nobis. Et ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

330. Ultimum probat art. 6 quæstionis citatæ. Primo, in argumento: Sed contra, ex illo quod dicitur I. Cor. I, quod verbum crucis, his qui salvi fiunt est virtus Dei; sed virtus Dei efficienter operatur nostram salutem: ergo passio Christi in cruce efficienter operata est nostram salutem. — In corpore: Duplex est efficiens, principale et instrumentale; efficiens principale humanæ salutis est Deus. Quia vero humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ideo ex consequenti omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam. Et secundum hoc passio Christi efficienter causat salutem humanam.

331. Ex his bene colligitur quomodo per frequentem meditationem beneficiorum quæ nobis contulit Deus per humanitatem suam, nimirum causare nostram salutem per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum sacrificii, per modum redemptionis et per modum efficientiæ, est via recta et secura ad perfectionem. Quia, ut dicit D. Thomas, p. p., q. 77, art. 2 in corpore, gradus perfectionis sunt quinque, solum tertius facit ad propositum: quia supremum in entibus est quod habet perfectum bonum sine operatione, ut Deus. Secundum est quod habet perfectum bonum per unum vel paucos motus, ut angelus. Tertium est quod acquirit perfectum bonum per multas operationes, ut homo; ergo per meditationem beneficiorum, quæ nobis contulit Deus, per humanitatem suam, tamquam per multas operationes et meditationes potest consequi gratiam, et universalem beatitudinem, et multas perfectiones vitæ unitivæ.

332. Homo in virtute corporis Christi assimilatur Deo in tribus. Ita D. Thomas, Opusc. LVIII, cap. XXV. Scilicet in interiori cordis bonitate; II. Petri I: Christus propria gloria sua et virtute maxima et pretiosa promissa nobis donavit, ut per hæc efficiamur consortes divinæ naturæ. Maxima promissa, idest seipsum. Unde: Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem

nostrum, daturum se nobis; ut efficiamur consortes divinæ naturæ, idest divinæ bonitatis, quia natura Dei bonitas est. Ambrosius: Quia Dominus Jesus consors scilicet est divinitatis, et corporis, et tu qui accipis carnem ejus, divinæ substantiæ in illo participas alimento, idest vere bonus efficieris ab eo. Secundo, in exterioris operis bonitate; Ezech. XII: Sumam de medulla cedri sublimis, et de vertice ramorum ejus, et plantabo in montem excelsum, et faciet fructum. Medulla cedri sublimis est æterna sapientia Dei, alti rami sunt Patres sancti, vertex ramorum est beata Virgo, pars de vertice caro Christi sumpta de Virgine. Surculus igitur sumptus de medulla et vertice est corpus Christi plenum divinitate. Iste plantatus in montem excelsum, idest in cor justi in cœlum elevatum, facit similem Christo, boni operis fructum. Tertio in superiori cœlestis regni hæreditate; Joan. I: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; ergo et hæredes; ad Rom. VIII: Si filii, et hæredes, cohæredes autem Christi. I. Petr. II: Benedictus Deus qui regeneravit nos, idest de filiis diaboli filios Dei fecit, in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in cœlis.

MATERIA MEDITATIONIS.

333. D. Thomas, 3 p., q. 46, art. 11 quærit utrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi. Et probat in argumento: Sed contra, convenientiam ex illo Isaiæ LIII: Et cum sceleratis reputatus est. — In corpore: Christus inter latrones crucifixus est alia quidem ratione quantum ad intentionem Judæorum, alia vero quantum ad Dei ordinationem. Quantum enim ad intentionem Judæorum, duos latrones utrinque crucifixerunt, sicut dicit Chrysostomus, ut eorum suspicionis fieret particeps: sed non ita evenit. Quantum vero ad Dei ordinationem, Christus cum latronibus crucifixus est, quia, ut Hieronymus dicit super Matthæum, sicut pro nobis maledictum crucis factus est, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur. Secundo, ut dicit Leo papa in sermone De passione, duo latrones, unus ad dexteram et alius ad sinistram, crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in judicio ipsius omnium hominum facienda est discretio. Et Augustinus dicit super

Joannem: Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit; in medio enim judice constituto, unus qui credidit liberatus, alius qui insultavit damnatus est: jam significabat quid facturus esset de vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios vero ad sinistram. Tertio, secundum Hilarium, duo latrones lævæ ac dexteræ affiguntur omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diversitatem fidelium ac infidelium fit omnium secundum dexteram sinistramque divisio, unus ex duobus ad dexteram ejus situs fidei justificatione salvatur. Quarto, quia, ut Beda dicit super Matthæum, latrones qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos qui sub fide et confessione Christi, vel agonem martyrii, vel quælibet arctioris disciplinæ instituta subeunt; sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri latronis fide designantur; qui vero humanæ laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur et actus.

ARTICULUS IX.

Meditatio debet ordinari ad mortificationem passionum et ad imitationem virtutum Christi Domini.

334. D. Thomas, in III, dist. 35, q. 1, art. 3, quæstiunc. 3, dicit: Vita activa est dispositio ad contemplativam. Unde Isidorus, in lib. De summo bono: Qui prius in vita activa proficit, bene ad contemplationem conscendit. Et ideo quamdiu homo non pervenit ad perfectionem in vita activa, non potest in eo esse contemplativa, nisi secundum quamdam inchoationem imperfectam; tunc enim difficultatem homo patitur in actibus virtutum moralium, et oportet quod tota sollicitudine ad ipsas intendat, unde retrahitur a studio contemplationis; sed quando jam vita activa perfecta est, tunc operationes virtutum moralium in promptu habet, ut eis non impeditus libere contemplationi vacet; tamen secundum quod homo est magis vel minus perfectus in vita activa, circa plura vel pauciora occupari potest activæ vitæ simul cum contemplativa.

335. D. Thomas, q. 26 De veritate, art. 7, loquens de passionibus, dicit in corpore: Passiones animæ in duplici ordine se

possunt habere ad voluntatem vel ut præcedentes, vel ut consequentes: ut præcedentes quidem, in quantum passiones impellunt voluntatem ad aliquid volendum; ut consequentes vero, prout ex ipsa vehementia voluntatis per quamdam redundantiam commovetur inferior appetitus ad eas secundum has passiones, vel etiam in quantum ipsa voluntas has passiones procurat sponte et excitat. Secundum igitur quod sunt præcedentes voluntatem, sic diminuunt de ratione laudis, quia laudabilis est actus voluntatis secundum quod est per rationem ordinatus in bonum secundum debitam mensuram et modum; et hoc facit meditatio. Qui quidem modus et mensura non servatur nisi cum actio ex discretione fit, quod ut in plurimum facit meditatio: quæ discretio non servatur, cum homo ex impetu passionis ad aliquid volendum, etiam si sit bonum, provocatur. Secundum vero quod consequuntur ad voluntatem, sic non diminuunt laudem actus vel bonitatem, quia erunt moderatæ secundum judicium rationis, ex quo voluntas sequitur; sed magis addunt ad bonitatem actus duplici ratione: primo, per modum signi, quia passio ipsa consequens in inferiori appetitu est signum quod sit motus voluntatis intensus: non enim potest esse in natura passibili, quod voluntas ad aliquid fortiter moveatur, quin sequatur aliqua passio in inferiori parte; secundo, per modum adjutorii, quia quando voluntas judicio rationis aliquid eligit, promptius et facilius id agit, si cum hoc passio in inferiori parte excitetur, eo quod appetitiva inferior est propinqua ad corporis motum. Unde dicit Augustinus, IX De civitate Dei: Servit autem motus misericordiæ rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur. De moderatione et mortificatione passionum plura dicemus, quando de ipsis passionibus in particulari disputabimus.

336. Per meditationem excitamur ad imitationem virtutum Christi Domini, præcipue humilitatis, quæ virtus convenit Christo, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 161, art. 1 ad 1, secundum humanitatem; quia hujus solummodo virtutis in ipso existentis imitandum proponit exemplum dicens, Matth. XI: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Et merito præcipue humilitatis suæ mentionem facit, quia in tota ejus vita maxime præ cæteris

virtutibus reluxit. Unde dicit Augustinus, in libro De vera religione: Tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit; sed præcipue humilitatem suam imitandam proposuit. Et certe si Christum Dominum attente per totum vitæ discursum cum sancto Basilio meditamur, profundissimam in singulis ejus actibus, gestibus et statibus humilitatem intueri licebit. Incarnationi suæ pauperem elegit matrem, pauper nativitati stabulum, humile quieti præsepium, humiles operiendæ nuditati pannos; voluit circumcidi, ac si esset peccator; fugit in Ægyptum quasi timidus; inter publicanos et peccatores a Joanne baptizatur; dum in regiam dignitatem quærebatur, se abscondit; dum ab hominibus et dæmonibus laudabatur, eos silere jubebat; et ipse silet humiliter, dum ab aliis vituperatur; et sub finem vitæ discipulorum pedes lavit, exemplum humilitatis relinquens, quam nos imitari debemus.

337. D. Thomas, 2 2, qu. 161, art. 6, ponit duodecim gradus humilitatis, secundum beatum Benedictum; sed secundum Anselmum tantum sunt septem, scilicet contemptibilem se esse cognoscere, de hoc dolere, hoc confiteri, hoc persuadere, scilicet ut hoc velit credi; ut patienter sustineat hoc dici, ut patiatur contemptibiliter se tractari, ut hoc amet. Et secundum Glossam, dicit idem D. Thomas, sunt tres gradus, scilicet subdere se majori, et non præferre se æquali: qui est sufficiens; subdere se æquali, nec præferre se minori: et hic dicitur abundans; et subesse minori: in quo est omnis justitia.

338. O meditatio sancta, quomodo excitas ad imitationem virtutum Christi! (*Ille*) enim (*imitabitur*) qui meditatur illud quod dicit Christus, Jo. XIII: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis; et iterum, I. Pet. II: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; Paulus quoque: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Aspiciendus est inchoator fidei, qui semina fidei et omnis virtutis in nobis jecit; et consummator ejusdem fidei, qui quod incœpit perfecit, Christus Jesus: ut sicut ipse propter propositum sibi gaudium redemptionis omnium sustinuit crucem, et cruciatus mortemque contempsit; ita et

nos propter gaudium æternum quod speramus, imo et propter gaudium placendi Deo, quem unice amamus, ad bona opera præstanda, et ad labores et pressuras sustinenda festinemus.

339. Per meditationem excitamur ad imitandam paupertatem Christi, qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est; et tam egenus, ut ipsemet dixerit: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Et ita D. Thomas, 3 p., q. 40, art. 3, dicit quod Christus docuit in hoc mundo pauperem vitam ducere. Primo quidem quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venisse se dicit, Marc. I: Eamus in proximos vicos et civitates, ut ibi prædicem: ad hoc enim veni. Secundo, quia sicut mortem corporalem assumpsit, ut nobis vitam largiretur spiritualem; ita corporalem paupertatem sustinuit, ut nobis divitias spirituales largiretur. Tertio, ne si divitias haberet, cupiditati ejus prædicatio adscriberetur. Quarto, ut tanto major virtus divinitatis ejus ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior. Et D. Thomas explicans illud Isaiæ XLVIII: Elegi te in camino paupertatis, dicit: Paupertas confert multa. Primo, peccatorum recognitionem. Secundo, virtutum conservationem; Eccle. X: Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum. Tertio, cordis quietem; Tob. V: Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc quod videbamus filium nostrum. Quarto, desiderii impletionem; Psalm. IX: Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Quinto, divinæ dulcedinis participationem; Psal. LXIII: Parasti in dulcedine pauperi Deus. Sexto, exaltationem; II. Reg. II: Suscitans de pulvere egenum. Septimo, cœlestem hæreditatem; Matth. V: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

MATERIA MEDITATIONIS.

340. D. Thomas subtiliter et devote explicavit illa verba Pauli ad Philipp., cap. II, lect. 2: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc. " Hoc sentite, „ idest experimento tenete, quod fuit in Christo Jesu, et quinque sensibus sentite. Primo, videte ejus claritatem, ut ei conformemur illuminati; Isa. XXXIII: Regem in decore suo

videbunt; II. Cor. III: Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes. Secundo, audite ejus sapientiam, ut beatificemur; III. Reg. x: Beati viri tui, et beati servi tui, hi qui stant coram te, et audiunt sapientiam tuam; Psal. XVII: In auditu auris obedivit mihi. Tertio, odorate gratias suæ mansuetudinis, ut ad eum curramus; Cantic. I: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Quarto, gustate dulcedinem ejus pietatis, ut in Deo semper dilecti simus; Psal. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Quinto, tangite ejus virtutem, ut salvemur; Matth. IX: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus salva ero. " Qui cum in forma Dei esset. „ Proponit exemplum Christi; et primo majestatem, ut magis humilitas commendetur. Est verus Deus, quia est Filius Dei, verbum et imago; Joan. ult.: Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo. " Non rapinam arbitratus est, „ scilicet se " esse æqualem Deo, „ quia est in forma Dei. " Sed semetipsum exinanivit, „ quantum ad mysterium incarnationis et passionis. Pulchre dicit: " Exinanivit. „ Inane enim opponitur pleno. Natura autem divina satis plena est, quia ibi est omnis bonitatis perfectio; Exod. XXXIII: Ostendam tibi omne bonum. Natura autem humana non est plena, sed in potentia ad plenitudinem; est enim natura humana inanis. Dicit ergo " exinanivit, „ quia naturam humanam assumpsit. " Humiliavit semetipsum, „ quantum ad passionem et modum humilitatis factus obediens. Modus humiliationis est obedientia, quia proprium superborum est sequi propriam voluntatem. Unde volens ostendere perfectionem humilitatis, dicit " quod factus est obediens. „ Motus voluntatis ad duo tendit, ad vitam et ad honorem; sed Christus non recusat mortem, et non fugit ignominiam. " Mortem autem crucis. „

ARTICULUS X.

Lux quæ deservit meditationi naturali, ut perfecta sit, debet illustrari a supernaturali luce.

341. Sanctus præceptor D. Thomas, 1 2, q. 63, art. 3 in corpore, affirmat: Effectus suis causis et principiis oportet esse proportionatos, et omnes virtutes tam intellectuales quam morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam

naturalibus principiis, quia naturales sunt. Hoc idem affirmat 2 2, q. 171, art. 2 in corpore: Oportet ut manifestatio proportionetur lumini per quod fit, sicut effectus proportionatur suæ causæ. Idem repetit in I, dist. 3, q. 4, art. 2, in corpore. Effectus proprius et immediatus oportet quod proportionetur suæ causæ. Si meditatio exercetur solo lumine naturali, solum faciet effectus naturales, quia effectus proportionatur suæ causæ. Ut ergo meditatio sit perfecta debet habere causam supernaturalem, et illustrari ab ipsa. Quod insinuavit Paulus, II. Cor. III: Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod explicans divus Thomas: In quolibet processu operis primo est assensus, qui fit cogitando; deinde collatio per verbum; et postmodum impletio per opus. Unde fit ut sic nec cogitare quis a se habeat, sed a Deo. Non est enim dubium quod non solum perfectio operis boni est a Deo, sed etiam inchoatio. Philipp. I: Qui cœpit in vobis opus bonum. Quando meditatio habet causam supernaturalem, facit effectum supernaturalem, quia, ut dicit D. Thomas 2 2, q. 180, art. 6 ad 2, omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis, ut cessante discursu figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis. Et quamvis verum sit quod quando ratio naturalis illustratur a lumine fidei possit se extendere in suis meditationibus ad veritates supernaturales, impedit tamen aliam illustrationem ejusdem fidei in sua puritate, et donorum infusorum, quæ ipsum comitantur. Hoc dicit expresse D. Thomas in III, dist. 35, qu. 2, art. 2, quæstiunc. 1 Unde fides quæ spiritualia in speculo et in ænigmate quasi involuta tenere facit humano modo, mentem perficit, et ideo virtus est; sed si supernaturali lumine mens in tantum elevetur ut ad ipsa supernaturalia aspicienda introducatur, hoc supra humanum modum est; et hoc facit intellectus donum, quod de auditis mentem illustrat, ut ad modum primorum principiorum statim audita probentur; et ideo intellectus donum est.

342. Necessarium est in meditatione, præsertim incipientium, ut potentiæ exerceant suas operationes activas; sed debent cessare ab illis, et dare locum Deo, ut ipse operetur. Loquamur Deo: sed audiamus quid loquatur ipse nobis. Explicans divus Thomas Psal. XLIV, præsertim illa verba: Unxit te Deus oleo

lætitiæ præ consortibus tuis, loquens de Christo, dicit quod non loquitur de oleo materiali; quia quamvis Christus fuerit rex, sacerdos et propheta, qui ungebantur in veteri Testamento: quia tamen regnum ejus non erat de hoc mundo, ideo non fuit unctus oleo visibili, sed oleo Spiritus sancti, et propterea dicit " oleo lætitiæ.„ Et dicitur Spiritus sanctus oleum, quia sicut oleum supereminet omnibus liquoribus, ita Spiritus sanctus omnibus creaturis. Gen. I: Spiritus Domini ferebatur super aquas, idest esse super omnia in cordibus hominum, quia est amor Dei. Secundo, propter suavitatem suam: misericordia enim et omnis sanctitas mentis a Spiritu sancto est; II. Cor. VI: In suavitate, in mansuetudine, in Spiritu sancto. Tertio, quia oleum est diffusivum sui: sic Spiritus sanctus est communicativus; II. Cor. ult.: Communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis, amen. Item oleum est fomentum ignis et caloris: et Spiritus sanctus fovet, nutrit amoris calorem in nobis. Cantic. ult.: Lampades ejus lampades ignis. Item oleum illuminat: ita Spiritus sanctus; Job XXXII: Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Et ideo in meditatione debemus expectare unctionem Spiritus sancti, qui proportionabiliter faciet et facit in nobis quod fecit in Christo, et illuminabit meditationem et mentem ad supernaturalia.

343. D. Thomas in I, dist. 15, q. 5, art. 3, quærit utrum per missionem invisibilem efficiamur ne simus in hoc mundo. Respondet quod essentialiter anima est ubi est corpus suum, ad quod habet essentialem relationem; ubi autem est objectum suum, non est essentialiter, sed per quamdam conformitatem prout dicitur quod scientia est assimilatio scientis ad rem scitam: et hoc modo intelligitur per missionem invisibilem non esse in hoc mundo, quia aliquid æternum mente concipimus, et non conformatur intellectus neque affectus mundanis; sed est illud quod dicit Paulus ad Philipp. III: Nostra conversatio in cœlis est. Et Augustinus dicit animam verius esse ubi amat, quia ibi est secundum suum nobilius esse, quod est secundum perfectionem ultimam. Idem affirmat D. Thomas, Opusc. IX. Et Augustinus dicit quod in quantum aliquid æternum mente sapimus, non in hoc mundo sumus ex parte objecti, sed solum ex parte nostri: qui elevamur, spectemus missionem invisibilem Spiritus sancti, ut meditatio et contemplatio sint supernaturales.

344. Eamdem doctrinam tenent multi Sancti. D. Bonaventura, Itinere 2, dist. 5, dicens: Allocutio divina distinguitur a meditatione. Primo quia allocutio divina præcedit et inchoat meditationem humanam; unde Bernardus loquens de spirituali locutione quæ fit in meditatione, serm. 46 in Cantica: Lingua animæ est fervor devotionis, et elinguis est anima et infans, quæ hanc non habet: ergo allocutio divina, sive inspiratio mea me ad meditandum excitat, et spirat spiritui quoties, qualiter et quando de divinis sit meditandum. Secundo distinguitur quia allocutio divina meditationem humanam instruit et verificat. Allocutio enim divina ex inspiratione divina procedit docens loqui et meditari cœlestia. Tertio distinguitur, quia allocutio divina meditationem humanam perficit et consumat, quia, ut dicit D. Dionysius, cap. I De cœlesti hierarchia, bona naturalia perficiuntur per supernaturalia. Hoc idem affirmavit Bernardus, De interna domo, cap. XIV: Quid prodest homini si per meditationem quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio et Dei gratia ad ea obtinenda convalescat? Omne siquidem datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum; Jac. I. Sine quo nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera; non tamen omnino sine nobis: cooperatores enim Dei sumus, sicut dicit Apostolus, I. Corinth. v. D. Thomas, p. p., q. 112, art. 3, dicit quod assistere Deo est esse circa Deum, idest immediate recipere illuminationes in simplicitate divini luminis. D. Thomas super cap. XXX Isaiæ dicit quod charitas dicitur ignis quia illuminat, exæstuat, omnia ad se convertit, expeditum facit, et sursum trahit. Et D. Thomas, Opusc. LX, c. 5, dicit: Ad illustrationem internam mentis tria disponunt, scilicet esse in abstractione transitoriæ dulcedinis, in approximatione ad fontem luminis, et in interiori dilectione mentis. — *Adde Append.*, n. 198.

MATERIA MEDITATIONIS.

345. Explicans D. Thomas illud Isaiæ X: Et erit lumen Israel in igne, dicit sic: Deus noster dicitur ignis, quia subtilis quantum ad substantiam; quia dicitur spiritus, Joan. IV: Spiritus est Deus. Secundo, quantum ad scientiam, quia penetrabilis. Ad Hebr. IV: Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior

omni gladio ancipiti. Tertio, quantum ad apparentiam, quia invisibilis; Job XXVIII: Unde ergo sapientia? et infra: Abscondita est ab oculis omnium viventium. — Secundo, dicitur ignis, quia lucidus, quia manifestat quantum ad intellectum; Ps. XXXV: In lumine tuo videbimus lumen. Secundo, quia delectat quantum ad affectum; Tob. V: Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo et lumen cœli non video? Tertio, quia dirigit quantum ad actum; Isa. LX: Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. — Tertio, quia calidus. Et hoc, primo, quia vivificat; Job XXXIX: Tu forsitan in pulvere calefacies ea? Thren. I: De excelsis misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. Secundo, quia purgat; Eccli. XXXVIII: Vapor ignis urit carnes ejus, et in calore fornacis concertatur. Tertio, quia devastat; Deut. XXXII: Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. — Quarto, quia levis. Et hoc primo propter motum, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus; Prov. XVI. Secundo, propter situm, quia in altis habitat; Psal. XC. Tertio, propter incommistionis modum; Sap. VIII: Attingit autem ubique propter munditiam suam. Vapor est enim virtutis Dei.

ARTICULUS XI.

In meditatione multoties aperiendum est ostium intellectus luci divinæ ad veram ponderationem rei meditatæ.

346. Iste articulus maximam habet similitudinem cum duobus articulis D. Thomæ 1 2: primus est art. 6, quæst. 109, in quo quærit utrum homo possit se ipsum ad gratiam præparare; secundus est art. 3, q. 112, in quo quærit utrum detur gratia præparanti se ad illam, vel facienti quod in se est. In primo resolvit quod nulla est promissio vel lex universalis, quod facienti quod in se est ex viribus naturæ detur infallibiliter gratia, neque hujusmodi opera habent etiam meritum de congruo respectu gratiæ. Ex misericordia præsumendum est quod si aliquis faciet quod in se est ex viribus naturæ, auxiliabitur et recipiet gratiam. Quia, ut dicit D. Thomas de puero perveniente ad usum rationis, si convertatur ad bonum honestum,

illuminabitur, quod intelligitur misericorditer. Et (*ut ait*) idem D. Thomas, 3 p., q. 4, art. 1, loquens de natura humana, in qua licet non sit aliquid necessitatis ad unionem cum Verbo, est tamen congruentia ut potius quam alia natura assumatur a Verbo, tum propter dignitatem talis naturæ, tum propter ejus indigentiam et necessitatem. Et Anselmus in Menologio dicit esse quidem congruentiam ex parte Dei, ut justificet eum qui bene operatur: non quia hoc promeretur peccator, sed quia decet maxime suæ bonitati. Et ex parte operantis ponit congruentiam, quia qui bene operatur minorem repugnantiam habet cum gratia infundenda quam hi qui male operantur. Ita similiter dicendum est de his qui in meditatione naturali se exercent: nulla est promissio vel lex quod a Deo illuminentur, et possint aperire ostium luci divinæ; congruum tamen est ut a Deo illuminentur, et a Deo auxilientur ad aperiendum ostium luci divinæ. D. Thomas, 1 2, q. 112, art. 3, resolvit quod facienti quod in se est ex divino auxilio dabitur gratia, quatenus per illam motionem intendit ut quis consequatur gratiam infallibiliter, unde hoc non ex natura actuum, ut a nobis sunt, sed ex infallibilitate divinæ motionis id intendentis: sic similiter, si meditatio procedat ex divino auxilio, aperietur ostium intellectus luci divinæ, non ex natura meditationis, sed ex infallibilitate divinæ motionis intendentis.

347. Intellectus in meditatione naturali habet duo impedimenta, quæ impediunt illustrationem divinam, quæ adducuntur a D. Thoma super cap. II De divinis nominibus. Primum, forma et repræsentatio rerum naturalium et sensibilium; secundum, operatio activa intellectus. Ab his duobus debet denudari intellectus, ut illustretur lumine divino; quia ista solum sunt dispositiones remotæ ad illustrationem. Quemadmodum divus Thomas, 3 p., q. 70, art. 1, explicans illud D. Pauli ad Cor. x, quod omnes in nube et mari baptizati sunt: ergo protectio columnæ et transitus maris Rubri magis fuerunt præparatoria ad baptismum et figurativum ipsius, quam circumcisio, — respondet sic: quod erant præparatoria remota. Ita similiter dico de meditatione naturali, et per species et imagines naturales et sensibiles quod tantum est dispositio remota ad illustrationem. Et sicut dicit D. Thomas quod baptismus Joannis solum erat præparatorius ad baptismum Christi, ita meditatio naturalis ad

illustrationem divinam. Et dicit titulus quod per meditationem aperiendum est ostium intellectus luci divinæ. D. Thomas super cap. XXVI Isaiæ, super illud verbum " aperite, „ dicit: Aperire debemus portas per meditationem infernalis miseriæ: Vadam ad portas inferi, Isa. XXXVIII. Secundo, justæ vitæ; Prov. ult.: Laudent eam in portis opera ejus. Tertio, cœlestis gloriæ, seu lucis; Psal. CXLVII: Confortavit seras portarum tuarum. Debemus tamen in meditatione sequi consilium S. Jacobi, cap. I: Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei; quia, ut subjungit, omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

348. D. Thomas explicans illud Psal. XXIV: Quis est homo qui timet Dominum? Legem statuit ei in via, quam elegit; anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram; firmamentum est Dominus timentibus eum, — dicit sic: A Deo autem speranda sunt tria, secundum quod tria sunt in homine, scilicet intellectus, voluntas et virtus operativa. Intellectum illuminat, voluntati satisfacit, et virtutem operativam roborat. Et D. Thomas in II, dist. 23, q. 2, art. 1 ad 2: Ad cognitionem Dei, naturalem angelis, et super naturam hominis, elevantur per gratiam viri contemplativi merentes divinas revelationes, etiam post lapsum. Eamdem doctrinam tenent Sancti. S. Bernardus, serm. 3 in Cantica: Cum in his fueris diutius exercitatus, roga dari tibi devotionis lumen, diem serenissimum et sabbatum mentis. Ipse benignissimus et misericors Dominus, juxta cujuscumque desiderium et dispositionem meditationis, supernaturalem gratiam contemplationis concedit. Cum enim facienti quod in se est ex prioribus auxiliis gratiæ Deus non deneget gratiam, quæ ad ulteriorem perfectionis gradum perveniat, quia Dei perfecta sunt opera (incipit enim et perficit): juxta dispositionem animæ contemplativæ in prædictis exercitiis se Deus magis aut minus communicat.

349. D. Gregorius lib. XXIII. Moralium, cap. XIII, loquendo de anima contemplativa, dicit: Anima perfecte compuncta omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obviantes discutiat, et cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptæ lucis intendat. Has quippe figurarum corporalium species ad se intus

ex infirmitate corporis traxit; sed perfecte compuncta hoc summopere invigilet ne cum veritatem quærit, eam imaginatio circumscriptæ visionis illudat, cunctasque sibi obviantes imagines respuat, ut perfecte illustretur. Dionysius Carthusianus, De fonte luminis, cap. IX, dicit: Ille qui ad statum contemplationis supernaturalis pervenire desiderat, abstineat mentem suam ab exterioribus et sensibilibus, eam recolligat, ejus dispersiones et evagationes abjiciendo, et cesset ab operatione activa quæ sunt impedimenta contemplationis. Et tunc Deus sublimis, qui sapientiæ dux est et princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis fidelem ac pium ejus conatum, manum applicabit ac porriget adjutricem, mentem per donum sapientiæ illustrando, prout Isaias asserit, c. LVIII: Requiem dabit tibi Dominus, et replebit splendoribus animam tuam. Ipse enim est sol sapientiæ ac intelligentiæ, quo in anima radiante, omnia mox clarescunt, venustantur, tranquillantur et exhilarantur in ea, sicque Creatoris sui majestatem, immensam pulchritudinem, infinitam sapientiam, omnipotentiam ac beatitudinem, perfectionem et eminentiam prorsus interminabilem incipit intueri et vehementissime admirari, jucunde conspicere, ferventer diligere, eique intime congaudere, et in ea ad horam quiescere.

Adde Append., n. 199.

MATERIA MEDITATIONIS.

350. D. Thomas explicans illud Isaiæ XXXIV: Accedite ad eum, inquit sic: Homo accedit ad Deum per susceptionem gratiæ; Rom. V: Accessum habemus per ipsum ad Deum. Secundo, accedit per contemplationem sapientiæ; Psal. XXXIII: Accedite ad eum et illuminamini. Tertio, per ministerium obedientiæ; Ezechiel. IV: Filii Sadoch, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei. Quarto, per spiritum concordiæ; ad Ephes. II: Per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. — Idem D. Thomas in illud Isa. XXXIII admonet nos ut petamus in oratione quatuor quæ sunt in cœlesti et militanti Ecclesia. Primo, cordium lætitiam; Isa. XXX: Sicut nox sanctificatæ solemnitatis et lætitia cordis. Secundo, rerum opulentiam, scilicet bonorum spiritualium; Isa. XXXII: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Tertio, immobilitatis gratiam; Dan. VII: Po-

testas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Quarto, aquarum abundantiam divinarum monitionum; Psal. XLVI: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

ARTICULUS XII.

Quomodo debeat conformari intellectus rationi per fidem, ut lux divina possit illustrare meditationem.

351. Post meditationem sensibilem figurarum debemus nos conjungi Deo per fidem, ut docet D. Thomas explicando divum Dionysium, cap. I, De divinis nominibus: Nos per fidem conjungimur ineffabilibus, et ignotis, et veritati divinæ quæ excedit omnem humanam locutionem et cognitionem. Nec fides sic conjungit eis ut faciat ea ab homine credente cognosci et loqui sicut sunt: hoc enim esset apertæ visionis; sed conjungit infallibiliter et ignote. Videmus nunc per speculum, I. Cor. XIII. Et ne aliquis hanc conjunctionem despiceret propter sui imperfectionem, subjungit: secundum meliorem, etc. Altioribus enim per fidem conjungimur quam sint ea ad quæ ratio naturalis pertingit; et certius adhæremus, quia certior est divina revelatio quam humana cognitio.

352. Idem D. Thomas explicans cap. VII D. Dionysii, dicit: Mens nostra duo habet ad intelligibilia cognoscenda. Primo, habet naturalem virtutem, idest intelligentiam, per quam inspicere potest intelligibilia sibi proportionata. Secundo, habet quamdam unitionem ad res divinas per gratiam, quæ excedit naturam mentis nostræ, per quam unitionem conjunguntur homines per fidem ad ea quæ sunt super naturalem mentis virtutem. Oportet ergo ut intelligamus divina secundum hanc unitionem, non trahendo divina ad ea quæ sunt secundum nos: sed magis totos nos statuentes supra nos in Deum, ita ut per prædictam unitionem totaliter deficiamus. Quando ergo intellectus per lumen fidei cognoscit ineffabilem deitatem, et cessat ab omnibus operationibus activis naturalibus, tunc vere disponitur ad divinam illuminationem, quia non habet formas naturales, et cessat ab operatione activa naturali.

353. D. Thomas 1 2, qu. 62, art. 3, et 2 2, qu. 5, art. 1, affirmat quod sicut homo per naturalem inclinationem ordinatur ad finem naturalem, ita piissimus Deus per virtutes supernaturales voluit ordinare hominem in finem supernaturalem. Et primo quidem quantum ad intellectum, per fidem, quæ est fundamentum totius vitæ spiritualis, per quam cognoscit Deum esse summum bonum, sapientissimum, omnipotentem, æternum, incomprehensibilem; quam virtutem dedit angelis in sui creatione, et primo parenti Adamo: ergo quando ita cognoscit Deum per fidem, et unitur ipsi, et cessat ab operationibus activis naturalibus, tunc vere disponitur homo ad divinas illuminationes. Hoc probat divus Thomas manifesta ratione, 1 2, q. 68, art. 1: In homine est duplex principium movens: unum quidem interius, quod est ratio; aliud autem exterius, quod est Deus. Manifestum est autem quod omne quod movetur necesse est proportionatum esse motori: et hæc est perfectio mobilis in quantum est mobile, dispositio qua disponitur ad hoc quod bene moveatur a suo motore. Quanto igitur movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur. Manifestum est autem quod fides theologica melius disponit ad hoc ut homo illustretur a Deo lumine supernaturali, quam virtutes morales et operationes naturales; imo istæ multoties impediunt illustrationem.

354. Eamdem doctrinam tenet D. Bonaventura, Itinere 4, dist. 7, adducens D. Dionysium, cap. VII, De divinis nominibus. Et iterum divina cognitio, qua ipse cognoscitur per ignorantiam, quando scilicet mens ab omnibus intellectualibus et intelligibilibus recedens, et tandem se ipsam excedens unitur radiis æternæ sapientiæ inscrutabilis profunditatis. Et sequitur: Quoties ergo superintellectualiter exercemur ad divinum radium, toties opus est ut resecemus intellectuales operationes, ut docet Dionysius I De mystica theologia; et similiter creaturarum similitudines, ut innuitur in Exodo, ubi dictum fuit Moysi: Solve calceamentum a pedibus tuis. Pedes sunt intellectus et affectus quibus spiritus noster ad æternum Deum accedit. Qui pedes mundandi sunt ab omnibus pellibus, idest creaturarum similitudinibus; quos sponsa dicit se lavasse. Cantic. v. Ubi dicit Vercellensis: Pedes meos, idest affectum et intellectum, quibus carpsi itinera æternitatis, lavi et purgavi, vel purificavi, quo-

modo iterum inquinabo illos umbris et imaginibus temporalium? Ejusdem sententiæ est D. Bernardus in Scala claustrali, cap. VIII: Deus, cujus potentiæ non est numerus, vel terminus, et cujus misericordia super omnia opera ejus, quandoque ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, dum duros et nolentes acquiescere cogit ut velint: et ita, quasi prodigus, ut vulgo dici solet, bovem in cornu trahit, quando non vocatus se infundit. Quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo et quibusdam aliis, non tamen ideo debemus nos quasi Deum tentando, divina præsumere: sed facere quod ad nos pertinet, scilicet, et meditari in lege Dei, orare ipsum ut adjuvet infirmitatem nostram, quod ipse docet nos facere dicens: Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. De isto articulo plura dicemus in quæstione de contemplatione. — *Adde Append.*, nn. 200-202.

MATERIA MEDITATIONIS.

355. Sanctus præceptor D. Thomas in expositione cap. XXIII Isaiæ, explicat ista verba: Sume citharam, circui civitatem, bene cane. " Sume citharam. „ Cithara significat rectam vitam. Primo, quantum ad carnis mortificationem, propter chordarum materiam; Psalm. LXX: Psallam tibi in cithara, sanctus Israel. Secundo, quantum ad virtutum connexionem, propter cantus concordantiam; Isa. LVI: Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. Tertio, quantum ad dulcedinem boni operis, propter audientis lætitiam; Job XXI: Tenent tympanum et citharam, et gaudebunt ad sonitum organi. " Circui civitatem; „ quia debet homo circuire civitatem. Primo, propriæ conscientiæ, recogitando peccata; Eccle. XII: Circuibunt in plateis plangentes, antequam rumpatur funiculus argenteus. Secundo, militantis Ecclesiæ, imitando justorum exempla; Psal. XLVII: Circumdate Sion, et complectimini eam. Tertio, cœlestis patriæ, cogitando sanctorum præmia; Cantic. III: Surgam, et circuibo civitatem. " Bene cane. „ Debet homo bene canere. Primo, hilariter; Psal. CXLVI: Deo nostro jucunda sit laudatio. Secundo, attente; I. Corinth. XIV: Psallam spiritu, psallam et mente. Tertio, devote; II. Paralip. XXIX: Obtulit populus hostias et laudes mente devota.

ARTICULUS XIII.

Auctores mystici cum proprietate vocant operationem passivam, quæ movetur ab illuminatione et ab influentia divina.

356. Cum proprietate loquuntur auctores mystici cum dicunt operationes animæ motas a Deo esse operationes passivas. Qui modus loquendi est communis inter scholasticos. D. Thomas, 2 2, q. 171, a. 2 ad 1, dicit loquendo de prophetia: Potest tamen prophetia ad passionem reduci, si tamen nomen passionis pro qualibet receptione accipiatur, prout Philosophus dicit, in III De anima, quod intelligere pati quoddam est. Sicut enim in cognitione naturali intellectus possibilis patitur ex lumine intellectus agentis, ita etiam in cognitione prophetica intellectus humanus patitur ex illustratione divini luminis. D. Thomas, p. p., q. 14, a. 2 ad 2, dicit quod moveri et pati sumuntur æquivoce, secundum quod intelligere dicitur esse quoddam moveri et pati. Et p. p., q. 79, art. 2 in corpore, affirmat quod pati stat tripliciter. Et loquendo de tertio, dicitur aliquis pati communiter ex hoc solo quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia; et secundum hoc intellectus dicitur pati. Idem affirmat 1 2, q. 22, art. 1, et in infinitis aliis locis. Et intellectus respectu luminis gloriæ dicitur pati, et quælibet causa secunda respectu primæ, quia movetur ab illa. Non tamen dicendum est intellectum in visione concurrere instrumentaliter, quamvis recipiat lumen gloriæ. Et idem dico respectu omnium virtutum infusarum, quia ad rationem instrumenti non sufficit quod aliquid per elevationem et virtutem superadditam operetur ultra proportionem propriæ virtutis, sed ulterius requiruntur duæ conditiones essentialiter ad rationem instrumenti prout opponitur causæ principali. Altera, quod instrumentum in quantum instrumentum operetur, ut pure motum ab alio, ita quod tota ratio operandi sit motio, non vero motio se habeat ut conditio requisita. Instrumentum debet operari ministerialiter, et consequenter ut deserviens. Non enim sufficit ad rationem instrumenti quod operetur dependenter ab alia causa, sicut patet in omni causa secunda. Secunda, quod actus, seu

effectus procedens ab instrumento non assimiletur ipsi, sed principali agenti cui deservit: sicut serra non producit serram, sed scamnum similem ideæ artificis. Et ita quantumcumque aliquod agens recipiat virtutem participatam ab alio, si tamen producit effectum sibi proprium et similem, non operatur instrumentaliter. Luna et corpus diaphanum producit lumen ut causa principalis, cum tamen recipiat vim illuminandi, quæ est lumen, a sole; non tamen est instrumentum, quia assimilat sibi rem illuminatam. Ecce quomodo anima, quamvis in oratione illuminetur a Deo, et respectu lucis dicatur pati, concurrit ad suos actus ut causa principalis. Et quando homo patitur divina illa recipiendo, puta gratiam, charitatem et dona supernaturalia, se habet passive in ordine ad illa; tamen potentiæ respectu suorum actuum se habent non instrumentaliter, sed ut causæ principales.

357. Debemus petere a Deo lumen divinum, ut possimus percipere divina. Dicitur Apocalypsis II, ut refert D. Thomas, 1 2, q. 112, art. 5: Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit; quia scilicet ille qui accipit per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. D. Thomas, 2 2, q. 97, art. 2 ad 2: Duplex est cognitio divinæ bonitatis: una quidem speculativa; et quantum ad hanc non licet dubitare nec probare utrum Dei voluntas sit bona, vel utrum sit suavis; alia autem est cognitio divinæ voluntatis, sive bonitatis affectiva, sive experimentalis, dum quis experitur in se ipso gustum divinæ dulcedinis, et complacentiam divinæ voluntatis, sicut de Hierotheo dicit Dionysius, cap. II, De divinis nominibus, quod didicit divina ex compassione ad ipsa: et hoc modo movemur ut probemus Dei voluntatem, et gustemus ejus suavitatem. D. Thomas, 2 2, q. 162, art. 3 ad 1, dicit: Alia est cognitio veritatis affectiva, et talem cognitionem veritatis impedit superbia, quia superbi, dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis fastidiunt. Et Gregorius dicit, XXIII Moral., quod superbi, etsi secreta quædam intelligendo percipiant, eorum dulcedinem experiri non possunt. D. Thomas, 1 2, q. 33, art. 3, (*ait*) quod est quædam delectatio quæ habetur de ipso actu rationis, sicut cum aliquis delectatur in contemplando, vel ratiocinando: et talis delectatio non impedit usum rationis, sed adjuvat, quia illud

attentius operamur in quo delectamur: attentio autem adjuvat operationem. Item D. Thomas in eadem quæst., art. 2, ubi quærit utrum delectatio causet sui sitim et desiderium, dicit: In hoc mundo percipientes aliquid imperfecte de divina cognitione delectantur, et ipsa delectatio excitat sitim, vel desiderium perfectæ cognitionis, secundum quod potest intelligi quod habetur Eccli. XXIV: Qui bibunt me adhuc sitient; si vero per sitim vel desiderium intelligatur sola intentio affectus tollens fastidium, sic delectationes spirituales maxime faciunt sitim vel desiderium sui ipsarum.

MATERIA MEDITATIONIS.

358. D. Thomas, Opusc. LXII, loquens de immutabilitate Dei, dicit: Deus immutabilis est ex sua natura, ipso attestante: Ego sum Deus, et non mutor. Et Jac. I: Apud quem non est transmutatio. Et ideo immutabilia sunt opera ejus secundum essentiam, scilicet angelus, anima, cœlum et quatuor elementa. Et si quandoque mittit angelos, quandoque non mittit; aliquando subtrahit gratiam hominibus, aliquando confert; quandoque peccata vindicat, quandoque dissimulat: mutabilitas est in creaturis, nullatenus in Creatore. Præcipue vero in novissimo die ordinatio sua circa bonos et malos immutabilis permanens, cum bonis mercedem supra meritum, malis pœnam citra merita mensurabit: et sic et nobis studendum esset ad mentis constantiam, ut nec adversis fracti, nec prosperis allecti aliquatenus a via rectitudinis flecteremur. Sicut B. Job XXVII: Justificationem, inquit, quam cœpi tenere, non deseram. Sed et Apostolus ad Rom. VIII: Certus sum quod neque mors, neque vita, etc., poterunt nos separare a charitate Dei. Sed, heu nimis inconstantes sumus, in sanctis meditationibus, in ordinatis affectionibus, in conscientiæ securitate, in recta voluntate! Heu quam subito mutamur de bono in malum, de spe in timorem injustum; et e contrario de gaudio in dolorem injustum, et e contrario de taciturnitate in loquacitatem, de maturitate in levitatem, de charitate in rancorem vel invidiam, de fervore in accidiam, de humilitate in vanam gloriam vel superbiam, de mansuetudine in iram, de spirituali lætitia vel amore in carnalem, ita quod nunquam uno momento in eodem statu

permanemus: nisi quod, heu! constantes sumus in inconstantia, in infidelitate, in ingratitudine, in spiritualibus defectibus, in imperfectione, in temporis amissione, in levitatibus! Ad hæc tamen merito nitamur, ut nos frequenter uno eodemque modo, idest mature et benigne in statu, et in incessu, et in omni conversatione nostra æqualiter habeamus.

Adde Append., nn. 197-204.

ARTICULUS XIV.

In quo aliqua pertinentia ad meditationem explicantur.

359. Primum est: Per peccatum sensus animæ infirmati sunt, et ad illos sanandos debemus nos transferre a meditatione ad contemplationem, et maxime ad illam quæ exercetur mediante dono sapientiæ. Audite D. Thomam in expositione cap. XII epistolæ ad Rom., circa illa verba: Et nolite conformari huic sæculo: Ostendit qualiter se debeat homo exhibere Deo quantum ad animam. Et primo prohibet sæculi conformitatem, cum dicit: " Nolite conformari huic sæculo, „ idest rebus quæ temporaliter transeunt. Nam sæculum præsens est quædam mensura eorum quæ temporaliter labuntur. Rebus autem temporalibus homo conformatur per affectum, eis amore inhærendo. Oseæ XIX: Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Jac. ult.: Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: immaculatum se custodire ab hoc sæculo. " Sed reformamini in novitate sensus vestri. „ Sensus autem hominis hic dicitur ratio, secundum quod per eam homo judicat de agendis. Hunc autem sensum homo in sua creatione habuit integrum et vigentem. Unde dicitur Eccli. XVII: Sensu implevit corda illorum, et bona et mala ostendit illis. Sed per peccatum hic sensus est corruptus, et quasi inveteratus. Baruch III: Inveterasti in terra aliena. Et per consequens pulchritudinem et decorem suum amisit. Thren. I: Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Monet ergo Apostolus ut reformemur, idest iterato formam et decorem mentis assumamus, quem nostra mens habuit: quod quidem fit per gratiam Spiritus sancti, ad quam participando homo studium habere debet, ut qui eam nondum perceperunt, jam percipiant; et qui illam perceperunt,

in ea proficiant. Ad Ephes. IV: Renovamini spiritu mentis vestræ. Psal. CII: Renovabitur ut aquila juventus tua. Vel renovamini in novitate sensus vestri, idest secundum novitatem gratiæ, quam mente percepistis.

360. Ista reformatio præcipue fit cum dono sapientiæ. Ista reformat sensum hominis, qui dicitur ratio. Ita D. Thomas, 1 2, q. 68, art. 4; et hoc idem insinuat p. p., q. 79, art. 9, ubi ponit donum sapientiæ in superiori parte rationis, tamquam directiva illius. Et 2 2, q. 45, art. 5: Sapientia importat quamdam rectitudinem judicii circa divina. — Ordinat et reformat passiones humanas. Ita habetur apud D. Thomam in III, dist. 34, qu. 1, art. 2: Sapientia non solum ordinat cognoscibilia, sed etiam rationes humanas et passiones. — Gustus etiam infirmatus est, ne Deo delectabiliter pascatur. Dicit D. Thomas, Opusc. LXI, c. 26, et adducit illud Augustini: Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis. Delectatio ex Aristotele est conjunctio convenientis cum conveniente, et ille qui magis conjungitur cum Deo per gratiam, magis in eo delectatur; et qui conjungitur per donum sapientiæ magis delectatur, quia sapientia idem est quod sapida scientia. Eamdem doctrinam habet sanctus Bonaventura, Itinere, VI, dist. 2: Duo quidem in homine sunt sensus: unus interior, alius exterior; et uterque bonum suum habet, in quo reficitur. Sensus exterior reficitur in contemplatione humanitatis, sensus interior in contemplatione divinitatis. Et uterque sensus habet quinque sensus. Habet istos spiritualis. Unde divina vox in Deut. XXXII ait: Videte quod ego sum Deus; ecce spiritualis visus. Et in Apoc. III: Qui habet aures audiat quid dicat Spiritus Ecclesiæ; ecce spiritualis auditus. In Ps. XXXIII: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; ecce spiritualis gustus. Apost. II. Cor. II: Bonus odor Christi sumus; ecce spiritualis odoratus. Fide mulierem se tetigisse magis quam corpore ostendit dicens, Luc. VIII: Quis me tetigit? ecce spiritualis tactus.

361. Secundum: In meditatione debet esse quies. Quæ est duplex: una in ponderatione rei meditatæ, altera in simplici contemplatione divinitatis. Prima est incipientium, secunda perfectorum: et utraque utilis et necessaria. Ad ponderationem est necessaria quies ab exterioribus et passionibus. D. Thomas explicans illud Cantic. II: Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare fa-

ciatis dilectam, quoadusque ipsa velit; hoc est ne animam divinæ contemplationi deditam, orationibus vel lectionibus divinis occupatam inquietare, et ad exteriora opera suscitare velitis, donec ipsa velit, hoc est donec expleto contemplationis seu ponderationis tempore, admonente corporis fragilitate, ipsa velit suscitari a somno internæ quietis, et ad temporalia agenda procedere. Videamus per quid adjuret filias Jerusalem. " Per capreas cervosque camporum. „ Capreæ et cervi munda animalia sunt, serpentibus et venenis inimica; et significant virtutes sanctorum qui munditia spirituali refulgent, et venena fraudis diabolicæ non solum cavent, verum etiam insectantur et ad nihilum redigunt. Et est sensus: adjuro vos, filiæ Jerusalem, per virtutes vestras, quas vobis divina gratia collatas gaudetis, ut animam contemplationi meæ intentam non inquietetis, donec contemplationis hora finita, ipsa aliud quid agere velit. Idem Sanctus explicans illud ad Hebr. IV: Requievit Deus: Est autem duplex requies. Una in bonis exterioribus; et ad istam egreditur homo a requie mentis. Alia est in bonis spiritualibus, quæ est intima; et ad istam ingreditur. Matth. XXVI: Intra in gaudium Domini tui. Cantic. I: Introduxit me rex in cellaria sua. Idem Sanctus in II, dist. 15, q. 3, art. 2, dicit quod quies proprie loquendo opponitur motui; et quia motus causat laborem, inde consecutum est ut quies labori opponatur; et ex his duabus significationibus transumptæ sunt aliæ duæ, quia nostris operationibus motus adjungitur: inde in usum venit ut omnis operatio motus dicatur, et cessatio ab operatione quies dicatur, ut cessando a meditatione quiescimus in ponderatione. Et D. Thomas, Opusc. LXI, cap. 2: Fuge paululum occupationes tuas, et absconde te modicum, vaca aliquantulum mente Deo, et requiescere aliquantulum in eo. Fuge occupationes operationum in homine exteriori, absconde te a tumultu phantasiæ, abjice curas rationis, postpone distensiones voluntatis, et vaca aliquantulum mente.

362. Est quies in simplici contemplatione, de qua loquitur D. Thomas, 2 2, q. 179, art. 1 ad 3; et q. 180, art. 6, et Opusc. 65: Vaca ergo ut videas, vide intellectu, ut concupiscas affectu. Perfecte gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Gustate vel modice ad probandum, et videbitis quia bona est negotiatio ejus, et fastidietis alia bona præ appetitu istius. Ri-

chardus: Non potest, ut arbitror, ad perfectum exteriorum bonorum fastigium pertingere, qui internorum dulcedinem bonorum nondum meruit gustando sentire. Est igitur ordo inter hos apprehensionis modos. Nam auditus ordinatur ad visum, ut patet in regina Saba, quæ audita fama Salomonis, appetebat videre quod audierat. Homo igitur post incœptionem proficiens, ab auditu ad visum transiens, dicit cum Propheta, Psal. XLVII: Sicut audivimus, sic vidimus. Visus autem ordinatur ad gustum. — Quo contra cuidam dicitur in IV. Reg. VII: Videbis, et inde non comedes. Fac tamen interim quod licet, tene medium, et expecta perfectum; vide et cogita Deum, non ut dominum vel ut judicem, sed ut quamdam rem summe bonam et delectabilem. Anselmus relatus a D. Thoma: Excita nunc, anima mea, totum intellectum tuum, et cogita quantum potes quale et quantum sit illud bonum. Cognosce et cogita quod ipse præcellit omne concupiscibile, et delectat præ omni delectabili. — Item Deus est quies incommutabilis, et commodum excellenter quietans. Augustinus: Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. — Item si commodum bonum est quies, et summa quies est summe bona: ergo summe appetenda. — De quiete supernaturali nolo habere modo sermonem, sed in quæstione quarta, ubi disputabitur de oratione quietis, quæ est pax interna multum deliciosa, tamque suavis, ut sibi nihil ultra desiderandum appareat, quia Dominus eam prope se collocat, secum unit, et tantam concedit potentiarum quietem, ut prægustandum aliqualiter ei concedat cujus sit saporis bonum illud quod electis suis in regno cœlorum communicat.

363. Ultimo quæritur quomodo debeant illustrari actus operationis activæ. Multa jam dicta sunt in articulis præcedentibus de isto dubio. Ut actus illustrentur debent denudari a repræsentationibus rerum sensibilium et materialium, et cessare ab activis operationibus, et præsentando se Deo in sola simplici cognitione et universali ipsius, et tunc forsitan illuminabuntur luce supernaturali et extraordinaria. D. Thomas explicans illud Psal. XXXV: Et in lumine tuo videbimus lumen: Non intelligitur de lumine creato; sed de lumine divino quo Deus lucet, et de lumine gratiæ quo illuminat intellectum et ejus operationes, et de donis supernaturalibus quibus illuminantur operationes creaturæ rationalis, tam intellectus quam voluntatis.

MATERIA MEDITATIONIS.

364. D. Thomas, Opusc. LXII, loquens de liberalitate Dei, dicit: Deus communicat creaturis quidquid communicabile est, et ab eis est receptibile, etiam singulis momentis, licet videat eis non prodesse: humanam naturam univit cum Filio suo, quod maximum est; et animam creavit capacem Trinitatis, præter alia dona spiritualia, reficiens eam carne et sanguine dilecti Filii sui. — Item nihil incommunicatum relinquit. Hoc est proprium divinæ bonitatis: nam quod sibi naturale est communicavit Deus per gratiam creaturis: angelis beatitudinem, nunquam expertis miseriam; choro Apostolorum potestatem, ut quidquid solvant aut ligent in terra, solutum et ligatum sit in cœlis; choro prophetarum sapientiam in prænoscendo futura; choro martyrum fortitudinem; choro confessorum inter prospera et adversa constantiam; choro virginum continentiam inter carnis illecebras; Abrahæ largitatem, Moysi mansuetudinem, Joseph prudentiam, Samsoni fortitudinem, Eliæ zelum, Job patientiam, Elisæo mortuorum suscitationem, Samueli fidelitatem, David constantiam et contra persequentes misericordiam. Sic nos invicem communicare debemus: non solum oculos ad videndum pro aliis, aures ad audiendum confessiones, os ad prædicandum et dandum consilia, pedes ad ambulandum, cor ad meditandum pro aliorum salute: verum etiam quidquid habemus in spiritualibus, sive in temporalibus; quidquid possumus exterius per opera, intus per desideria; et quidquid sumus in corpore et in anima, singulis in purgatorio, et (*iis*) qui nunc vivunt et postmodum non erunt, ut secundum voluntatem Dei vivant in præsenti et in futuro.

ARTICULUS XV.

De exercitio practico trium graduum quibus fructuosa meditatio debet ad Deum ascendere.

365. D. Dionysius, cap. I et V, De cœlesti hierarchia, ponit pro fundamento orationis nostræ, qua mediante ascendimus ad Deum, tres gradus; et in unoquoque perfectionatur animæ

operatio, et magis appropinquat Deo: primus per discursum imaginarium figurarum; secundus per ponderationem rei figuratæ; tertius quando in quiete sine operatione activa attendit Deo, et passive se habet ad illuminationem et influentiam divinam. Eosdem tres gradus ponit D. Thomas multis in locis: primum in III, dist. 35, q. 1, art. 2, quæstiunc. 3; secundum in II, dist. 10, art. 1 ad 2; tertium, Opusc. LXI. Eosdem tres gradus ponit idem D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 4, et in multis aliis locis suorum operum, tam divisim quam conjunctim. Eosdem tres gradus adducit D. Bonaventura, Itinere III, dist. 1. Ex his igitur patere potest istius itineris necessitas, quia motus meditationis imperfectus et minus utilis permaneret sine termino et quiete contemplationis, cum meditatio terminetur et transeat in contemplationem tamquam in illud quod perfectius est. Et clarius, Itinere IV, dist. 7, in fine: Opus est resecemus intellectuales operationes, similiter creaturarum similitudines, etc.

366. D. Bernardus ponit eosdem gradus, De consideratione, lib. v, cap. 2: Vis tibi (loquitur cum Pontifice) has considerationis species propriis distingui nominibus? Dicamus, si placet, primam dispensativam, secundam æstimativam, tertiam speculativam. Horum nominum rationes definitiones declarabunt. Dispensativa est consideratio sensibilibus rebus ordinate et socialiter utens ad promerendum Deum; æstimativa est consideratio prudenter diligenterque quæque scrutans et ponderans ad investigandum Deum; speculativa est consideratio se in se colligens, et quantum divinitus adjuvatur, rebus humanis se eximens ad contemplandum Deum. Puto vigilanter advertis aliarum hanc esse fructum: cæteras, si non referantur ad istam, quod dicuntur videri posse, sed non esse. Et prior quidem absque intuitu hujus multa serit et nihil metit; sequens vero, nisi ad istam se dirigat, vadit, sed non evadit: ergo quod prima optat, secunda odorat et tertia gustat.

367. Formemus modo discursum practicum. Primus gradus est meditatio per similitudines. Similitudo nunc dicitur convenientia in aliquo, vel proportio duorum pluriumve. Est igitur hæc meditatio cum unum aliquod invenimus, ex quo aliud vel convenientiam, vel proportionem cum eo habens cognoscimus, cum ex similitudine regis terreni regnum Christi æternum, et

quomodo eum sequi debemus perscrutamur. — Post discursum figurarum sequitur secundus gradus, qui est ponderatio rei meditatæ: quando scilicet rem quam ad meditationem adducimus, ponderamus, et trutina considerationis expendimus. Si materia meditationis fuit passio Christi Domini, relinquendo similitudines imaginarias, convertat se ad similitudines intellectuales abstractas a materia sensibili, et ponderet majestatem Christi Domini, ejus naturam, bonitatem: cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia, pendentis in patibulo ad liberandum nos a peccatis; et amorem quem ostendit in isto opere. — Quando jam voluntatem excitatam senserit, relinquat hos duos gradus, in quibus anima loquebatur sibi ipsi disponendo se ad loquendum cum Deo, et convertat meditationem in contemplationem, qui est finis ad quem omnis meditatio et investigatio tendit. Convertat oculos suos in Deum, et loquatur ipsi juxta affectum suum, et audiat quid ipsi loquatur Deus, juxta illud Prophetæ, Ps. LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, mediis sanctis inspirationibus, quibus illuminatur anima a Deo, et ipsa in admirationem rapta pro tanto beneficio det laudes Deo. Jacob ascensurus in Bethel, ubi Dominus se ipsum ostendit, convocata omni domo sua, ait, Gen. XXXV: Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, et mutate vestimenta vestra. Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Domino. Sic prorsus orationi deditus, prius illicita rejicit, et licita componit, ut ad montem contemplationis ascendat, ibique Dominum sibi bona promittentem aspiciet. Id ipsum quoque in Davide et Jonatha figuratum est, qui, ut ex historia Regum constat, tribus vicibus fœdus inierunt. Primo quidem in domo, cum anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexerunt se mutuo. Secundo in agro, cum Jonathas Davidi Saulis odium et iniquam voluntatem nuntiavit. Tertio in deserto, cum Jonathas regno cessit, et Davidi habendum reliquit. Sic et anima spiritualis viri, primo init fœdus cum Deo suo in domo cordis, ejiciendo peccata et assumendo arma lamenti et pœnitentiæ, quibus oppugnat ea quæ Dei voluntati repugnant. Deinde in agro cordis plantando virtutes, quibus ornata et pulchra oculis Domini et angelorum apparet. Et postmodum jungitur Domino in deserto contemplationis, et ei se totam dedicat.

MATERIA MEDITATIONIS.

368. Deus unicuique gratiam præstat secundum suam capacitatem, ut dicit divus Thomas, Opusc. LXII; sicut legitur in Evangelio, quod uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum, unicuique secundum propriam virtutem. Unde quanto magis cor hominis per charitatem Dei et proximi dilatatur, et quanto amplius per bonas meditationes, per ferventes orationes, per justa desideria, per opera humilitatis et supererogationis habilitatur: tanto majorem gratiam Deus omnipotens elargitur. Et quanto diligentius collecta gratia conservatur, et ea quisque utitur ad laudem Dei, et universi utilitatem, tanto ad uberiorem gratiam præparatur in præsenti et gloriam in futuro. Dilatandum est igitur cor nostrum et frequenti desiderio præparandum, ut Deus dives in omnes qui invocant illum, secundum suam magnificentiam abundanter super nos possit effundere gratiam suam.

ARTICULUS XVI.

Meditatio ut sit recta et conformis naturæ et vocationi Dei, debemus obedire patri spirituali docto et experto.

369. Licet enim gratia Dei, quæ artifex est sanctitatis, ab humanis regulis et ab intentione ordinis non dependeat, eo tamen ipso quod hominis imbecillitati et naturæ se accommodat, virorum spiritualium regulas et actionum ordinem non excludit. Et ex sententia D. Thomæ primus magister spiritualis quem habere debemus, est Christus Dominus. Ita habet in expositione illorum verborum Isaiæ L: Dominus mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum, etc. Dicit Sanctus: Ponit se ipsum in exemplum, tum quantum ad sapientiam: " erigit „ ad attendendum: " mane, „ a principio prædicationis meæ, vel a principio ætatis; vel quia tunc solitus erat orare; Ps. LXII: In matutinis meditabor in te. " Aperuit „ ad intelligendum; Psalm. LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. " Tamquam magistrum. „ Matth. II: Magister vester unus est

Christus. — In secundo loco sunt Doctores. D. Thomas explicans illud Cantic. III : Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem, etc.: Vigiles sunt doctores qui civitatem, idest sanctam Ecclesiam et animam sanctam, custodiunt, et ab insidiis spiritualium hostium defendunt. " Paululum cum pertransissem. „ Pertransire vigiles est eorum dicta et doctrinam diligenter perscrutari. Cum, inquit, pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, quia Deum in eorum dogmatibus reperimus. — Explicans D. Thomas illud Psal. xxx: Et propter nomen tuum deduces me, dicit sic: Viator semper indiget ductore, procuratore et defensore. Primum pertinet ad viam, secundum ad vitam, tertium ad salutem. Quantum ad primum dicit: " Deduces, „ scilicet per viam salutis. Quantum ad secundum: " et enutries „ nutrimento virtutum; Psal. XXII : Dominus regit me, nihil mihi deerit. Quantum ad tertium: " educes me de laqueo, „ de fraudulenti insidia, quam mihi paraverunt; Psal. CXXIII : Laqueus contritus est. In manus tuas commendo spiritum meum. Quod charius est in homine spiritus est; et qui timet in via, quod charius habet commendat ductori : sic spiritualis vir spiritum suum commendat ductori, qui est pater spiritualis. Divus Thomas, in IV, dist. 44, q. 1, art. 3, quæstiunc. 5 ad 1, dicit quod sacerdos dicitur quasi sacra dans; quod intelligitur non solum quantum ad sacramenta, sed etiam quantum ad doctrinam. Deuter. XVII: Præceptum est ut si aliquid dubitationis inciderit, ad sacerdotem solvendum deferatur. Veniesque ad sacerdotem levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem. Sacerdotes habent officium magistri spiritualis, ad quos debemus confugere in difficultatibus spiritualibus, quia, ut dicit Richardus, non potest errare qui cum consilio vivit.

370. Eamdem doctrinam tenent sancti Patres. S. Vincentius Ferrerius, tract. De vita spirituali : Sciendum est quod homo facilius et in breviori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem, cujus regimine duceretur, cujus obedientiam in omnibus actibus parvis et magnis totaliter sequeretur, quam aliquis possit se ipsum perficere, quantumcumque vigeat acumine intellectus, et libros habeat in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Imo, plus dico, quod nunquam Christus suam gratiam ministrabit, sine qua nihil

possumus, si homo non habeat a quo possit instrui et deduci, et negligit vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, et per se posse investigare et invenire quæ sunt utilia ad salutem. Bernardus, serm. LXXVII in Cantic., exponens illud: Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem, sic ait: Audiant qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi sunt in arte spirituali existentes, et discipuli pariter et magistri.

371. Pater spiritualis non solum debet habere scientiam, sed etiam experientiam divinorum. Et experientia excedit artem in operando. Et Aristoteles dicit in Ethic.: Oportet attendere (*consilio*) expertorum, seniorum et prudentium. D. Laurentius Justinianus: Quemadmodum nullus a nativitate cœcus, quamvis naturalis ingenii acumine polleat, non nisi opinative valet de coloribus judicare, ita neque de spiritualibus potest ad plenum sensum proferre, quisquis eorum extiterit inexpertus. Idem Sanctus: Eligatur ille qui discretione sit providus, experientia probatus, ordinatus moribus, gravitate maturus, decoratus honestate, sacrarum Scripturarum non ignarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, verax in omni, et si possibile est, spirituali disciplina provectus. D. Paulus ad Galat. VI: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. D. Thomas super hunc locum hæc ait: Spiritualis judicat omnia, ut habetur I. Cor. II, et ipse a nemine judicatur. Et hujus ratio est quia rectum judicium habet de omnibus, quia circa unumquodque recte dispositus est, sicut qui sanum gustum habet recte judicat de sapore. Solus autem spiritualis bene dispositus est circa agenda, et ideo ipse solus de eis judicat bene. — Sed quia nomen spiritus rigorem quemdam et impulsum designat, secundum illud Isa. XXV: Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem; non tamen est credendum quod viri spirituales sint nimis rigidi in corrigendo. Nam hoc spiritus hujus mundi facit, sed Spiritus sanctus suavitatem quamdam et dulcorem efficit in homine. Sap. XII: O quam bonus et suavis est Spiritus tuus, Domine. Et ideo dicit: " In spiritu lenitatis. „ Et dicit: " instruite, „ et non: corrigite, quia loquitur de præoccupatis delinquentibus, qui indigent instructione.

372. Debent magistri spirituales, ut asserit Gerson in Theologia mystica practica, Industria secunda, evigilare ad cogno-

scendum complexionem filiorum spiritualium, quia animæ sequuntur corpus secundum inclinationem. Juvat autem multis modis ad operationes has vel illas inclinatio naturalis; sicut ex adverso dissonans tantum obest quod vix libertas animi, vix disciplinatio, vix conatus assuefactionis sufficit minuere. Tradit B. Gregorius quosdam homines inveniri naturæ tam inquietæ et variæ, ut otium contemplationis velle non possunt, sed molestissime possunt ferre; ad quod alii naturæ tranquillioris aptissimi pronique sunt: primos ad actionem, secundos mittit ad contemplationem. Spirituales viri custodiant ut non solum in fuga mali, sed etiam in exercitatione boni magistris obediant, et eorum jussa perficere non prætermittant. Magister orationis spatium metiatur, jejunia moderet, vigilias succidat, cibaria et flagella temperet. Magister non tantum quæ agenda sunt, sed etiam, si fieri potest, in omnibus modum agendi, procedendi præscribat. Nihil eo nesciente, et multo minus contradicente aut prohibente exerceatur, ne diabolus nobis, aut minus sapientibus, aut proprio amore obcœcatis, illudat.

MATERIA MEDITATIONIS.

373. D. Thomas, Opusc. LXIII, affirmat quod omnis delectatio, quam percipit anima in creaturis in hac vita, quamplurimum elongat a Deo, quia non tota revertitur in Deum, sed hæret aliquantulum in creaturis, juxta illud Gregorii: Anima sine delectatione nequaquam esse potest; aut enim delectatur in infimis, aut in summis. Et quanto acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabiliori frigescit a summis. Hoc figuratum est in Judæis, quibus nequaquam dedit manna durante farina circa triginta dies, quam tulerunt de Ægypto: qua cessante præstitit eis panem de cœlo habentem omnem dulcedinem, et omnem saporem suavitatis, et uniuscujusque voluntati deservientem; ad id quod quisque volebat, convertebatur. Cessante vero omni delectatione circa creaturas, introducit Jesus fidelem animam in delectationem solius Creatoris, juxta illud Psal. XXXVI: Delectare in Domino. Delectatio hic tam modica est quod tota intrat in animam; illic vero tanta est, quod non potest tota in animam intrare: sed anima intrabit in illam, juxta illud Augustini: Non tantum gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium.

DISPUTATIO VII.

DE APPETITU ET DE PASSIONIBUS EJUS.

ARTICULUS I.

Quid sit appetitus et quot sint passiones ejus.

374. Appetitus definitur a D. Thoma in multis locis suorum operum, præsertim p. p., qu. 80, art. 2 (loquor de appetitu elicito), potentia quædam passiva, quæ nata est moveri ab apprehenso. Si apprehensum est sensibile, vocatur appetitus sensitivus; si intelligibile, vocatur appetitus intellectualis, qui vocatur voluntas. Appetitus dividitur in irascibilem et concupiscibilem. Ita D. Thomas, p. p., qu. 80, art. 2. Quæ duæ potentiæ distinguuntur realiter et specifice, quia habent diversum objectum: quia ut aliquid sit objectum concupiscibilis, sufficit quæcumque ratio boni convenientis sibi: at vero irascibilis respicit bonum sub ratione ardui et eminentis; tum etiam quia istæ duæ potentiæ habent diversa organa et temperamenta: nam irascibilis requirit multum roboris et vivaciores spiritus, ideoque residet in corde; at vero concupiscibilis petit molliorem dispositionem, et residet in hepate: per concupiscentiam enim dilatatur seu demulcetur sanguis, sicut per tristitiam restringitur. Passio definitur motus appetitus sensitivi ad imaginationem boni vel mali, cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum, et fugit a malo.

375. Actus appetitus sensitivi in homine vocantur passiones; et quanto potentius rem aliquam prosequitur vel abominatur, tanto vehementius passione duci reputamur. Unde et Apostolus dicit ad Rom. VII: Cum essemus in carne, passiones peccatorum,

quæ per legem erant, operabantur in nobis. Quasi dicat quod ex prohibitione legis vehementius insurgentes dominabantur. Quia, ut inquit D. Thomas 2 2, isti actus nati sunt transmutationem facere in corpore, a naturali sua dispositione. Illa autem transmutatio proprie dicitur inferre passionem, ita ut ab ea subjectum patiatur, quando mutatur ad aliquid cum abjectione alterius; et adhuc magis proprie et stricte pati quis dicatur, quando accipit aliquid cum remotione ejus quod est ei conveniens et naturale, et recipit id quod disconveniens et innaturale est: et cum actus appetitus sensitivi faciant transmutationem in corpore, dicuntur passiones. Et quando voluntati tribuuntur nomina passionum, v. gr. odium, ira, amor, non passionem significant, sed simplicem actum, seu affectum voluntatis.

376. Passiones appetitus sensitivi sunt undecim, sex pertinent ad appetitum concupiscibilem, quinque ad irascibilem. Ad concupiscibilem pertinent amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia. Ad irascibilem pertinent spes et desperatio, timor, et audacia, et ira. — Passiones istæ induere possunt rationem boni et mali moralis, quia quatenus voluntariæ, idest regulabiles per rationem, induunt rationem moralitatis; et sunt voluntariæ vel quia a voluntate imperantur, vel quia ab illa non prohibentur. Quæ ratio voluntarii et regulabilitatis convenit illis passionibus accidentaliter, et quæ conformantur regulis rationis dicuntur bonæ, quæ vero non conformantur dicuntur malæ. Passio potest minuere vel addere ad bonitatem vel malitiam rationis. Si passiones antecedunt judicium rationis, magis obnubilant et impediunt judicium rationis, et sic diminuunt bonitatem actus, si fiat ex passione potiusquam ex ratione; si vero subsequuntur, vel est per redundantiam, quatenus ex vehementia voluntatis commovetur etiam inferior pars; vel per electionem, quatenus advertenter eligit voluntas movere appetitum: et primo modo passio subsecuta non tantum addit moralitatem quam significet esse additam, et multipliciter, in voluntate; secundo vero modo addit illam in se, tamquam operatio electa et volita a voluntate.

ARTICULUS II.

De prima passione, quæ vocatur amor.

377. Amor sensitivus est prima omnium passionum, et aliarum origo, quia per appetibile apprehensum immutatur appetitus; primo quidem ut coaptetur et proportionetur ipsi per quamdam conformitatem seu unionem ad ipsum, et hoc vocatur amor; exinde per desiderium quærit et movetur ut realiter ei conjungatur, sicut per amorem affective est ei conjunctum, et tandem per dilectionem fruitur illo. Cum ergo iste primus affectus, qui est amor, fiat cum quadam sensibili et corporali immutatione, erit passio prout in appetitu: non amor ille qui est in voluntate. Et sic definitur: affectio qua appetitus alicui objecto adhæret propter ejus bonitatem unione quadam. Differt autem amor ut est passio a dilectione et charitate, quia dilectio est amor cum libero judicio et electione, et sic pertinet ad voluntatem; charitas autem addit supra hoc æstimationem quamdam et pretium rei amatæ, quia pretiosa sunt chara. Amor autem passio est sensibilis affectus appetitus.

378. Amor dividitur in amorem concupiscentiæ et amicitiæ, et est divisio penes diversos respectus, seu modos ipsius amoris erga objecta in quæ fertur. Respicere enim potest amor duplex objectum, scilicet objectum cui vult bonum, idest personam; et objectum quod vult tamquam rem volitam, siquidem amare est velle bonum alicui: unde et datur objectum cui, et objectum quod. Respectu boni amati ut quod, seu ut res volita, est amor concupiscentiæ, quia res illa non est persona cum qua contrahitur amicitia, sed res quædam volita; respectu vero personæ cui est volita, datur amicitia. Et sic in eodem amore possunt ista duo concurrere, scilicet ratio amicitiæ et concupiscentiæ penes diversos respectus. Et tunc est divisio penes prius et posterius: simpliciter enim et per se amatur persona, seu objectum cui; et per aliud, seu ratione illius, amatur res volita: siquidem ordinamus illam ad personam cui eam volumus. — Aliunde tamen potest distingui amor concupiscentiæ et amor amicitiæ tamquam duplex amor ex parte ob-

jecti cui, quod est principalius in amore, siquidem ad ipsum alia ordinantur: nempe quod amor concupiscentiæ desiderat aliquod bonum sibi ipsi tantum, amor autem amicitiæ alteri, eo quod amor amicitiæ petit mutuam redamationem et communicationem ad invicem, et hæc non est ejusdem ad se, sed ad alterum. Sic distinguuntur specie isti duo amores. Omnia ista sunt D. Thomæ 1 2, q. 26.

379. Amor ex duobus principiis oritur: ex objecto ejusque conditione ad alliciendum requisita, et ex dispositione seu contemperantia subjecti, in quo debet esse inclinatio et pondus in amatum. Ex parte objecti, causa amoris est bonum: hoc enim est quod omnia appetunt. Conditio autem requisita ex parte objecti est cognitio, quia incognita amare non possumus. Et sic bonum et cognitio sunt causa amoris: ita tamen quod sub bono etiam apparens bonum comprehendatur. Et potest aliquando amor excedere cognitionem propter dispositionem subjecti, quia videlicet ut appetitus totum quod est in objecto appetat, sufficit illud in confuso videre: inde enim etiam latentia cupimus, licet latentia non videamus in se expresse: cognitio autem solum perfecta est quando est distincta et expressa; amor vero perfectus est etiam circa absentia et latentia, atque adeo circa confuse cognita, et sic potest esse imperfecta cognitio et perfectus amor. Et potest aliquid amari in se, etiamsi cognitio, qua manifestatur et proponitur objectum, sit confusa et non perfecta, quia amor trahit animum ad res, non res ad animam: siquidem ex parvo quod videt inquirit, et movetur ad inquirendum id quod non videt, et adhuc latet, et absens est. Ex dispositione autem subjecti causatur amor ex similitudine, sive propria, sive proportionali, quia omne animal diligit sibi simile; Eccli. XIII. Ista omnia sunt D. Thomæ, 1 2, q. 27, in omnibus articulis.

380. Amor potest habere effectus aliquos intra ipsam voluntatem, seu appetitum; alios ad extra. Si loquamur de effectibus intra se, numerantur quatuor, ad quos alii reducuntur, scilicet unio, inhæsio mutua seu intima, extasis, zelus. Reducuntur vero ad istos liquefactio seu vulneratio, fruitio, languor et fervor. — Unio est effectus amoris: non affectiva, quæ est ipsa amoris affectio; sed effectiva, qua tendit ad realem assecutionem et amplexum amati. Unde triplex unio solet distingui:

quædam antecedens amorem, quædam constituens, quædam subsequens: et ista est effectus ejus. Unio antecedens erga alios est similitudo, seu proportio; erga se ipsum identitas: inde causatur amor. Unio constituens est ipse affectus amoris, quo quis se habet ad amatum ut aliquid sui in appetitu. Unio consequens est unio realis, ad quam quærendam movetur quis ex amore, quatenus quærit realem præsentiam amati, et ei convivere. Et in hoc excellit unio amoris unionem cognitionis. In secunda vero unio cognitionis excedit unionem amoris, quia unio amoris solum est per affectum et inclinationem ad aliud: cognitionis vero per similitudinem, quæ est ipsa res intentionaliter; sed non quærit realem unionem sicut amor.

381. Mutua inhæsio non sumitur pro conjunctione: sic enim esset idem quod unio; sed pro intima perscrutatione, qua amans ingreditur in amatum, nec sola superficiali tensione est contentus. Quæ intima adhæsio fit tam in apprehensione quam in voluntate: in apprehensione quidem quatenus continue cogitatur de re amata, etiam quoad ejus intima perscrutans singillatim omnia; in voluntate autem quatenus complacet in re amata, et in his quæ ad eam pertinent, radicando intime istam complacentiam in his quæ illius sunt: et sic dicuntur viscera charitatis, quasi intima complacentia non solum ad rem, vel personam, sed ad omnia quæ illius sunt, quatenus perfecte amans non quærit superficialiter tantum alterum tenere vel frui, sed perfecte et quoad intima. Et sic adhæsio est conglutinatio amantis ad amatum, sicut dicitur I. Reg. XVIII: Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.

382. Extasis est quædam vis amoris, qua ponitur amans extra se. Est autem aliquis extra se tam in vi apprehensiva, quam in appetitiva: in apprehensiva, quia ponitur extra modum ordinarium cognitionis, vel per elevationem ad superiora, vel per abstractionem a sensibus, vel per casum in furiam et amentiam, in appetitiva autem ponitur extra se in quantum quærit ea quæ extra se sunt, et quasi extraneatur quis a se propter alterius amorem, et facit ea quæ non videntur sibi convenire. Et hic effectus non est entitas distincta ab amore, sed vehemens extensio.

383. Zelus est motus animæ per modum doloris aut tristitiæ

contra id quod impedit quietam et adæquatam fruitionem aut consecutionem rei amatæ; sicut zelus invidiæ est motus contra impetum excellentiæ intentæ. Et quia in uxore maxime impeditur ejus fruitio, si consortium habeat cum alio, ideo zelus maxime est ad conjuges. Erga amicos etiam zelus est, quatenus movetur aliquis contra omne impeditivum boni amicorum. — Alii effectus, quos posuimus, reducuntur ad istos. Liquefactio resolvit duritiam cordis ne obsistat amato ut intret ad se. Et ad idem pertinet vulneratio cordis, qua aperit animum alteri ut in corde locum habeat: et hæc aperitio est vulneratio, præsertim si sit cum quodam sensu et violentia nondum fruendi amato. Fruitio est effectus amoris pro re præsenti in qua quiescit. Pro absenti vero sequuntur duo effectus, scil. tristitia de ipsa absentia, quæ est languor animi, et fervor de consecutione amati per intensum desiderium. Omnia ista sunt D. Thomæ, 1 2, q. 28.

384. Passio ista moderatur mediante virtute temperantiæ; et etiam passiones appetitus concupiscibilis. Ita D. Thomas, 2 2, q. 141, art. 2: Temperantia retrahit ab his quæ contra rationem appetitum alliciunt. Et artic. 3: Temperantia, quæ importat moderationem quamdam, præcipue consistit circa passiones tendentes in bona sensibilia, scilicet circa concupiscentiam et delectationem; ex consequenti autem circa tristitias quæ contingunt ex absentia talium delectationum. Et art. 4: Oportet quod temperantia sit circa concupiscentias maximarum delectationum; et quia delectatio consequitur operationem connaturalem, tanto aliquæ delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis connaturales. Maxime autem naturales animalibus sunt operationes quibus conservatur natura individua per cibum et potum, et natura speciei per conjunctionem maris et feminæ: et ideo circa delectationes ciborum et potuum, et circa delectationes venereorum est præcipue temperantia: quæ delectationes consequuntur sensum tactus. Passio ista moderatur omnibus virtutibus quæ pertinent ad temperantiam: nempe verecundia et honestate, quæ sunt partes integrales ejus; abstinentia, sobrietate, castitate et patientia, quæ sunt partes subjectivæ; continentia, humilitate, mansuetudine, clementia, modestia, quæ sunt partes potentiales. Et omnes istæ virtutes valent ad moderandas omnes passiones appetitus concupiscibilis, ut docet D. Thomas.

ARTICULUS III.

De secunda passione, quæ vocatur odium.

385. Odium est dissonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. Ubi dissonantia non sumitur pro relatione, sed pro effectu, seu actu fundante illam. Est autem duplex odium: scilicet abominationis, oppositum amori concupiscentiæ; et odium inimicitiæ, oppositum amori amicitiæ: et in utroque objectum repugnans. Dissonantia non est enim nisi circa repugnans: quod enim est conveniens, ut tale non dissonat. Sed tamen, cum in amore interveniat duplex objectum: cui et quod; similiter et in odio: taliter tamen quod in odio abominationis, quod correspondet concupiscentiæ, dissonantia est circa rem amatam, seu objectum quod; circa objectum vero cui, est amor seu consonantia: abominatur enim quis id quod sibi repugnat, quia diligit se; in odio autem inimicitiæ dissonat ipsa persona inimici, cui volo malum; res vero volita, seu objectum quod, non dissonat, sed est volitum et amatum; et non quatenus malum formaliter, sed quatenus id quod est malum alteri reputatur bonum et consonum mihi: et ex hac parte induit rationem appetibilis, quatenus fundatur in aliqua ratione boni. Nec id quod in ratione inimicitiæ habet(*ur*) de malo potest esse volitum, etiam sub formalitate inimicitiæ, nisi prout fundatur et originatur ex aliquo bono concupiscentiæ, et ex bono proprio, unde omnis amicitia vel inimicitia originatur. Et sic licet causa odii ex parte objecti sit objectum repugnans et dissonans, tamen ex parte subjecti amor est causa odii: ex eo enim aliquid est repugnans, quia est nocivum vel corruptivum convenientis quod amatur; et ex hoc sumo rationem volendi alteri malum, quia illud mihi est bonum.

386. Nec repugnat odium dividi contra amorem, et esse simul cum illo, licet sit prius illo realiter, ut occasio vel causa ejus, quia non repugnant amor et odium respectu diversorum, scilicet amor sui et odium alterius, cui volo malum, quatenus bonum mihi. Unde colligitur quod amor est fortior odio simpliciter loquendo, quia est causa ejus, et præbet vires illi. Quanto

enim quis fortius amat id quod est conveniens, tanto fortius repugnat opposito talis convenientis; licet secundum quid odium dici possit fortius, quia magis sentimus propter subjecti repugnantiam. Nec odium superat et destruit amorem alicujus, nisi quia nascitur ex fortiori amore sui vel alterius. Et sic odium inimicitiæ non vult alteri malum sub ratione mali objecti, sed mali affectus pro illo: quod apparet mihi bonum et appetibile, quatenus destruit inimicum.

387. Non potest aliquis odio habere se ipsum per se loquendo, quia naturaliter vult sibi bonum, scilicet esse et conservari: velle autem bonum est amare. Per accidens autem potest se odio habere, aut quia sub apparentia boni vult id quod in re est malum, puta mortem, aut culpam, quatenus minus se amat volendo evadere ærumnas per mortem, aut non tolerare carentiam sensibilium per culpam. — Veritatem autem in communi non potest odio habere, et secundum se: bene tamen in particulari, et secundum aliquos effectus, ut quia redarguit, vel impedit prosecutionem alicujus rei amatæ. Potest tamen in universali aliquid odio haberi respectu voluntatis, quæ apprehendit res in universali, quia regulatur penes cognitionem intellectus, quæ est cum universalitate. Hæc omnia sunt sancti Thomæ, 1 2, q. 29, in omnibus articulis.

388. Passio ista moderatur contrario suo, nempe amore. Et duplici medicamine utendum est, quod magnus medicus animarum Christus docuit. Qui cum dixisset: Diligite inimicos vestros, statim subjecit: Benefacite his qui oderunt vos. Et postea: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos. — D. Thomas, in III, dist. 30, a. 1, quærit utrum omnes teneantur diligere inimicos, et respondet quod secundum hoc tenemur aliquem diligere, secundum quod nobiscum aliquam communicationem habet. Inimicus autem noster habet quamdam nobiscum communicationem in natura, secundum quam est possibilis ad communicandum nobiscum in divina vita: et ideo in his quæ pertinent ad naturam suam et ad gratiam habendam, debemus eum diligere; sed inimicitiam suam, quam adversus nos habet, non debemus diligere, quia secundum eam nobiscum non communicat, nec etiam sibi ipsi: sed magis contrariatur. Et D. Thomas, 2 2, q. 25, art. 8, quærit utrum sit de necessitate charitatis ut inimici diligantur. Et respondet quod di-

lectio inimicorum tripliciter potest considerari. Uno quidem modo ut inimici diligantur in quantum sunt inimici: et hoc est perversum et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali: et sic dilectio nimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis idiligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: et istud non est de necessitate charitatis absolute; est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis.

389. D. Thomas exponens illud D. Pauli ad Rom. XII: Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere, dicit sic: Apostolus ostendit qualiter charitas sit exhibenda etiam inimicis. Benedicere est bonum dicere. Contingit autem bonum dicere tripliciter. Uno modo enuntiando, puta cum quis bonum alterius laudat; Eccli. XXXI: Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele. Alio modo imperando, et sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cujus imperio bonum ad creaturas derivatur: ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum invocant; Num. VI: Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Tertio, benedicit aliquis optando; Psal. CXXVIII: Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos. Et secundum hoc est bonum alicui velle, et quasi bonum pro aliquo precari. Et hoc modo accipitur hic. Unde in hoc quod dicitur: " Benedicite persequentibus vos, „ datur intelligi quod etiam ad inimicos et persecutores debemus esse benevolos, bona optando et pro eis orando. " Benedicite, et nolite maledicere, „ idest ita benedicetis, quod nullo modo maledicatis. Quod est contra quosdam, qui ore benedicunt, et corde maledicunt, secundum illud Psal. XXVII: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

ARTICULUS IV.

De passione desiderii, seu concupiscentiæ.

390. Concupiscentia de se pertinet ad appetitum concupiscibilem, quia versatur circa delectabile: hoc enim concupiscimus quod delectat; sed voluntas, seu appetitus intellectivus, appetit delectabile secundum spiritualem portionem tantum: appetitus autem sensitivus appetit delectabile secundum sensum, quod est animæ et corporis simul. Concupiscentia, seu cupiditas, potest accipi dupliciter: uno modo large pro omni appetitu boni, sive sit amor, sive spes, sive fruitio; alio modo specialiter, prout distinguitur a delectatione et amore communiter dicto: et sic importat amorem inhiantem ad id quod sibi deest; ea enim concupiscimus et inhiamus quæ nondum habemus, secundum illud Augustini: Appetitus inhiantis fit amor fruentis. Sic ergo distinguendo concupiscentiam a fruitione, concupiscentia est de absenti: et sic est desiderium, distinguiturque specie in ratione passionis et appetitivi ab amore, delectatione et spe. Habet ergo respicere pro objecto formali bonum delectabile absolute, seu ut concupiscibile, non ut assequibile, per modum absentis; amor autem respicit bonum absolute, non ut induit motivum speciale ex absentia aut præsentia, sed ratione sui præcise; delectatio, ut movetur a præsentia qua fruitur; spes respicit quidem futurum, sed non ut concupiscibile, sed ut assequibile irrumpendo et vincendo difficultates, et sic pertinet ad irascibilem: concupiscentia autem specialis, quæ est desiderium, respicit bonum ut absens, et sic illud desiderat.

391. Variantur species passionum in appetitu sensitivo penes absens et præsens, quia licet præsens et absens secundum se sint differentiæ accidentales rei in esse physico consideratæ, aut etiam in genere intelligibili, tamen in genere appetibili constituunt diversas species, eo quod præsens et absens non sumuntur in præsenti pro approximatione vel remotione causæ, quod solum pertinet ad applicationem et conditionem causandi: sed pro motivo proprio et formali appetendi, quia cum appe-

titus sit inclinatio quædam et pondus in rem, induit diversam rationem motivi ipsum appetibile, quando movet ut quietans seu possessum, et quando sine possessione et cum motu; sicut in intellectu veritas quæ facit quietare intellectum, et veritas quæ facit fluctuare et non quiescere faciunt assensus specie distinctos: illa enim prima est veritas evidens et convincens, facitque scientiam; hæc est obscura et credita, facitque opinionem vel fidem: sic ergo absens bonum facit appetibilitatem fluctuantem, et cum anxietate, et per modum inhiantis, quod est desiderium; præsens autem et possessum facit quietam et pacificam appetibilitatem, quæ in ipsa ratione motivi et appetibilis formaliter et specifice facit differre.

392. Concupiscentiæ naturales a non naturalibus distinguuntur ex objecto. Dicuntur naturales concupiscentiæ quando objectum importat convenientiam et delectabilitatem respectu naturæ animalis, puta respectu vitæ, vel conservationis, ut cibus et potus, et similia. Dicuntur autem non naturales quando sunt de objecto convenienti et delectabili ipsi apprehensioni, aut secundum apprehensionem, ut in his quæ secundum æstimationem concupiscuntur, ut honores, divitiæ, aut secundum spectaculorum delectationem, et similia. — Dicitur quod concupiscentia est infinita, idest incessabilis, aut sine mensura et determinatione: et est intelligendum quod concupiscentia naturalis, cum sit de aliquo a natura determinato circa determinatum finem, non est infinita; sed determinata et certa secundum se et secundum speciem, ex determinato fine sumens mensuram, qui a natura seu ab auctore naturæ sibi apponitur, non a se determinatur, licet in potentia et secundum exercitium individuale possit in infinitum sincategorematice extendi ratione successionis: sicut post hunc cibum et potum oportet alium postea sumere, quia qui biberit ex hac aqua sitiet iterum, et sic in infinitum. Concupiscentiæ autem non naturales, quia regulantur ratione et discursu, qui ad infinita se habet, nec determinatum finem exigit, sed ad quemlibet potest se vertere, infinitæ sunt, quia quidquid boni apprehendi potest, desiderari potest. Omnia ista sunt D. Thomæ, 1 2, q. 30.

393. Passio concupiscentiæ, si est circa venerea, moderatur castitate et virginitate; si est circa cibos, moderatur abstinentia et sobrietate. D. Thomas, 2 2, q. 151, art. 1, loquendo de ca-

stitate, dicit quod nomen castitatis sumitur ex hoc quod per rationem concupiscentia castigatur, ut patet per Philosophum in III Ethic. In hoc autem ratio virtutis humanæ consistit quod sit aliquid secundum rationem modificatum. Et artic. 2 dicit quod castitas proprie est quædam specialis virtus habens specialem materiam, scilicet concupiscentias delectabilium quæ sunt in venereis. (*Idem*) D. Thomas, Opusc. XVIII, c. 8: Inter omnes autem inferiores passiones maxime rationem absorbet concupiscentia carnis et venereorum usus; unde Augustinus dicit in primo libro Soliloquiorum: Nihil esse sentio quod magis ex arce virtutis dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminæ, corporumque ille contactus sine quo uxor haberi non potest; et ideo continentia est maxime necessaria ad perfectionem consequendam, quia sine illa impeditur animus ne libere possit Deo vacare. Et in eodem Opusc., c. 19, assignat remedium septuplex castitatis contra concupiscentiam et luxuriam: scilicet maceratio carnis per abstinentiam, vigilias, et hujusmodi; contemplatio divinorum et oratio, studium Scripturarum, cogitatio sancta, exercitium contra otium, labor et angustia, et solitudo. Caro enim, quæ semper concupiscit adversus spiritum, animam et mentem per sua desideria combureret, nisi eam per virtutem castitatis ratio coerceret. Castitas est sicut quoddam genus eboris, quod in terra cum lapidibus generatur secundum Plinium; cui talis est virtus quod corpora in eo sepulta a putredine solet præservare: idem dico de ebore candido castitatis.

394. D. Thomas, 2 2, qu. 152, art. 1, loquens de virginitate, dicit quod nomen virginitatis a virore sumptum videtur. Et sicut illud dicitur virens, et in suo virore persistere, quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum: ita etiam virginitas hoc importat, quod persona cui inest immunis sit a concupiscentiæ adustione: quæ esse videtur in consummatione maximæ delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio. — In delectatione autem venereorum tria est considerare: unum quidem quod est ex parte corporis, scil. violatio signaculi virginalis; aliud autem est in quo conjungitur id quod est animæ cum eo quod est corporis, scilicet ipsa resolutio seminis delectationem sensibilem causans; tertium est solum ex parte animæ, scilicet propositum perveniendi ad

talem delectationem. Primum per accidens se habet ad moralem actum; secundum materialiter: nam sensibiles passiones sunt materia moralium actuum; tertium se habet formaliter et completive. Quia ergo virginitas dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, consequens est quod integritas membri corporalis per accidens se habeat ad virginitatem. Ipsa autem immunitas a delectatione quæ consistit in seminis resolutione, se habet materialiter. Ipsum autem propositum perpetuo abstinendi a tali delectatione se habet formaliter et completive in virginitate. D. Thomas in IV, dist. 33, q. 3, art. 2 ad 5: Temperantia principaliter consistit in cohibendo delectationes: unde de principali intentione sua habet quemdam actum interiorem, scilicet electionem refrænandi concupiscentias: sed exteriorem non habet quantum ad id quod est principale in ipsa, nisi per accidens et ex consequenti, in hoc scilicet quod aliquos actus exteriores adhibet ad cohibendum a delectationibus; quos magis imperat quam eliciat, sicut recedendo ab aspectibus concupiscibilium: uti enim delectationibus secundum mensuram rationis est de secundaria intentione temperantiæ. Et quia virginitas est principalissimum in temperantia, ideo non habet actum exteriorem, nisi ex consequenti; sed omnino usum exteriorem concupiscentiæ cohibet. — Virginitas laudatur octupliciter, quia carnis munditiam conservat, animam decorat et ornat, angelis cœli assimilat, Christo desponsat, Deo jungit et approximat, cæteris statibus præponderat, odorem bonæ famæ aspirat, ad nuptias æternas invitat.

395. Si concupiscentia sit circa cibos, moderatur abstinentia et sobrietate. D. Thomas, 2 2, qu. 146, art. 1, affirmat quod abstinentia ex suo nomine importat subtractionem ciborum. Dupliciter enim nomen abstinentiæ accipi potest. Uno modo secundum quod absolute ciborum subtractionem designat: et hoc modo abstinentia non designat neque virtutem neque actum virtutis, sed quoddam indifferens. Alio modo potest accipi secundum quod est ratione regulata: et tunc significat vel habitum virtutis, vel actum. Et hoc significatur in præmissa auctoritate Petri, ubi dicitur in scientia esse abstinentiam ministrandam: ut scilicet homo a cibis abstineat prout oportet pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necessitate. Ad 2 dicit quod moderatio

ciborum secundum quantitatem et qualitatem pertinet ad artem medicinæ in comparatione ad valetudinem corporis. Sed secundum interiores affectiones in comparatione ad bonum rationis, pertinet ad abstinentiam. Ad 3: Ad temperantiam pertinet refrænare delectationes quæ nimis animum ad se alliciunt. In art. 2 dicit quod virtutes morales conservant bonum rationis contra impetus passionum; et ideo ubi invenitur specialis ratio, qua passio abstrahit a bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem a bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam propter necessitatem ciborum quibus homo indiget ad vitæ conservationem, quam maxime homo desiderat. Et ideo abstinentia est specialis virtus. Ad 2 dicit quod per abstinentiam corpus castigatur non solum contra illecebras luxuriæ, sed etiam contra illecebras gulæ: quia dum homo abstinet, magis redditur fortis ad impugnationes gulæ vincendas, quæ tanto fortiores sunt quanto magis homo eis cedit. Et tamen non prohibetur per hoc abstinentiam esse specialem virtutem, quod ad castitatem valet, quia una virtus ad aliam juvat.

396. D. Thomas, 2 2, q. 149, art. 1, loquendo de sobrietate, dicit: Virtutes quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam sibi specialiter vindicant, in qua difficillimum et optimum est conditionem hujusmodi observare sicut fortitudo pericula mortis, et temperantia delectationes tactus. Nomen autem sobrietatis sumitur a mensura. Dicitur enim aliquis sobrius, quasi *briam*, idest mensuram, servans. Et ideo illam materiam specialiter sibi sobrietas adscribit, in qua maxime laudabile est mensuram servare. Hujusmodi autem est potus inebriare valens, quia ejus usus mensuratus multum confert, et modicus excessus multum lædit, quia impedit usum rationis magis etiam quam excessus cibi. Unde dicitur Eccli. XXXI: Sanitas est animæ et corporis sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit. Et ideo specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcumque, sed eum qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum et omne quod inebriare potest. Communiter autem sumendo nomen sobrietatis, potest in quacumque materia dici. — *Adde Append.*, nn. 203-204.

ARTICULUS V.

De fuga, seu abominatione.

397. Ex odio mali consurgit fuga ipsius; quæ passio est quidam recessus a malo dissono, sive motus recessionis, quo appetitus animalis ab illo tamquam a nocivo recedit: in homine propter rationem cui conjungitur vocatur abominatio. Hic motus appetitus animalis opponitur desiderio seu concupiscentiæ, sicut odium opponitur amori, eique in sua contrarietatis oppositione correspondet. Nam amor, quia respicit bonum per modum conversionis, excitat in appetitu animali desiderium aut concupiscentiam, tamquam motum quo ad bonum conveniens accedit, ut illud adipiscatur et possideat: sic odium, quia respicit malum per modum aversionis, excitat in eodem appetitu fugam aut abominationem, tamquam motum quo a malo disconvenienti recedit, ut illud evitet.

398. Quia hic motus fugæ sequitur ad motum odii, inde est quod simili fere modo debet dirigi. Unde sicut solum verum malum, quod est peccatum, vitium, et alia his annexa, debemus odio habere simpliciter: sic etiam hoc solum malum debemus simpliciter fugere; alia vero mala pœnæ, quæ simpliciter mala non sunt, imo plerumque sunt bona maxima, non semper debemus fugere, sed sæpe debemus amplecti. Amatores sui et filii hujus sæculi refugiunt omnia quæ repugnant amori proprio, quales sunt labores, afflictiones, despectus et opprobria; sequuntur autem quæ eidem amori proprio congruunt, etiamsi peccatis admisceantur, quales sunt voluptates carnis, honores mundi, dignitates sæculi, et similia. Sed discipuli Christi, veri imitatores crucis, fugiunt tantum a facie peccati tamquam a facie colubri, et pericula peccati devitant.

399. Discipuli Christi vere imitatores sunt crucis. Paulus ad Galat. II: Christo confixus sum cruci. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Configitur cruci, inquit Ambrosius, qui, æmulus vestigiorum ejus, nulla mundi concupiscentia capitur; Deo vivens, mundo mortuus videtur. Qui enim non agit quæ mundi sunt, mortuus est mundo, et vivit in eo Christus

ut interpretationem sequamur Chrysostomi, quoniam se ipsum Christo Domino ac cruci præbuerat, cunctaque rejecerat temporalia, et ad illius voluntatem faciebat omnia; ideo non dicit: vivo Christo; sed quod longe majus est: Vivit in me Christus. Vivit ergo in perfectis Deus, ut illi transformentur in ipsum: non quia naturam humanam perdant, sed quia similitudinem quamdam sanctitatis induunt. Oh! quam apte Bernardus, lib. De diligendo Deo: Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere a se totaliter videtur, dum et saporem vini induit et colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tantum illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem mirabili quodam et ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

400. Debemus fugere occasiones peccatorum. Eccli. III: Qui enim amat periculum, in illo peribit. Quis autem non videt occasiones peccati cadendi esse pericula, in quæ certe homo temere se conjiciens, quam tanto labore quæsierat vitam spiritualem amittat? Cui optime congruit quod sequitur: Cor ingrediens duas vias non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. Nam revera duas vias ingreditur, justitiæ et peccati, cœli et gehennæ, qui nunc confessionem peccatorum sectatur, quæ via justitiæ est; nunc vero ad occasionem, quæ via est peccati, revertitur. Hujusmodi non habent felicem eventum, quia nemo potest duobus dominis servire. Levit. XIX, prohibitum est terram duplici semine seminare, vestem lana linoque contexere, et bove simul et asino terram aratro proscindere: ut intelligas hominem illum esse abominabilem Domino, qui vult vitium et virtutem miscere; et nunc mediis virtutibus insistere, nunc vero ad occasiones peccati redire.

ARTICULUS VI.

De passione delectationis.

401. Delectatio est passio, quia fit cum mutatione et motu, et pertinet ad appetitum concupiscibilem. Quia tamen inveni-

tur in appetitu intellectivo, seu voluntate, quæ etiam fruitur suo objecto, vocatur gaudium. Delectatio est quidam motus animæ, et constitutio simul tota et sensibilis, in naturam existentem; idest affectio seu passio animæ per modum quiescentis (id significat: tota simul), quæ sentitur seu percipitur circa rem præsentem, seu existentem. Delectatio quæ fit in voluntate, non est passio; sed simplex actus fruitionis, qui dicitur gaudium: proprie enim gaudium non attribuimus nisi ratione utentibus, sicut et alia nomina quæ ratione aliquorum effectuum interiorum vel exteriorum gaudium significant, ut lætitia a dilatatione cordis, quasi latitia; exultatio et jucunditas ab exterioribus signis vel effectibus lætitiæ. — Delectationes spirituales secundum se excedunt corporales; sed quoad nos vehementius movent corporales delectationes. Inter delectationes autem corporales simpliciter excedunt delectationes tactus, loquendo in linea corporali; ut autem sensus deserviunt intellectui, eique ministrant, potiores sunt delectationes visus.— Plures sunt causæ delectationis. Ratio formalis delectationis est illa in qua concurrunt duæ conditiones, scilicet conjunctio seu præsentia, et possessio boni amati seu convenientis. Et ratio formalis delectationis semper reperitur in aliqua operatione. Materia autem quæ delectationem causat, est multiplex: motus, spes, memoria, tristitia, actiones aliorum, benefacere aliis, similitudo, admiratio. — Effectus delectationis sunt dilatare cor, perficere operationem, causare sitim et desiderium sui. Extraneæ autem et superexcedentes delectationes habent etiam alium effectum, scilicet impedire usum rationis propter contrarietatem ad ipsam. Delectationes sunt malæ quæ requiescunt in aliquo quod repugnat rationi, ut delectationes sensibiles immoderatæ in cibo, potu, venere, etc. Sunt bonæ quæ requiescunt in aliquo conformi rationi, ut delectationes spirituales virtutis, et sensibiles moderatæ. Omnia ista sunt D. Thomæ, 1 2, q. 31 et 32, et in aliis quæ sequuntur.

402. Delectationes sensibiles moderantur virtute continentiæ. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 155, art. 1: Continentia dupliciter sumitur a diversis. Quidam enim continentiam nominant per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet. Unde et Apostolus, ad Galat. v, continentiam castitati conjungit. Et sic continentia perfecta principalis quidem est virginitas, secun-

daria vero viduitas. Unde secundum hoc eadem ratio est de continentia quæ de virginitate. Alii vero dicunt continentiam esse per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementes existunt. Et hoc modo accipit Philosophus continentiam in VII Ethicorum; hoc etiam modo accipitur continentia in Collationibus Patrum. Hoc autem modo continentia habet aliquid de ratione virtutis, in quantum scilicet ratio firmata est contra passiones, ne ab eis deducatur.

403. In art. 2, solutione ad 1, dicit quod sicut nomen temperantiæ potest communiter accipi in quacumque materia; proprie tamen dicitur in illa materia in qua est optimum hominem refrænari: ita etiam continentia proprie dicitur in materia in qua est optimum et difficillimum contineri, scilicet in concupiscentiis delectationum tactus; communiter autem et secundum quid potest dici in quacumque alia materia. Ad 4 dicit quod delectationes venereorum sunt vehementiores quam delectationes ciborum. Et ideo circa venerea magis consuevimus continentiam et incontinentiam dicere quam circa cibos, licet, secundum Philosophum, circa utrumque possit dici.

404. Juvat etiam ad moderandas delectationes sensitivas verecundia; quia, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 144, art. 1 ad 2, verecundia est timor turpitudinis et exprobrationis. Dictum autem est, q. 142, art. 4, quod vitium intemperantiæ est turpissimum et maxime exprobrabile. Et ideo verecundia magis principaliter pertinet ad temperantiam quam ad aliquam aliam virtutem ratione motivi, quod est turpe: non autem secundum speciem passionis, quæ est timor. Secundum tamen quod vitia aliis virtutibus opposita sunt turpia et exprobrabilia, potest etiam verecundia ad alias virtutes pertinere. Ad 3 dicit quod verecundia fovet honestatem, removendo ea quæ sunt honestati contraria: non ita quod pertingat ad perfectam rationem honestatis.

405. Juvat etiam ad moderandas delectationes sensitivas jejunium. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 147. Nam art. 1 dicit quod jejunium valet ad concupiscentias carnis reprimendas, ac per consequens ad reprimendas delectationes. Art. 2 docet quod eadem est materia habitus et actus. Unde omnis actus virtuosus qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet quæ medium in illa materia constituit. Jejunium autem at-

tenditur in cibis, in quibus medium adinvenit abstinentia. Unde manifestum est quod jejunium est abstinentiæ actus. In solut. ad primum dicit: Jejunium proprie dictum consistit in abstinendo a cibis.

ARTICULUS VII.

De passione doloris, seu tristitiæ.

406. Sicut delectatio et gaudium se habent in bono, ita dolor et tristitia in malo; delectamur enim in bono convenienti nobis conjuncto, dolemus de disconvenienti illato. Dolor est circa malum conjunctum in appetitu sensitivo; et in voluntate vocatur tristitia: sicut delectatio, gaudium. — Quatuor sunt species tristitiæ, scilicet acidia, anxietas, misericordia, invidia. Quæ species sunt accidentales et materiales, quatenus sumuntur ex aliqua extrinseca materia, cui diversimode applicatur fuga, seu tristitia appetitus; aut ex diversis effectibus quos causant. Etenim objectum proprium et per se tristitiæ est malum proprium; malum autem extraneum reputatum ut proprium causat diverso modo tristitiam: si enim est malum in alio, et movet ad compassionem ut sublevetur, est misericordia: si vero non est malum in altero, sed bonum quod in ipso est reputatur ut malum proprium, sic est invidia; sub qua continetur zelus de excellentia aliena, et nemesis quæ tristatur de prosperitate malorum. Ex parte autem effectuum sumitur anxietas et acidia: anxietas enim seu angustia est aggravatio animi, quæ nullum relinquit effugium; acidia vero, quando aggravatio ista pervenit usque ad membra exteriora, et ponit in eis quasi torporem aut stuporem, præsertim vocem impediendo.

407. Causa doloris ex parte rationis formalis est malum conjunctum; ex parte rationis materialis, licet tot sint objecta quot mala disconvenientia subjecto, tamen generaliter ad tria genera reducuntur: per se enim et directe est causa tristitiæ potestas cui resisti non potest in inferendo malum; siquidem tristitia causatur ex adhæsione et conjunctione mali contra inclinationem appetitus. Illa ergo causa quæ talem adhæsionem facit, remanente in contrarium inclinatione appetitus, causa est tristitiæ. Quod si inclinatio in contrarium non maneret, jam

illud malum non esset ei disconveniens, neque malum. Per accidens autem causatur tristitia ex concupiscentia, seu desiderio; et ex appetitu unitatis, quatenus natura resolutionem suarum partium, vel perfectionum abhorret. Causatur enim per se in nobis tristitia ex conjunctione et adhæsione rei disconvenientis.

408. Tristitia maxime est impeditiva operationum, præsertim si sit nimia (si enim relinquit spem evadendi, adhuc conatur ad expulsionem mali): cum enim causatur tristitia ex conjunctione mali, seu disconvenientis, non relinquit facultatem expeditam ad suas actiones, quia remanet disconvenienter disposita. Et quia actiones oriuntur a voluntate et appetitu, si ex malo adjuncto est inconvenienter dispositus, non possunt convenienter oriri operationes. Et sic aggravatio, seu pondus animi est effectus tristitiæ, quatenus constringit et premit cor, sicut gaudium dilatat. — Ex parte corporis ista passio est maxime nociva, quia cum oriatur ex malo præsente aggravante, ejus impressio est fortior, et constrictio cordis est major. Ex constrictione autem motus cordis, directe vita resolvitur quæ in motu cordis consistit. Et ideo dicitur Eccli. xxxviii: A tristitia festinat mors. Omnia remedia tristitiæ reducuntur ad unam rationem formalem, scilicet ad aliquam delectationem, aut ex parte animi, aut ex parte corporis: delectatio enim contrariatur tristitiæ; unum contrarium aliud expellit. Quæcumque ergo nata sunt facere delectationem in contristato, et convenienter se habere ad ipsum, mitigant tristitiam, aut quia simpliciter delectant, aut quia efficiunt ne malum augmentetur, aut cum minori aggravatione feratur. Sic in remedium tristitiæ maxime juvat contemplatio veritatis et futuræ beatitudinis, quæ per labores acquiritur; et conformatio ad divinam voluntatem, cui hoc placet: id enim maxime delectabile est, præsertim animo ad sapientiam disposito, et qui ducitur spiritu: animalis enim homo talem consolationem non recipit. Secundo, juvat contra tristitiam compassio amicorum, quatenus homo sentit se ab eis amari, et ab ipsis juvari in ferendo tribulationem: et hoc est multum delectabile et alleviativum. Tertio, per corporalia remedia lenitur tristitia, ut per fletum et gemitum, quatenus sic manifestatur et proditur dolor et malum, nec permittitur intus occlusum augmentari. Omnia ista sunt D. Thomæ, 1 2, a quæst. 35 usque ad 40.

409. Passio doloris minuitur per innocentiam patientis quantum ad numerum, quia cum nocens patitur, dolet non solum de pœna, sed etiam de culpa: innocens autem solum de pœna. Ita D. Thomas, 3 p., q. 46, art. 6 ad 5. Minuitur enim dolor per considerationem. — Dolor Christi fuit maximus interior et exterior in sua passione. Ita D. Thomas, 3 p., qu. 46, art. 6. Et probat in argumento Sed contra, ex illo Thren. I (*ubi*) dicitur de persona Christi: Attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. In corpore probat quia in Christo patiente fuit verus dolor et sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo; et dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocumenti, qui tristitia dicitur. Uterque autem dolor in Christo fuit maximus inter dolores præsentis vitæ: quod quidem contigit propter quatuor. Primo quidem propter causas doloris: nam doloris sensibilis causa fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit tum propter generalitatem passionis, tum etiam ex genere passionis, quia mors confixorum in cruce est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et in pedibus; et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem; et cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur sicut hi qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris causa fuit primo quidem omnia peccata humani generis, pro quibus omnibus satisfaciebat patiendo, unde ea quasi sibi adscribit dicens in Psal. XXI: Verba delictorum meorum; secundo specialiter casus Judæorum et aliorum in ejus morte delinquentium, et præcipue discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione; tertio etiam amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis humanæ naturæ. — Secundo, potest magnitudo doloris ejus considerari ex perceptibilitate patientis et secundum animam, et secundum corpus. Nam et secundum corpus erat optime complexionatus, cum corpus ejus fuerit formatum miraculose operatione Spiritus sancti: sicut et alia quæ per miracula facta sunt fuerunt aliis potiora, ut Chrysostomus dicit de vino in quod Christus aquam convertit in nuptiis; et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ. — Tertio, magnitudo doloris Christi patientis potest considerari ex doloris et tristitiæ pu-

ritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis per quamdam derivationem, seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores : quod in Christo patiente non fuit, quia unicuique virium permisit agere quod est sibi proprium, sicut Damascenus dicit. — Quarto potest considerari magnitudo doloris Christi patientis ex hoc quod passio illa et dolor a Christo fuerunt assumpta voluntarie propter finem liberationis hominum a peccato. Et ideo tantam quantitatem doloris assumpsit quæ esset proportionata magnitudini fructus qui inde sequebatur.

410. Explicans D. Thomas illud Isaiæ LIII : Novissimum virorum , virum dolorum , dicit sic : Christus fuit novissimus. Primo , propter doloris acerbitatem ; Thren. III : O vos omnes qui transitis per viam , etc. Secundo , propter mortis turpitudinem ; Sap. II : Morte turpissima condemnemus eum. Tertio , propter impositionem criminis ; Prov. III : Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. " Virum dolorum. „ Christus fuit plenus doloribus. Primo , propter mortis acerbitatem ; Isa. I : A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Secundo, propter gratiarum effusionem ; Joan. I : De plenitudine ejus omnes accepimus ; gratiam pro gratia. Tertio, propter nostram obligationem ; II. Cor. V : In hoc Christus mortuus est ut justificati per gratiam ipsius, etc. Igitur qui voluerit minuere dolorem, convertat oculos suos ad Christum.

411. Passio doloris minuitur per patientiam. Ita D. Thomas, 2 2, q. 136, art. 1 : Virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conservant bonum rationis contra impetus passionum. Inter alias autem passiones tristitia efficax est ad impediendum bonum rationis, secundum illud II. Cor. VII : Sæculi tristitia mortem operatur ; et Eccli. XXX : Multos occidit tristitia , et non est utilitas in illa. Unde necesse est habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat. Hoc autem facit patientia. Unde Augustinus dicit, in libro De patientia, quod patientia hominis est qua mala æquo animo toleramus , idest sine perturbatione tristitiæ ; ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora pervenimus. Et art. 2 , solutione ad 1, dicit quod patientia dicitur habere opus perfectum in adversis tolerandis, ex quibus primo procedit tristitia, quam moderatur patientia.

ARTICULUS VIII.

De passione spei.

412. Spes, prout est animæ passio, est motus appetitivæ virtutis consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci: scilicet extensio appetitus in hujusmodi objectum. Spes includit quatuor conditiones, per quas differt ab omnibus aliis passionibus: quia versatur circa bonum, arduum, futurum, possibile adipisci. Circa bonum, non circa verum, quia spes non quærit tantum cognitionem, sed possessionem realem; nec existit aut quiescit in acquisitione intentionali objecti, sed in reali: et sic differt ab omni actu intellectus. Nec etiam est de malo, quia malum non speramus, sed fugimus: et sic differt a timore et a reliquis passionibus quæ sunt circa malum. Est circa arduum, quia id quod nullam habet contingentiam, aut periculum ut non eveniat, sed infallibiliter accidit, aut totaliter est in potestate, non speratur, quia jam possidetur, aut quasi possidetur: et sic differt a cupiditate et desiderio, quod potest versari etiam circa id quod non est arduum, dummodo sit absens aut futurum; sicut beati desiderant resurrectionem. Est circa bonum futurum, quia circa id quod est habitum et possessum non est spes: et sic differt a gaudio, quod est de re præsenti. Et denique circa possibile adipisci, quia quod judicatur impossibile dejicit animum et facit desperationem: spes autem levat animum ad adipiscendum.

413. Hæc spei passio reperitur non solum in homine, sed etiam in brutis animalibus, ut ex eorum motibus externis deprehenditur: nam si canis videat leporem, aut accipiter avem nimis distantem, non movetur ad ipsam, quasi non sperans se eam posse adipisci; si autem sit in propinquo, movetur quasi sub spe adipiscendi. Hic motus spei diversimode reperitur in homine et in aliis animalibus: nam licet etiam in brutis sit apprehensio sensitiva boni convenientis, qua excitatur in eis motus amoris et concupiscentia illius; hoc tamen fit absque discursu, ac ex quodam instinctu naturali procedente per directionem intellectus separati, ipsius scilicet auctoris naturæ;

cum tamen in homine hoc fiat cum discursu et participata ratione per directionem intellectus conjuncti. — Causa spei est experientia duplici titulo. Primo quidem quia per experientiam acquirit homo facultatem aliquid de facili faciendi; et ex hoc sequitur spes: nemo enim facere metuit quod se bene didicisse confidit. Secundo, quia per experientiam homini fit existimatio quod aliquid sit sibi possibile, quod impossibile ante experientiam reputabat. Omnia sunt D. Thomæ, 1 2, q. 40.

414. Humilitas valet ad moderandam passionem spei. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 161, art. 1: Bonum arduum habet aliquid unde attrahit appetitum, scilicet ipsam rationem boni; et habet aliquid retrahens, scilicet ipsam difficultatem adipiscendi; secundum quorum primum insurgit motus spei, et secundum aliud motus desperationis. Dictum est autem, 1 2, q. 60, art. 4, quod circa motus appetitivos, qui se habent per modum impulsionis, oportet esse virtutem moralem moderantem et refrænantem. Circa illos autem qui se habent per modum retractionis et resilitionis ex parte appetitus, oportet esse virtutem moralem firmantem et impellentem. Et ideo circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus: una quidem quæ temperet et refrænet animum ne immoderate tendat in excelsa: et hoc pertinet ad virtutem humilitatis; alia vero quæ firmet animum contra desperationem, et impellat ipsum ad prosecutionem magnorum secundum rationem rectam: et hæc est magnanimitas. Et solutione ad 3, dicit quod humilitas reprimit appetitum ne tendat in magna præter rationem rectam. Et art. 2 dicit: Ad humilitatem præcipue pertinet ut aliquis reprimat se ipsum ne feratur in ea quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est ut aliquis cognoscat id in quo deficit a proportione ejus, quod suam virtutem excedit. Et ideo cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitus: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et solutione ad 3: Refrænare præsumptionem spei pertinet ad humilitatem. Et artic. 4 dicit quod humilitas est pars temperantiæ, quia omnes virtutes refrænantes sive reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes ponuntur partes temperantiæ: et cum humilitas reprimat motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentis, ponitur pars temperantiæ.

415. Passio spei potest esse immoderata tum ex parte objecti, tum ex parte medii, tum ex parte modi: inde est quod quantum ad hæc tria debet moderari. Est immoderata ex parte objecti, dum filii hominum solis terrenis inhiantes, bona tantum caduca, vanos honores, falsas divitias et carnis sperant voluptates. Est immoderata ex parte medii, dum spem suam ponunt in terrenis principibus, in filiis hominum in quibus non est salus, non advertentes quam maledictus (*sit*) qui confidit in homine; dum ponunt in carne fortitudinem suam, non recordantes quia omnis caro fœnum: fœnum scilicet quod exsiccatum est, et cujus cecidit flos, quia ventus Domini insufflavit in eo. Est immoderata ex parte modi, dum absque consilio ac prudentia quis judicans omnia sibi esse possibilia, sperat de bono rei successu, quando foret desperandum: unde in ejus prosecutione non solum postea in vanum laborant, sed etiam notabile detrimentum incurrunt. Sed servi tui, Domine, scholæ tuæ documentis instructi, sola sperant bona cœlestia. Sperant in te, Domine, quia noverunt suavissimum nomen tuum, quoniam nunquam dereliquisti quærentes te! Experientia dulcissimæ bonitatis tuæ firmat corda illorum, et totaliter in te confidentes dicunt cum Psalmista: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo; Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos; bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine!

ARTICULUS IX.

De passione desperationis.

416. Desperatio est fuga seu recessus ab arduitate et difficultate boni sperati: difficultas enim ipsa habet quamdam rationem mali, seu disconvenientis. Unde non contrariatur spei, quia versatur circa terminum contrarium, v. gr. spes circa bonum, et desperatio circa malum, sicut amor et odium: sed quia versantur circa idem bonum contrariis viis, scilicet spes accedendo, desperatio recedendo, eo quod bonum arduum habet conditiones fundantes diversos modos. Si enim respiciatur pro parte boni, allicit, atque adeo, si sit magnum bonum, ita trahit

quod firmat ad vincendum arduum; si vero respiciatur pro parte ardui retrahit; et si sit excellens difficultas, ita retrahit quod repellit, et facit succumbere et vinci: et sic est desperatio. Desperatio non importat solum spei privationem, scilicet recessum a re desiderata: sed importat motum positivum quemdam, scilicet recessum a re desiderata propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi.

417. Ad moderandam istam passionem valet magnanimitas. Ita D. Thomas, 2 2, q. 161, art. 1: Alia vero quæ firmat animum contra desperationem et compellit ipsum ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam, et hæc est magnanimitas. Et D. Thomas, 2 2, q. 129, a. 2, loquens de virtute (ut descendat ad magnanimitatem) dicit: Virtus est perfectio quædam, et intelligitur potentiæ; et perfectio potentiæ non attenditur in qualicumque operatione, sed in operatione quæ habet aliquam magnitudinem. Et ideo ad rationem virtutis pertinet ut sit circa difficile et magnum bonum; et istud difficile et magnum bonum potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte rationis, scilicet in quantum difficile est medium rationis adinvenire, et in aliqua materia statuere. Et ista difficultas solum invenitur in actu virtutum intellectualium. Alia autem difficultas est ex parte materiæ, quæ de se repugnantiam habere potest ad modum rationis, qui est circa eam ponendus. Et ista difficultas præcipue attenditur in aliis virtutibus moralibus, quæ sunt circa passiones, quia passiones repugnant contra rationem, ut Dionysius dicit c. IV, De divinis nominibus. — Circa quas considerandum est quod quædam passiones sunt quæ habent magnam vim resistendi rationi, principaliter ex parte passionis. Quædam vero principaliter ex parte rerum, quæ sunt objecta passionum. Passiones autem non habent magnam vim repugnandi rationi, nisi fuerint vehementes: eo quod appetitus sensitivus, in quo sunt passiones, naturaliter subditur rationi; et ideo virtutes quæ sunt circa hujusmodi passiones, non ponuntur nisi circa id quod est magnum in passionibus: sicut fortitudo circa maximos timores, temperantia circa concupiscentias maximarum delectationum, et magnanimitas, quæ firmat animum contra desperationem, et compellit ipsum ad prosecutionem magnorum secundum rationem rectam.

418. Circa moderationem hujus passionis dico quod potest

esse immoderata vel quoad objectum, vel quoad medium. Est immoderata quoad objectum quando quis desperat se adepturum aliquod bonum tantum apparens, et non verum: immo quod est verum malum, ut est honor mundi, delectatio carnis; et ex hac desperatione tristaretur. Debet hujusmodi ad se ipsum reversus spem suam ad alia vera bona fortiter erigere, et his attendens indignum judicare quod de his inferioribus motum habeat desperationis, et multo magis per consequens (*quod*) habeat motum tristitiæ. Est immoderata quoad medium quando quis propriam videns pusillanimitatem desperat de virtutum adeptione, vel de cœlestis gratiæ consecutione, cum hujusmodi non propriis viribus, sed divinæ gratiæ debeant auxiliis acquiri. — Desperant sæpe mali quantum ad auxilium de terra, et quantum ad auxilium de cœlo. D. Thomas explicans illud Isa. v: Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus, dicit sic: Hic ponit eorum desperationem; et primo quantum ad auxilium de terra: " Aspiciemus in terram, „ quia omnes persequebantur; secundo, quantum ad auxilium de cœlo: " Et lux divinæ spei obtenebrata est in caligine ejus. „ Jerem. iv: Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil; et cœlos, et non erat lux in eis. — Desperant etiam boni: non simpliciter, sed solum in ordine ad proprias vires; cum sciant Dominum dixisse: Perditio tua ex te, Israel: in me tantummodo auxilium tuum. In quo confidentes dicunt cum Augustino: In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Domine, qui dixisti filio viduæ Naim, qui ferebatur in loculo ad sepulturam: Adolescens, tibi dico, surge; qui similiter dixisti Lazaro: Veni foras, et statim resedit uterque qui fuerat mortuus. O Rex potentissime, quam admirabile opus est, quando animam languentem, et longa morte quasi consumptam, vocas fortissima voce tua de abyssis dejectionum et perturbationum, ut respiret ad auram vitalissimæ vitæ tuæ!

ARTICULUS X.

De passione timoris.

419. Timor est motus appetitus irascibilis recedentis a malo futuro, arduo, cui resisti vix potest; seu est motus ille quo

contrahitur ac dejicitur appetitus, dum malum arduum imminens ac vix evitabile apprehenditur. Et sic differt a tristitia, quæ est de malo jam conjuncto et præsenti; et ab ira, quæ est de malo ut vindicando et repellendo: non ut incumbente et vincente, sicut timor. Dicitur tamen a Philosopho quod timor est tristitia, quia ejus objectum est contristativum, quando est præsens, et sic ad illam disponit: sicut dicitur desiderativus, quia oritur a desiderio boni contrarii. — Sex species timoris assignantur a D. Damasceno, videlicet segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, agonia. Tunc est segnities, cum aliquis operari refugit propter timorem excedentis laboris. Tunc est erubescentia, cum turpitudo timetur in actu committendo. Tunc est verecundia, cum est turpitudo in actu jam facto. Tunc est admiratio, cum quis considerat aliquod magnum malum, cujus exitum considerare non sufficit. Tunc est stupor, cum aliquod malum inconsuetum nostræ considerationi offertur. Tunc est agonia, cum quis considerat malum imminens, improvisum, cui scilicet provideri non potest, sicut timentur futura infortunia.

420. Objectum timoris duplex: formale et materiale. Formale (*est*) malum futurum cum aliqua arduitate; objectum materiale omne illud quod participat rationem mali terribilis, idest cui de facili non potest resisti; est etiam objectum timoris ipsa persona potens inferre malum: sicut enim spes respicit et rem speratam, tamquam bonum concupitum, et illum a quo sperat, ut auxiliatorem; ita timor respicit et malum quod sibi provenire potest, et causam a qua inferri potest. Et circa primum est fuga a tali malo; circa secundum vero est reverentia et resilientia in propriam parvitatem a tali potestate potente infligere malum. Et pro ista parte timor respicit bonum, scilicet illam potestatem quæ potest nocumentum inferre: et per hunc modum timetur Deus ab homine, in quantum potest infligere pœnam, vel spiritualem, vel corporalem. Unde etiam in motu reverentiali erga Deum respicitur bonum divinum: sed potestas Dei non absolute, sed cum aliqua connotatione ad malum, scilicet non quatenus potest benefacere, sed ut potest lædere, saltem de absoluta potentia. Sic ergo timor habet pro objecto per se et directe, quatenus est fuga, aliquod malum imminens: omnis enim fuga est de malo per se loquendo, aut de difficili

et arduo, quod tamquam malum reputatur. Ut autem timor quamdam reverentiam importat ad causam potentem infligere malum, sic respicit bonum dignum reverentia, idest potestatem illam cum connotatione tamen et respectu ad malum, idest quatenus potest lædere, non quatenus benefacere. — Effectus timoris sunt quatuor. Primus est contractio: nam sicut in morientibus natura propter virtutis debilitatem ad interiora se recipit, sic in timentibus calor naturalis cum spiritibus ad interiora contrahitur, ut sic contractus fortior evadat ad resistendum. Secundus est tremor corporis, pallor et stridor dentium: ex contractione namque caloris et spirituum ad interiora sequitur debilitas in membris externis. Tertius est impedire operationem ex parte membrorum, quæ debilitantur ex prædicta contractione caloris et spirituum; sicut etiam ex parte animæ, si timor fuerit immoderatus: nam si fuerit moderatus, potius operationem juvat, et hominem attentius consiliari et operari facit. In quo consistit quartus. Propterea Apostolus ad Philipp. II ait: Cum metu et tremore vestram salutem operamini.

421. Passio timoris moderatur fortitudine. Ita D. Thomas, 2 2, q. 123, art. 3: Ad virtutem fortitudinis pertinet removere impedimentum quo retrahitur voluntas a sequela rationis. Quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat recessum quemdam a malo difficultatem habente. Et ideo fortitudo principaliter est circa timores difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem a sequela rationis. Oportet autem hujusmodi rerum difficilium impulsum non solum firmiter tolerare cohibendo timorem, sed etiam moderate aggredi: quando scilicet oportet ea exterminare ad securitatem in posterum habendam; quod videtur pertinere ad rationem audaciæ. Et ideo fortitudo est circa timores et audacias, quasi cohibitiva timorum. Ad 2 dicit quod res periculosæ et actus laboriosi non retrahunt voluntatem a via rationis, nisi in quantum timentur. Et ideo oportet quod fortitudo sit immediate circa timores et audacias, mediate autem circa pericula et labores, sicut circa objecta prædictarum passionum. Solutione ad 3 dicit quod spes opponitur timori ex parte objecti, quia spes est de bono, timor de malo. Audacia autem est circa idem objectum, et opponitur timori secundum

accessum et recessum. Et quia fortitudo proprie respicit temporalia mala retrahentia a virtute, inde est quod fortitudo proprie est circa timorem et audaciam.

422. Moderatur etiam hæc passio mediante virtute perseverantiæ. Ita D. Thomas, 2 2, q. 137, art. 1 : Opus virtutis potest habere bonitatem et difficultatem ex duobus. Uno quidem modo ex ipsa specie actus, quæ accipitur secundum rationem proprii objecti ; alio modo, ex ipsa diuturnitate temporis. Nam hoc ipsum quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet. Et ideo diu persistere in aliquo bono usque ad consummationem, pertinet ad specialem virtutem. Sicut ergo temperantia et fortitudo sunt speciales virtutes, eo quod altera earum moderatur delectationes tactus, quod de se difficultatem habet; altera autem moderatur timores et audacias circa pericula mortis, quod etiam secundum se difficile est: ita etiam perseverantia est quædam specialis virtus, ad quam pertinet in his vel in aliis virtuosis operibus diuturnitatem sustinere, prout necesse est. In art. 2 docet quod perseverantia est pars fortitudinis: ergo si fortitudo valet ad moderandam passionem timoris, ita etiam perseverantia. Et hoc clarius affirmat Solutione ad 2: Perseverantia, secundum quod ponitur virtus, moderatur aliquas passiones, scilicet timorem.

423. Hæc passio solet esse immoderata ex parte objecti et ex parte modi. Solet esse immoderata ex parte objecti in amatoribus hujus sæculi, qui mundana solum timent mala: timent enim ne ab aliis despiciantur, ne divitiarum aut dignitatum jacturam incurrant, ne parentum, filiorum, aut amicorum privationem patiantur; cum hæc omnia vix timeri debeant, si tamen majora considerentur mala quæ possunt accidere, qualis est privatio gratiæ et gloriæ, et æterna damnatio. Unde Christus Dominus suos instruens discipulos, docuit non timenda esse hujusmodi mala, nec eos qui possunt inferre, quia cum occiderint corpus, non habent potestatem in animam. Solum affirmat Deum esse timendum, quia cum occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam ; unde qui hanc moderationem timoris advertit in se ipso, debet a visibilibus ad invisibilia mentem erigere, ut aspectis his minoribus malis, timeat majora. — Est autem immoderata ex parte modi, cum hæc mala visibilia (quæ possunt alias licite timeri, ut mors, morbus et si-

milia) plus nimio timentur. Sanctus est timor Sanctorum, quem in schola Christi didicerunt : timent æternam damnationem, ubi malorum et tormentorum rota sine fine volvetur; timent in extremo judicio damnationis suæ sententiam cum reprobis audire, supremo judice illis dicente: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; timent offendere Deum summe dilectum, quia summe bonum, unde etiam timent ab eo separari. Quod si aliquando hæc inferiora mala timent, quæ licite timeri possunt, moderate timent sub conditione fragilitatis humanæ.

ARTICULUS XI.

De passione audaciæ.

424. Audacia est motus appetitus irascibilis malum arduum imminens prosequentis: nomine vero mali ipsamet arduitas intelligitur bono conjuncta, quam audacia superare conatur. — Audacia contrariatur timori, consequitur vero ad spem. — Audacia habet idem objectum quod timor, sed sub contraria ratione et tendentia. Timor enim respicit malum ut ei succumbens, aut ab eo fugiens; audacia vero ut superans et sustinens, sive aggrediendo, sive tolerando. Dicitur autem audacia esse circa malum, licet sit actus prosecutivus, cum tamen prosecutio sit actus appetitus circa bonum, eo quod audacia prosequitur bonum quod est victoria, et aggreditur malum non ratione sui, sed ratione victoriæ, quam de ipso intendit. Itaque non fugit malum audacia, nec prosequitur illud amando ut bonum in se, sed tamquam materiam victoriæ. Hoc bonum per accidens adjungitur illi malo ex participatione spei. – Ad audaciam pertinet ponere media, non positiva bona acquirendo, sed mala impedientia tollendo. Et sicut dantur post finem intentum electiones mediorum quibus tenditur ad finem, et quæ appetuntur non ratione sui, sed finis: ita dantur executiones circa media impedientia, quæ sunt mala, et hoc est objectum eorum, scilicet aggressio malorum. Ratio autem prosequendi non ex talibus mediis desumitur, sed ex participatione spei, seu finis intenti ab spe, qui est victoria. Et sic bonum non

est proprium objectum audaciæ, sed malum ut vincendum; et ex participatione boni, quod est finis, seu victoria, redditur attingibile actu prosecutionis.

425. Audacia causatur ex his quæ provocant spem et erigunt illam, et ex his quæ excludunt timorem, qui contrariatur audaciæ. Erigitur autem spes per existimationem possibilitatis adipiscendi, et per amplitudinem cordis: ad quod confert caliditas et copia spirituum vitalium. Excluditur autem timor per exclusionem eorum terribilium, quæ nos circumstant. Unde per se non causatur audacia ex defectu, sed ex abundantia: nisi per accidens, in quantum ex ignorantia, quæ est quidam defectus, excluditur cognitio periculorum et timorum. — Effectus autem audaciæ est promptitudo in aggressione prima; et deficientia in continuatione, quando audacia oritur ex illa sensitiva apprehensione quæ non habet providentiam in futurum: sed subitum motum ex præsentibus, et sic facile movetur ad aggressionem, quia non videt omne periculum: postea autem periculis insurgentibus dejicitur. E contra vero audacia orta ex ratione et discursu, melius prævidet pericula futura, nec ducitur ex solis præsentibus, et ideo tardat aggredi propter sola præsentia: posita autem prævisione futuri periculi, etiam si postea accidat, non dejicitur, sed perseverat, tum quia non est improvisus, tum quia ducitur motivo virtutis, quæ est constans et perseverans.

426. In articulo antecedenti jam insinuavimus virtutem fortitudinis moderare timorem et audaciam; modo probatur ex his quæ dicit D. Thomas, 2 2, q. 123, art. 6. Philosophus dicit in III. Ethic.: Fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas. Difficilius enim est timorem reprimere quam audaciam moderari: eo quod ipsum periculum, quod est objectum audaciæ et timoris, de se confert aliquid ad repressionem audaciæ, sed operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinem, secundum quod moderatur audaciam: sed sustinere sequitur repressionem timoris; et ideo principalior actus fortitudinis est sustinere, idest immobiliter sistere in periculis, quam aggredi.

427. Audaciam ad malum frænat justitia Dei, quæ sua mandata transgredientes acriter punit, et eorum conatibus potenter obsistit. Nam si homines ausi sunt ædificare civitatem et

turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, est Deus in cœlo qui illos irrideat, et opera illorum conterat atque confringat. Audaciam vero ad ea quæ ultra vires sunt cohibet in justis discreta humilitas humilisque discretio, ut considerantes quia sine Deo nihil possunt facere, illa solum aggrediantur in quibus Deum adjutorem habebunt. Spiritus enim sanctus, ut inquit Gregorius, dum sensus honeste viventium instruit, modo audaces, modo timidos reddit: audaces quidem, ut præsumant; timidos, ne superbiant. Impellit ut necessaria postulent, retrahit ne nimis præsumendo vitium incurrant temeritatis. Hæc ille. Servi itaque sui domini ductum sequantur, et audaciam sancto timore temperent, ne sit temeraria: timorem vero discreta audacia urgeant, ne in pusillanimitatem spiritus cadant. Et, ut dicit D. Thomas, 2 2, q. 54, art. 2 ad 4, timor Dei operatur ad vitationem cujuslibet peccati, quia, ut dicitur Proverb. xv, Per timorem Domini declinat omnis a malo.

ARTICULUS XII.

De passione iræ.

428. Ira est motus appetitus irascibilis ad vindictam; sive est motus quo læsus appetitus ad inferendam pro injuria pœnam excandescit. Ira fit cum accensione sanguinis circa cor. Objectum iræ est compositum ex bono et malo respectu diversorum: respectu objecti quod, est bonum, quia respicit vindictam satisfactivam suæ læsionis; ex parte objecti cui, idest personæ cui vult inferre vindictam, est malum et nocivum injurianti. — Si in homine consideretur natura generica, naturalior est ei concupiscentia quam ira: si vero consideretur natura specifica, sic naturalior est ira, quia appetit vindictam quæ magis accedit ad quamdam rationem justi et satisfactivi, et de hoc magis judicatur per rationem et discursum. — Odium est gravius et pejus quam ira. Ira quandoque crescit in odium, et trabem facit de festuca, ut dicit Augustinus in Regula. Et ratio est quia ira et odium conveniunt in hoc quod appetant malum alteri, seu nocivum: tamen ira appetit sub ratione vindictæ et satisfactionis; at vero odium vult alteri malum, qua-

tenus illi malum est præcise : quia ita corruptam habet æstimationem de alio, quod quidquid ei nocere potest, bonum sibi putat, et ita appetit illi malum quatenus illi malum est.

429. Ira ex ipso appetitu vindictæ habet quemdam modum rationis, in quantum fit hoc secundum quamdam collationem et comparationem, qua mensuratur pœna, seu ultio et satisfactio, cum injuria : et hoc maxime denunciatur per rationem. Invenitur tamen in brutis per instinctum, quatenus sine comparatione et collatione instigantur ad propulsandum nocumentum. Unde proprie solum movetur homo per iram erga illos, ad quos est justitia, scilicet ad creaturas rationales, quia proprie inter illas est justum vindicativum et satisfactivum, quod respicit ira. — Tres assignantur a Damasceno et Gregorio Nysseno species iræ, scilicet fel, mania, furor. Tria enim concurrunt ad iram, scilicet concitatio motus irascentis, tristitia ex læsione, et injuriæ illatæ vindicta desiderata per iram. Quando prævalet cogitatio motus, dicitur fellea, quia fel cito concitatur ex cholera : et tales irati vocantur acuti. Quando dominatur tristitia de injuria illata vocatur mania, quia diu manet in memoria : et tales dicuntur amari. Quando prævalet desiderium vindictæ dicitur furor, quia non quiescit nisi puniat : et tales dicuntur difficiles. Et videntur esse differentiæ accidentales, sumptæ ex diversa dispositione subjecti ad irascendum, non ex diversis motivis objecti formalis.

430. Formalis ratio motiva iræ est parvipensio, seu modus aliquis contemptus, aut injuriæ tangentis excellentiam, vel propriam, vel amicorum, seu eorum qui ad nos pertinent. Et sic parvipensio non solum est circa honorem aut famam ; sed etiam circa quodcumque bonum in quo quis vult excellere aut quiescere, et (*timet*) ab alio dejici, minorari et parvipendi : quia non multum curamus de eo, quem aut lædimus aut obliviscimur. Qua ratione etiam ad bruta animalia extenditur parvipensio, ut quando vulneratur, aut cibus vel aliquid simile eis adimitur, quia in hoc minorantur a bono quod appetunt, et hoc est parvipendi.

431. Ex parte autem materialis causæ, seu materiæ quæ ad iram movet, maxime attenduntur duo : alterum ex parte irascentis, alterum ex parte lædentis et moventis ad iram. Ex parte irascentis excellentia ejus movet magis, seu auget mo-

tivum iræ: quia quanto in aliqua re quis excellit, tanto est injustior parvipensio, et magis ultionem provocat, quamvis ex parte dispositionis in subjecto ad iram requisito, non tam excellentia quam infirmitas et defectus conducat, quatenus infirmi facilius tristantur de nocumento illato, et de tristitia disponuntur ad iram. Sed hoc non se tenet ex parte motivi formalis, quod est parvipensio; sed ex parte dispositionis subjecti. E contra vero in ipso lædente defectus ejus, et parvitas in lædendo et injuriando, provocat magis ad iram, quia tanto est major et injustior parvipensio, quanto a minoribus fit: quia illi tenentur magis honorare superiores. Unde et Job xxx dicitur: Nunc autem derident me juniores, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.

432. Effectus iræ inveniuntur in appetitu, in corpore, in mente, seu ratione. In appetitu causat delectationem, et in ea terminatur. Incipit enim a tristitia de illato sibi nocumento, et quia quærit ejus repulsam per vindictam, maxime in tali repulsa delectatur: consummate quidem, quando vindicta est præsens; in spe autem, quando ad eam conatur. In corpore causat duplicem effectum. Primo, circa cor accensionem sanguinis et evaporationem fellis: unde et fit cum amaritudine, quia tendit ad punitionem contrarii, et naturaliter unumquodque fortius et impetuosius movetur ad præsentiam contrarii, quia fortificatur natura ut illud propulset, et sic in animali fit magna impetuositas ad ultionem, et repulsionem contrarii; et sic accenditur cor. Ex hoc autem secundo habet manifestare hunc impetum et perturbationem cordis, præcipue in illis membris in quibus expressius relucet vestigium cordis et motus vitalium spirituum, ut in facie, in oculis, in lingua, intantum quod aliquando impeditur præ ira usus linguæ in loquendo: et sic habet pro effectu silentium, seu taciturnitatem. In mente seu ratione habet pro effectu perturbationem judicii, quia licet ira incipiat a ratione, ut a denunciante et discurrente circa injuriam et ultionem, tamen perturbato corde et accenso sanguine, a quorum ministerio dependet opus rationis, et sic non servato sensu, conturbatur in ira oculus: nec enim perfecte obedit ira rationi, licet a principio aliquantulum eam audiat. Cum autem dicit Philosophus quod iratus non est insidiator, sed manifestus: concupiscentia autem est latens et

insidiosa, hoc dicitur quia ira quærit ulcisci injurias manifestando excellentiam, quæ offensa est et læsa, et in sui manifestatione maxime roboratur; concupiscentia autem est mollis, nihil excellentiæ et ardui habens, sed plurimum turpitudinis, et ideo quærit latere, et maxime dolet si prodatur.

433. Passio iræ moderatur per mansuetudinem et clementiam. Ita D. Thomas, 2 2, q. 157, art. 1. Passiones autem interiores sunt exteriorum actionum principia, aut etiam impedimenta. Et ideo virtutes quæ moderantur passiones, quodammodo concurrunt in eumdem effectum cum virtutibus quæ moderantur actiones, licet specie differant. Sicut ad justitiam proprie pertinet cohibere hominem a furto, ad quod aliquis inclinatur per inordinatum amorem, vel concupiscentiam pecuniæ, quæ moderatur per liberalitatem. Et ideo liberalitas concurrit cum justitia in hoc effectu qui est abstinere a furto. Et hoc etiam considerandum est in proposito. Nam ex passione iræ provocatur aliquis ad hoc quod graviorem inferat pœnam; ad clementiam autem pertinet directe quod sit diminutiva pœnarum: quod quidem impediri posset per excessum iræ. Et ideo mansuetudo, in quantum refrænat impetum iræ, concurrit in eumdem effectum cum clementia. Differunt tamen ab invicem in quantum clementia est moderativa exterioris punitionis, mansuetudo autem proprie diminuit passionem iræ. Et solutione ad 3 dicit quod mansuetudini, quæ est directe contra iras, proprie opponitur vitium iracundiæ, quod importat excessum iræ. Sed crudelitas importat excessum in puniendo. Qui autem in pœnis hominum propter se delectantur, etiam sine causa, possunt dici sævi, vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem.

434. In art. 2 dicit quod ratio virtutis moralis consistit in hoc quod appetitus rationi subdatur. Hoc autem servatur tam in clementia quam in mansuetudine. Nam clementia in diminuendo pœnas aspicit ad rationem, ut Seneca dicit in secundo De clementia. Similiter etiam mansuetudo secundum rationem rectam moderatur iras, ut dicitur in IV. Ethic. Unde manifestum est quod tam clementia quam mansuetudo est virtus. D. Thomas, in II, dist. 44, q. 2, a. 2, ad 3, dicit quod mansuetudo ad fortitudinem reducitur, quia objectum fortitudinis est in maximis molestiis quæ sunt circa mortem, sicut sunt bellicæ: sed man-

suetudo habet pro objecto reliquas molestias, quæ sunt iram excitantes, in qua medium tenet mansuetudo. Et D. Thomas, p. p., q. 21, art. 1 ad 1, dicit quod mansuetudo est circa iram. Et explicans idem Sanctus illud Psal. xxxvi: Mansueti autem hæreditabunt terram, (*ait*): per mansuetos significantur justi, qui possident cor suum in puritate; et quia nihil trahit homines extra se sicut ira, et mansuetudo temperat iram, ideo vocat justos, mansuetos. D. Thomas explicans illud Psal. xxv: Dirigit mansuetos in judicio, dicit sic: Mansuetudo est virtus mitigans iras, quia ira valde impedit cognitionem, et maxime in moribus invenitur. Hæc autem virtus maxime debet appeti; unde dicit Dionysius, in epistola ad Demophilum, quod Moyses propter nimiam mansuetudinem fuit dignus apparitione divina. — Mansuetudinis dignitas expendenda est, iracundiæ nequitia oculis objicienda, et exempla mansuetorum, præcipue Christi Domini et sanctorum, meditanda. Tanta quippe est mansuetudinis pulchritudo, ut vel leones et tigrides in sui amorem alliciat; tanta iracundiæ turpitudo, ut vel illos qui nullo metu tanguntur exterreat; tantus Christi, agni mitissimi, ac mansuetorum splendor, ut vel sepultus, si fieri posset, ad sui imitationem inducat. Filii hujus sæculi, dum irascuntur, deficiunt ex parte objecti et ex parte modi: ex parte objecti, dum ira flammescunt ex sola parvipensione propriæ excellentiæ; ex parte vero modi, dum iram concipiunt irreconciliabilem, donec inimicitias consument. Sed discipuli Christi non de læsa irascuntur excellentia propria, sed de offensa majestate divina: unde mirantur reges et principes mansuetudinem scholæ Christi.

DISPUTATIO VIII.

DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ

ARTICULUS I.

De causis purgationis passivæ in parte sensitiva.

435. D. Thomas in multis locis suorum operum loquitur de quatuor generibus causarum: in Quinto libro Metaphysicæ, lectione secunda; 2 2, q. 27, a. 3; De potentia, q. 3, a. 16. Applicandæ sunt istæ causæ ad purgationem passivam. Causa materialis est pars sensitiva hominis, in qua exercetur talis purgatio, sive quantum ad affectum, sive quantum ad cognitionem: in ipsa quippe parte sensitiva est portio affectiva, quæ in duplici viget appetitu, concupiscibili et irascibili, et utriusque actibus seu passionibus ad bonum sensibile sibi commensuratum propendit; est etiam portio cognoscitiva, quæ in sensibus tam externis quam internis residet, quorum actibus objecta sensibilia comprehendit: in utraque hac portione partis sensitivæ tamquam in materia seu subjecto fit hæc purgatio sensitiva.

436. Causa formalis est subtractio gratiæ sensibilis, justis motivis a Deo facta: ex qua subtractione variæ et graves admodum angustiæ, desolationes, et continuæ in sensu tam affectivo quam cognoscitivo procedunt ariditates; unde pressus doloribus et miseriis, quasi in obscura nocte horroribus labescit, in quibus purgatio passiva partis sensitivæ consistit: cum enim prius continuis gratiæ sensibilis favoribus et auxiliis, vento, ut ita dicam, prospero in mediis vitæ spiritualis difficultatibus et laboribus procederet, vel potius fauste et suaviter a Deo veheretur: nunc sibi quodammodo relictus, quamvis majoribus internæ gratiæ ad patientiam fulcitur auxiliis, amaritudinem experitur ubi fruebatur dulcedine; spinas reperit,

ubi colligebat rosas; dolores patitur, ubi delicias percipiebat: unde nec cœlestibus, nec terrenis potitur solatiis, sed sedere sibi videtur in tenebris et umbra mortis: cor enim suum vir devotus ad devotionem aspirans mundanis occlusit gaudiis, quæ sine culpa vix possunt percipi, et spiritualibus malo, ut credit, suo se penitus privatum et exclusum intuetur: imo, et multis tentationibus undequaque vexatum; unde et pauperem et miserum ex divite et locuplete factum arbitratur, quia priorem gratiæ sensibilis affluentiam se percipit amisisse, maxime cum nullum in exercitio virtutum saporem recipiat, sed se tepidum et quasi a Deo derelictum intueatur.

437. Causa efficiens, seu effectiva, est Deus ipse bonus et misericors, quamvis tunc incipienti austerus et plurimum iratus appareat. Cum enim in suo electo cœptum perfectionis opus consummare velit, ipsumque ad intimam sui unionem disponere, et ad singularem amicitiam parare breviter intendat; et aliunde gratiæ sensibilis affluentiam prius necessariam, sed jam inutilem, ac potius ob imperfectionem abutentis noxiam advertat, illam misericorditer subtrahit, ut incipientem ab apparentia devotionis ad substantiam ipsius, a cortice perfectionis ad medullam ipsius feliciter perducat. Pro cujus evidentia sciendum est quod Deus optimus maximus se nutrici conformans, incipientem adhuc tenellum suavi lacte devotionis, sive sensibilis gratiæ pascit affluentia, ut suo tempore solidiori et magis substantiali cibo ad vitæ spiritualis augmentum perducat; quomodo se gessisse docet Apostolus I. Cor. III, dicens: Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Et quasi alludit ad Christum, dum discipulos adhuc tenellos, ac nondum sancti Spiritus adventu confirmatos, alloquens dicit: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hunc agendi modum, quem Deus in manuductione tyronum in vita spirituali, seu incipientium, mire describit S. Bonaventura dicens: Benignus Deus, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, libenter impertitur has delicias suas servis suis fidelibus ab adolescentia sua. idest in novitate conversionis: sed heu! postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali

elati cæteros despiciunt; et in torporem versi, dum famam laudis desiderant, jactantiæ vitio depravantur et hypocritæ fiunt; et dum meliores videri laborant quam sunt, Deo se opponunt, gloriam Dei sibi temere usurpantes. Bonus autem Deus sciens quantum utilis est homini tentatio et tribulatio, prius ei ostendit consolationes dulcedinis, quibus postmodum in tentatione confortetur ne deficiat, et alliciatur ut semper ad eas redire desideret, nec desistat eas requirere, donec denuo recuperet quod amisit: sic laboranti in via prius copiosa paratur refectio, ne illius labore deficiat; sic columbæ longius emittendæ prius nutriuntur tritico cum melle, ut quæ longe emissæ fuerint, semper illuc redire contendant ubi delicate se esse pastas reminiscuntur; sic prius Petrus in montem excelsum seorsum ducitur, ubi gloriam transfigurationis Christi videat, ut postea a Satana expetitus ut cribraret eum, in tentatione recoleret memoriam prioris dulcedinis quam expertus erat, et rediret ad Dominum quem tam amabilem senserat, ne diffidens et deficiens desperaret; sic filiis Israel prius manna datur in deserto, ne postea longo itinere et certamine fatigentur. Hæc sanctus Bonaventura.

438. Causa finalis purgationis passivæ in parte sensitiva est ut hæc pars inferior apte purificata conformetur parti superiori cui subordinatur, etiam a pravis dispositionibus suis purificandæ, ut sic utraque bene disposita simulque consentiens, facile ad intimam Dei concurrat unionem. Quamvis enim præcipue in parte superiori, videlicet intellectiva, hæc unio divina perficiatur, propter quod ejus purgatio dispositiva major et efficacior esse debet: pars tamen inferior, nisi proportionata etiam purgatione disponatur, qua parti superiori subjecta perfectius obediat, inordinatis suis motibus et variis tumultibus eam (*a*) secretiori divinorum participatione ac Dei communicatione facile posset avertere, et in multis perturbare. Hic est finis a Deo intentus, cui plurima deserviunt motiva inferius exprimenda.

ARTICULUS II.

In quo formaliter consistat purgatio passiva partis sensitivæ.

439. Jam dictum est articulo antecedenti quid sit purgatio passiva, assignando causam formalem ejus. In hoc articulo declarabimus naturam ejus ex sanctis Patribus, præcipue ex D. Thoma, qui explicans illud Isa. xv: Nemrim deserta, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit, dicit sic: Terra Moab ita erat sterilis sicut locus juxta oppidum " Nemrim, „ quod est juxta mare, propter aquas salsas et amaras: non quidem propter aquas, sed ex Dei judicio " herba „ jam nata " aruit, „ " germen „ quantum ad ea quæ erant in pullulatione, viror arborum jam natarum. Quid est purgatio passiva, nisi sterilitas orta ex subtractione gratiæ sensibilis, quæ fit Dei judicio, quia ipse est causa efficiens subtractionis justis motivis? Dicit Sanctus: Ponitur ratio magnitudinis pœnæ. Veluti deficiunt perfectiones et abeunt germina bonorum operum, saltem in æstimatione, et nullius valoris esse videntur: quamvis non ita sit, quia majoribus internæ gratiæ ad patientiam fulcitur auxiliis, ut verificetur illud Psal. cvi: Posuit flumina in desertum.

440. D. Thomas explicans illud Cantic. i: Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, dicit sic: " Nigra sum, „ quia persecutiones patior propter subtractionem gratiæ sensibilis, " sed formosa „ virtutibus, quia in purgatione passiva anima interius decoratur multis virtutibus et auxiliis, præcipue patientia. Nigra sum, deformis persecutionibus et ærumnis quas sustineo, quia continue in sensu tam affectivo quam cognoscitivo præcedunt ariditates, unde pressa doloribus et miseriis, quasi in obscura nocte labesco; sed formosa decore virtutum. " Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. „ Cedar filius fuit Ismaelis, et interpretatur tenebræ. Anima in purgatione passiva, sicut in tenebra videtur sedere. Ismaelitæ semper in tabernaculis habitabant, et non habebant domos. Dicitur esse nigra sicut tabernacula Cedar propter persecutiones quas patiebatur, quas patitur anima in

purgatione passiva, propter subtractionem gratiæ sensibilis; Ps. CXIX: Habitavi cum habitantibus Cedar. Formosam se dicit sicut pelles Salomonis, quia digna erat visitatione interna sponsi. Et sic est in purgatione passiva, quia fulcitur in intimo divinis auxiliis et virtutibus.

441. D. Thomas, in II, dist. 32, q. 2, art. 1 in corpore: Malum pœnæ est a Deo. Sed sciendum est quod non eodem modo est causa omnis pœnæ. Quædam enim pœna est per afflictionem alicujus contrarii affligentis, vel corrumpentis: et talis quidem pœna est a Deo agente; quædam vero pœna est quæ simpliciter in ablatione vel defectu consistit, sicut est subtractio gratiæ et aliquid hujusmodi: et hæ quidem pœnæ a Deo sunt, non sicut ab agente aliquid, sed potius sicut a non influente talem perfectionem, quia in ipso est influere et non influere, et utriusque sua voluntas est causa. Purgatio passiva consistit in subtractione gratiæ sensibilis et influxione gratiæ interioris.

442. D. Thomas exponens illud I. Cor. III: Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, dicit sic: " Et ego, fratres, „ qui scilicet inter alios Apostolos spiritualibus spiritualia loquor; " non potui, „ scilicet convenienter, " vobis loqui quasi spiritualibus, „ ut scilicet traderem vobis spiritualia documenta; " sed quasi carnalibus, „ eosdem enim carnales dicit, quos supra animales, quibus oportet tradi ea quæ sunt infirmitati eorum accommoda. Adhibet similitudinem dicens: " Tamquam parvulis in Christo, „ idest parum adhuc introductis in perfectam doctrinam fidei, quæ spiritualibus debetur. Ad Hebr. V: Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ: parvulus enim est; perfectorum autem est solidus cibus. His verbis Apostoli et divi Thomæ consonant illa Richardi de S. Victore De gradibus violentæ charitatis: In primo itaque gradu spiritus ille super mel dulcis intrat ad animam, et dulcedine sua inebriat eam in tantum ut habeat mel et lac sub lingua sua et fiant favus distillans labia sua. Hæc est prima consolatio quæ abrenunciantes sæculo primo accipit, et in bono proposito consolidare consuevit. Hic est ille dulcor spiritualis et interna suavitas, quæ quasi modo genitos infantes semper solet lactare. In hoc itaque statu

anima a Domino in solitudine ducitur, ibique lactatur ut interna dulcedine inebrietur. Audi quid de hoc dicitur ubi Dominus per Prophetam loquitur, Oseæ II: Propter hoc, inquit, ecce ego lactabo eam, ducam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Et est quod dicit D. Paulus. " Perfectorum est solidus cibus. „ Et hoc est quod subdit D. Thomas in expositione litteræ Apostoli: " Nondum enim poteratis. „ Dicit Sanctus: Non subtraxi vobis escam spiritualem et perfectorum propter meam invidiam, sed propter vestram impotentiam, quia verba spiritualia nondum bene poteratis capere: sed nec nunc quidem potestis, quia adhuc estis infantes, idest adhuc vobis necessarium est lac. In hoc consistit purgatio passiva in subtractione gratiæ sensibilis quæ dabatur incipientibus, et in cibo perfectorum, qui consistit in gratia interna et perfecta. Et ita inquit Richardus quod quando Deus loquitur ad cor ejus, ducit eam in solitudinem; et D. Thomas: Quando loquitur animæ sanctæ, quam spirituali cibo reficit, et pascit illam pane perfectorum, oportet Ægyptum deserere, prius oportet mare Rubrum transire, prius necesse est Ægyptios in aquis perire, prius necesse est Ægypti cibos deficere, quam possimus hoc spirituale alimentum cibumque cœlestem percipere. Sed ex improviso gratia sensibili privantur, ubique labores et horrores, dum se inexperti tyrones, tam improvisa status mutatione a summa felicitate, ut credunt, ad summam miseriam devenisse conspiciunt; miris torquentur modis, conscientiam diligentius examinant ut tam subitæ paupertatis ac spiritualis inopiæ causam inveniant. Credunt hoc ex commissa de novo gravi culpa provenire; cum in oratione et aliis spiritualibus operibus se videant penitus insipidos et distractos, instar pueri recenter ablactati gratiæ sensibilis suavitate; intimis affliguntur et gemunt præcordiis, et quærunt mentis delicias.

443. D. Thomas exponens illud Job XII: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subvertent terram, (*ait*): " Si continuerit aquas „ ne scil. pluendo cadant, " omnia siccabuntur, „ scil. quæ e terra germinant. Et " si emiserit eas, „ scil. in magna abundantia, " subvertent terram, „ sicut in diluvio accidit. Et dicit Sanctus quod quamvis ex causis naturalibus (*provenire*) videatur, tamen in supernaturalibus invenitur. Si continuerit aquas gratiæ sensibilis, siccabuntur, ut patet in purgatione passiva partis sen-

sitivæ, ubi nihil aliud invenitur nisi ariditas, desolatio, tædium. " Si emiserit eas, subvertent terram, „ quia in eadem purgatione Deus per gratiam internam et per auxilia interna illustrat portionem superiorem. D. Thomas, in II, dist. 37, q. 3, art. 1, quærit utrum pœna sit a Deo; et respondet in corpore quod pœna duo habet in se: scilicet rationem mali, secundum quod est alicujus boni privatio; et rationem boni, secundum quod justa et ordinata est: pœna non habet rationem mali et defectus secundum quod ab agente procedit, quia per ordinatam actionem agentis pœna infligitur; sed habet rationem defectus et mali in ipso recipiente actionem tantum. Et ideo pœnæ Deus est auctor, diversimode vero diversarum: quædam enim est pœna damni et subtractionis gratiæ, non quidem agendo aliquid, sed potius non agendo; quædam vero pœna sensus est quæ per aliquam actionem infligitur, et hujus etiam Deus est auctor. In purgatione passiva est duplex pœna, et utraque est a Deo, scilicet subtractio gratiæ sensibilis, quæ est a Deo non agendo aliquid, sed potius non agendo; et afflictio partis sensitivæ, quæ a Deo est, secundum quam in parte sensitiva nihil aliud invenitur nisi ariditas, desolatio et tædium. Et sic merito dixit Gerson De Mystica Theologia practica, industria IX, loquens de purgatione passiva: Hæc est antiperistasis quædam spiritualis, quæ contrarium fortificat. Hæc absinthium pueros ablactans, avellensque ab uberibus, hæc malleus dilatans et extendens. In tribulatione, inquit Psalmus, dilatasti me. Hæc lima poliens, mundans, arrodens, clarificans; hæc fornax in qua aurum purgatur ut rutilet; hæc virga qua percussus eripitur ab inferno, ut dicat tribulatus ex sententia: Domine, si sic vivitur. Et illud: Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, et requiescam in die tribulationis, et ascendam per contemplationem ad populum accinctum nostrum.

444. D. Thomas, 2 2, q. 66, art. 6 ad 2, dicit quod pœnæ præsentis vitæ magis sunt medicinales quam retributivæ. Et in eadem 2 2, qu. 108, art. 4: Pœna dupliciter potest considerari, uno modo secundum rationem pœnæ, et secundum hoc pœna non debetur nisi peccato: alio modo potest considerari in quantum est medicina, non solum sanativa peccati præteriti, sed etiam purgativa a peccato futuro et promotiva in aliquod bonum, et secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen

sine causa. Et D. Thomas, in III, dist. 19, art. 3, quæstiunc. II: Pœnæ comparantur ad eos quibus infliguntur ut medicinæ, quia pœnæ sunt quædam medicinæ sibi in quantum præservant a culpa, seu ad virtutem promovent. Quid est purgatio passiva, nisi quædam pœna medicinalis, et promotiva in aliquod bonum? Est sine culpa, non tamen sine causa, et promovet ad virtutem.

445. D. Laurentius Justinianus, lib. De disciplina monastica, cap. XVIII, loquens de ista purgatione, sic ait: Solet tamen interdum divina bonitas ab orantis affectu se subducere, eumque totum aridum totumque reddere indevotum. Tum quidquid meditanti offertur desipit, quidquid cogitare disponit indiscussum præ ariditate spiritus derelinquit; nihil sapit, nihil delectat, nihil reperitur quod pascat affectum: quin potius ubique tenebræ densissimæ palpantur, ubique sterilitas sentitur, quasi prius nihil gustatum sit dulce. Fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruscationes et immissiones per angelos malos, ut avertant a sua stabilitate animum, faciantque illum ab oratione cessare.

446. D. Bernardus, serm. LIV in Cantica: Dominus, inquit, declinavit in ira a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Non compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis mei; non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio: ubi est inebriatio spiritus, ubi mentis serenitas, et gaudium, et pax in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax; linguæ et odiis indulgentior, segnior obtusiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat!

447. Joannes Taulerius, Doctor Illuminatus, ex ordine Prædicatorum, in festo Martyrum, loquens de purgatione passiva, dicit: Altera via resignationis et crucis, seu afflictionis, est hic, ut præfati sumus, omni boni spiritualis solatio privari. — Loquitur de modo quo Deus incipientes afflictionibus et terroribus ad se trahit: sed tunc necesse est quod Deus, etsi gratia sensibilis desit, majoribus tamen spiritualis gratiæ succurrat auxiliis. Idem Taulerius: Ad hunc vero amorem Dei duplici via pervenitur. Prior est delectatio affluentis gratiæ Dei; hic ju-

cundum est homini in bonis desudare exercitiis; facit autem hoc ideo Deus, ut voluptates carnis in eo tanto citius restringantur. Itaque vendit hic se ipsum homo ex amore, dum strenuo ac virili animo cuncta temporalia oblectamenta fastidit, adeo ea præ amoris magnitudine parvipendens despiciensque ut in sui admirationem rapiat omnes quos ipsum videre contingit: quomodo et de sanctis quibusdam legitur quod tam celeriter ab omnibus hujus mundi gaudiis, solatiis, delectationibus se abstraxerint, tantaque strenuitate averterint, ut videre mirum fuerit. Fecit hoc nimirum Spiritus sanctus potentissimo suo amore, qui instar mortis fortis est. Sed cum Dominus jam in bono virtutis et in amore perfectionis firmatas aspicit, sensibilem subtrahit gratiam, lacrymæ devotionis quibus antea abundantius irrigabantur arescunt, nullum in spiritualibus exercitiis pietatis sensum percipiunt, nihil in oratione mentali proficiunt, gratiæ fontes exsiccati videntur, cœlum apparet æneum, undique tentationes occurrunt, sensus omnes perturbantur, affectus sensibilis languescit.

ARTICULUS III.

De tædio, ariditate et desolatione quæ reperitur in purgatione passiva.

448. In oratione, seu meditatione, inveniuntur tria bona, nempe devotio, suavitas et consolatio; et in purgatione passiva inveniuntur tria mala his opposita, nempe tædium, ariditas et desolatio; et sunt mala pœnæ. Tædium substantiali devotioni contrarium est. Definitur horror quidam orationis, et tristitia ac languor animi in omnibus quæ pertinent ad cultum et obsequium Dei. Et cum tædium idem sit quod accidia, eadem est definitio adducta cum illa quam tradit D. Thomas de accidia, quæ est tædium bene operandi, et tristitia de re spirituali. Et loquens D. Thomas de accidia, p. p., q. 63, art. 2 ad 2, dicit quod accidia est quædam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus propter corporalem laborem. Et 2 2, q. 54, art. 2 ad 1: Accidia est tristitia aggravans, idest impediens animam ab operando. Et q. 8 De malo, art. 1: Accidia tristitia

est de aliquo bono spirituali, prout est impeditivum boni corporalis. Sed tamen 2 2, ubi de accidia disputat per quatuor articulos, in articulo 3 quærit utrum accidia sit peccatum mortale, et dicit quod accidia potest considerari vel ut est ex parte sensitiva, vel ut consummatur in ratione: ut est in parte sensitiva propter repugnantiam carnis ad spiritum, est peccatum veniale; quando consummatur in ratione, est peccatum mortale. Et quando accidia est effectus purgationis passivæ tantum est pœna.

449. Quando anima est in purgatione passiva, tunc animus in oratione positus loco gaudii nimia tristitia conficitur, usurpatque sibi illud Tobiæ: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Jam enim illustrationes cœlestes abierunt, et ingressa est post illas atra caligo. Tunc tempus orationis, quod ante instar unius momenti videbatur, o quam longum, quam tardum, quam importunum et molestum videtur! Nescitque animus quonam pacto hoc tempus, in quo se sponsus abscondit, modicum vocatum sit, cum potius multum habere spatii hora brevis orationis appareat. Dicitque cum Bernardo: O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis quod non videbimus te? Salvum sit verbum Domini mei: longum est et multum valde nimis. Verumtamen utrumque verum: et modicum meritis, et non modicum votis. Habes utrumque in propheta Habacuc II: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quod ad meritum satis est, sed non satis ad votum? At votum hoc animi tædio laborantis valde exile et remissum est: nam tam vehemens est languor, ut etiam verum et efficax desiderium salutis excludat. Rapitur in hoc statu animus ad terrena; cœlestia vero, quæ prius scilicet suspirabat, exhorret; et si aliquando in illa desiderio fertur, illud infirmum et dejectum, et plane invalidum experitur. Omnia tunc sordent, omnia nauseam provocant, et homo sibi onerosus, aliis molestus, et ad universa virtutis opera, tam interiora quam exteriora, ineptus efficitur.

450. Solet homo tempore hujus tædii et tristitiæ somno in oratione opprimi: quem non immoderatus labor præcedens, nec alia naturalis causa, sed sola animi segnities et tristitia progignit. Quem somnum afferre ex trium discipulorum, quos

Dominus in comites suæ orationis ascivit, eventu didicimus: nam invenit eos præ tristitia dormientes. Hi ergo præ tædio et mœrore dormiunt, et illum somnum quietæ contemplationis, a quo jubet sponsus in canticis spiritualis viri animam excitandam non esse, in somnum naturalem convertunt. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ait, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit! Post hanc vero adjurationem, cum a nullo interpellatur anima, ipse se excitat, et ad res vanas et profanas cogitandas et desiderandas evigilat, et sapore dissolvi orationis tempore, ac naturaliter dormire nequaquam formidat.

451. Quid autem faciat anima viri humilis, quando sic a Domino rejicitur, et in tanta angustia relinquitur, ut eam nec orare, nec aliquid boni agere, nec laborare libeat? Certe se ipsam fortiter coget, ne consueta tempora orationis deserat. Ad Dominum igitur statutis horis ibit, si non læta, at tristis; si non consolatione animata, at desolata; si non libens, at propositi sui obligatione compulsa. In loco orationis se constituat, si non ob aliud, saltem ut tunc temporis illum locum occupet, et ut cellæ, in qua orare consuevit, aut oratorii parietes observet. Ibi si non aliquid salutare, si non ad bonum se afficere possit, at abjectis suaviter ineptis cogitationibus simpliciter Deum respiciat; et sicut catellus in dominum suum sedentem, sic in illum oculos interiores intendat. Millies distrahetur? Millies iterum oculos ad suum liberatorem convertat. Millies quasi repelletur? Millies iterum quasi intrare procuret. Millies se impuris aut tristibus cogitationibus obtusam sentiet? Millies caput levet, et cum gratia Dei, quæ absque dubio illi non deficit, se per consensum obrui non sinat: id unum evitetur ut locum suum et sanctum orationis exercitium utcumque non omittat. Si nimis affligatur, in eo secum condescendat ut libellum spiritualem coram se ponat, et aliquantulum legat quod statim meditatione ruminet, et per hanc vicissitudinem lectionis et meditationis tædium ex parte levet. Omissionem autem orationis pro aliquo pio opere, quod tunc orationem suppleat, aut pro spirituali colloquio cum præfecto aut magistro spiritus non probo, nisi cum tanta esset afflictio et tam vehemens tentatio, ut quis in aliquod periculum se casurum probabiliter timeat.

452. D. Thomas explicans illud Isaiæ LIV: Lauda sterilis, ait: Triplex est sterilitas. Prima perversæ actionis; Job XV: Congregatio hypocritæ sterilis. Secunda, sacræ contemplationis: Genes. XXIX: Rachel erat sterilis. Tertia, temporalis retributionis; Isa. XLIX: Adhuc dicent in auribus filii sterilitatis. In hoc loco loquimur de sterilitate, ariditate et siccitate: quæ omnia unum et idem sunt, in secunda acceptione de sterilitate contemplationis. Radix istius siccitatis, et ariditatis, et sterilitatis sensitivæ in hoc sita est, quod Deus volens animam a statu imperfecto incipientium ad statum proficientium et perfectorum adducere, suas communicationes transfert a sensu ad spiritum, et de sensitivis mutat in pure spirituales; quarum utpote excedentium ac superioris ordinis, seu alterius naturæ, pars inferior sensitiva penitus est incapax: maxime cum hujusmodi communicationes spirituales potius sint substantiales quam delectabiles; propterea nequaquam ad sensum res sic pure spirituales valent redundare: unde sensus remanet omnino vacuus et siccus, quamvis tunc spiritus pascatur et reficiatur interius, qui vires inde colligit, excitatur in Deum et studet ei adhærere. Non tamen statim a principio spiritus ipse in hujusmodi communicationibus gustum et saporem percipit: imo potius ariditatem et fastidium patitur propter subitam communicationum mutationem; tum quia spiritus sensibilis tantum gratiæ hucusque lacte nutritus, nondum substantiali communicationum pure spiritualium alimento est attemperatus et assuetus; tum quia adhuc impurus non potest tam purum et subtilem cibum cum sapore et deliciis gustare: unde non mirum quod in hoc principio potius sensibiles quam pure spirituales communicationes appetat, cum in illis plus saporis quam in istis percipiat; et ita siccus, aridus et insipidus manet: inde sensibili gustu privatus, et nondum pure spirituali cibo perfruens cum sapore qui postea succedit, cum spiritus purgatione passiva purificatus prædicto cibo pure spirituali degustando bene disponitur et attemperatur.

453. Potest hæc doctrina sacræ Scripturæ auctoritate probari, et apto confirmari exemplo filiorum Israel in vasto illo peregrinantium deserto, cui solitudo et status incipientium in via purgativa plurimum conformatur: sicut igitur filiis Israel egressis de finibus Ægypti, et vastam suæ peregrinationis solitudinem

ingressis, manna delicatissimum ac omnium rerum saporem eminenter continens (propter quod cibus et panis angelorum in sacra Scriptura nominatur) displicuit, et fastidium generavit; unde dicebant: Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo; et ad porros, cepas et carnes assas Ægypti suspirabant, recordati dum sederent super ollas carnium: et hoc ideo quia crassioribus Ægypti cibis, et non levissimo mannæ cibo attemperatum et assuetum erat eorum palatum: sic et ob eamdem rationem, ut dictum est, incipientibus sensibili gratiæ tamquam cibo crassiori assuetis, subtilissimus interioris gratiæ cibus in purgationis passivæ statu communicatus displicet et nauseam parit. Unde ex corruptione seu prava dispositione appetitus nostri provenit quod miserias nostras appetimus, et cœli delicias abhorremus. Sed tamen cum siccitates et ariditates sensus ex ejus purgatione passiva dimanent, quamvis in principio spiritus nullum saporem aut devotionis gustum recipiat propter rationes adductas, interius tamen robur et operandi virtutem experitur, ab illo substantiali animæ cibo in mediis illis siccitatibus purgationis passivæ subministrato provenientem. Licet tunc hujusmodi gratiæ pure spirituales sint adhuc admodum secretæ, et quasi lateant ipsos recipientes, ipsam animam ad solitudinem inducunt, internam sæpe causant quietem, et confusam quamdam contemplationem absque notitia particulari rerum divinarum infundunt.

454. Propono in hoc articulo omnes radices ariditatis et remedia quibus evelluntur. Interdum ex inordinatis affectibus et inanibus desideriis provenit: et tunc fortiter pugnandum est ut hæc desideria eradicentur, aut certe mortificentur, ne germinent. Interdum ex negligenti cordis mentisque custodia: et tunc sollicitudo adhibenda est ut omnia distrahentia, et a Deo evocantia repellamus. Interdum ex otio et scurrilitate; nam communicatio cum Deo cor leve vagumque non sustinet: tunc vero homo ad honestos, et secundum propriam vocationem labores se adigat, ac nugas et omnia similia levitatem redolentia constanter abjiciat. Interdum ex nimiis et immoderatis occupationibus, quæ et moderandæ sunt, et ex eis licet utilibus aliquid subtrahendum, ut cor in Deum tendat, et vel brevissimis oratiunculis in Deum jactis, cor aliquantulum incalescat. Interdum ex defectu materiæ, quia mens aliquorum minus discur-

sibus assueta, quod apte cogitet invenire non vellet: et in hoc eventu meditationes legantur, quæ non breviter, sed abunde materiam subministrent; et multa præveniantur et memoriæ commendentur, quæ tunc animum pulsent et in officio contineant. Interdum ex defectu resignationis, et quia non propter Deum, sed propter nos ipsos suavitatem optamus: cui defectui medemur si ad Christi pedes procumbentes, ejus nos voluntati committamus, et cum ejus beneplacito ariditatem plusquam suavitatem optemus. Si ergo radicitus ariditates amputaveris, ipsa ariditas exarescet, et aptus ad Domini visitationes efficieris.

455. Desolatio, consolationi contraria, proprie ad vires inferiores spectat. Est ergo desolatio: ægritudo inferioris, sive sensualis partis hominis ad cœlestia aspirantis, qua ex rebus spiritualibus gaudium et lætitiam non percipit. Homo namque aliquando est ad orationem et cultum Dei minime promptus: imo ineptus et inidoneus, et tunc tædio laborat, et vocatur tepidus et indevotus. Aliquando vero est ad orationem et ad Dei obsequium satis pronus; at imbrem meditationum et affectuum considerationi incumbens non percipit; tunc sterilitate afficitur, et est substantialiter quidem devotus, sed aridus. Nonnunquam denique et est ad divinum famulatum promptus. et alacer, et in oratione sanctis cogitationibus et affectibus secundum intellectum et voluntatem irrigatur, et appetitus famelicus et mendicus manet, et contradictionem sentit, et sensibili devotione privatur, et tunc desolatione torquetur. In hoc statu laborat homo in purgatione passiva: in quo affectus elicit amoris aut aliarum virtutum, non suaviter, sed cum afflictione atque conatu; et illi non sunt admodum vehementes, quia vires inferiores non concurrunt, sed interdum contradicunt. Tempus orationi destinatum non breviter volans, sed tarde et spatiose præteriens videtur, et ad illud implendum, et in loco orationis perseverandum spiritualis vir non dulcedine, sed ratione ducitur. Et quemadmodum æger cui nullum est cibi desiderium, si appetitui obediret nihil prorsus comederet, et necessitate quam probe cognoscit, et desiderio valetudinis se ipsum ad manducandum cogit, et licet cum nausea et repugnantia naturæ alimenta sumit: ita animus desolatus non dulcedine quam sentiat allectus, sed ratione et propria necessitate convinctus,

licet cum tristitia et difficultate spiritualibus exercitiis intendit. Scandit montem orationis: sed manibus et pedibus reptans, non cursu sensibilis devotionis raptus, nec pennis consolationis subvectus. Et quamvis terra cordis ejus tribulos et spinas malarum affectionum non proferat: imo et bonas fruges sanctarum cogitationum et affectionum germinet; tamen non quasi sponte et faciliter germinat, sed homo in sudore vultus sui vescitur pane suo, et in laboribus comedit ex ea tempore purgationis passivæ. — *Adde Append.*, nn. 247-248.

ARTICULUS IV

Ex multiplici capite necessaria est purgatio passiva partis sensitivæ.

456. Motiva quamplurima sunt quæ suadent necessariam esse purgationem partis sensitivæ. Primum et principale motivum est ut pars sensitiva inferior subordinetur parti intellectuali et superiori, eique in spiritualibus exercitiis cooperetur, et ad intimam ejus unionem cum Deo concurrat. Constat autem quod pars inferior sensibilibus objectis intentius occupata, et velut absorpta, potius rebellis parti superiori quam fidelis efficitur; potius spiritualibus ejus exercitiis obstat, quam cooperetur. Et quamvis D. Thomas, 2 2, q. 158, art. 8, affirmet quod appetitus inferior sequitur motum appetitus superioris, subdit: Nisi aliquid repugnet. Et p. p., q. 81, affirmat quod appetitus concupiscibilis et irascibilis obediunt rationi non dispotice, sed politice. Et 1 2, q. 74, art. 3 ad 1: Appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habet quamdam excellentiam, scilicet quod natus est obedire rationi: sed tamen hoc intelligitur nisi aliquid obstet. Et ideo quodammodo necessarium est quod Deus incipientes purgatione partis sensitivæ purificet, gratiam sensibilem devotionis, visionum, revelationum, aliarumque divinarum impressionum subtrahendo, quando jam ex communicatione talis gratiæ in studio virtutum firmatos, et a terrenis abstractos deliciis intuetur, ita ut nullum remaneat periculum quod respiciant retrorsum, et ad sæculi voluptates revertantur.

457. Secundum motivum est quia angelus Satanæ se transformans in angelum lucis in communicationibus gratiæ sensi-

bilis, potest, Deo permittente, immisceri, et incautos vel elatos incipientes in errorem et in ruinam adducere. Quærit D. Thomas, 1 2, q. 80, art. 2, utrum diabolus possit inducere ad peccandum interius instigando, et respondet quod interior pars animæ est intellectiva et sensitiva: intellectiva continet intellectum et voluntatem. De voluntate jam dictum est quomodo ad eam diabolus se habet, articulo primo hujus quæstionis. Intellectus autem per se quidem movetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis: quod diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrat rationem ejus ad consentiendum peccato; quæ quidem obtenebratio provenit ex phantasia et appetitu sensitivo. Unde tota interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ repræsententur: potest etiam facere quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem, et quando passio est concitata, id quod proponitur imaginationi judicatur prosequendum; quia ei, qui a passione detinetur, videtur esse bonum id ad quod per passionem inclinatur. Et per hunc modum interius diabolus inducit ad peccandum. Mediante purgatione passiva liberatur homo ne decipiatur a Satana.

458. Tertium motivum est quia incipientibus penitus incertum est an hujusmodi communicationes, seu dulcedines sensibiles a naturali dispositione, diabolo cooperante, procedant, vel a naturali alacritate; et moveri se putant spirituali consolatione, quum sæpe ab inimico vel a proprio corde aliquid sentit homo, et a Spiritu sancto hoc esse credit. Quia docet D. Thomas, 1 2, q. 30 et 31 et 35, delectationes sensibiles aliquas esse bonas, aliquas esse malas. Etenim delectatio, ex D. Thoma in locis citatis, est quies appetitivæ virtutis in aliquo bono amato, et consequens aliquam operationem. — Et dupliciter potest accipi: una quidem ex parte boni, (*altera autem ex parte mali,*) in quo aliquis quiescens delectatur; bonum enim et malum in moralibus sumitur secundum quod convenit rationi, vel discordat ab ea: et ita in moralibus est quædam delectatio bona secundum quod appetitus inferior seu superior requiescit in eo quod convenit rationi, et aliqua mala secundum quod discordat ab ea. In delectatione miscet se inimicus, et ea quæ sunt secundum pas-

sionem facit judicare secundum rationem. Et multoties falsa loquitur, ut patet in prophetis, qui etiam a suo spiritu aliquando dixerunt quod a Spiritu sancto se dicere crediderunt. Hæc pericula caveri oportet non solum in statu peccati, sed etiam in ipsa gratia prudenter quid gerendum fuerit est attendendum. Cum sapientia bibe vinum, ait Salomon: vino gratia significatur. Et etiam legitur quod Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Et sanctus Bonaventura, Processu VII Religionis, cap. 8: Non videtur autem prætermittendum quod quidam decepti a seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosam Genitricem; et non solum amplexibus et osculis, sed etiam aliis indecentibus gestibus et actibus ab eis demulceri, ut sicut spiritus ipsorum interius ab ipsis consolatur spiritualiter, ita et caro exterius sibi congruo oblectamento sensus sensibiliter demulceatur et carnaliter consoletur: quod non solum esse falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur.

459. Quartum motivum est quod, etsi concedatur hujusmodi communicationes gratiæ sensibilis esse veras, et a Deo procedere, non a dæmone aut a propria imaginatione: non ita tamen æstimandæ sunt, cum impiis aliquando et imperfectis communes sint; unde potius optandum quod ab his sensus a Domino purificentur, ut animus ad divinas communicationes solis justis et perfectis proprias valeat pervenire. Audiamus Richardum in Psal. LXXX sic dicentem: Impii, quibus erit in futuro væ, hic quandoque intimis donis reficiuntur: Inimici Domini, ait, mentiti sunt ei, et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. Inimici ergo dicuntur, et tamen non tam ex frumento quam ex adipe frumenti saturantur, etiam mystica et interna participantes. Quod amplius confirmat, in Cantica, cap. VI, et adducens auctoritatem Evangelii, ait: Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: non omnis qui iterum atque iterum dixit: Domine, dulciter scilicet et affectuose, intrabit; sed qui voluntatem Patris fecerit, qui mandata custodierit.

460. Quintum motivum est, quia licet admittatur prædictas communicationes a solo Deo et solis amicis concedi, sunt tamen imperfectæ et incipientibus propriæ; unde conveniens est

ut animus eis purgetur ut ad majores et perfectiores communicationes gratiæ aspiret. Hoc docet Taulerius, cap. XVIII Institution., dicens: Effectus vero, sive opus amoris, quandoque magnum aliquod esse videtur, et est jubilatio, devotio et alia hujusmodi; sed hæc non semper potiora melioraque sunt, cum et sine vera possint charitate subsistere, et natura sæpe hujusmodi saporem et dulcedinem ministrare soleat, vel etiam, Deo permittente, malignus spiritus ea in homine excitare queat, ut aliquo ille in pretio ab aliis habeatur; nec ille sanctior dicendus est qui in hoc amplius abundat: unde solerter est discernendum utrum a Deo, et cur a Deo præstetur: sæpe namque hujusmodi Deus pro sua pietate largiri solet, ut hominem ad altiora provocet, et in vitæ contineat integritate; dum vero hic cui hæc conferre solebat, in vera dilectione proficit, hanc ei dulcedinis instillationem paulatim subtrahit. Porro etiamsi quis in hac consolatione Deo fidem servet, adhuc tamen vigilanter satis inspiciendum est utrum ex vera dilectione procedat; et licet hoc esse constiterit, ut nec sic quidem optimum. D. Thomas super Psal. XXIV, in illa verba: Dulcis et rectus Dominus, dicit: Dulcedo proprie est in corporalibus, metaphorice autem in spiritualibus. Unde oportet quod in spiritualibus dulcedo sumatur ad similitudinem corporalis. Habet autem hoc dulcedo corporalis quod reficit gustum corporalem, et quietat et delectat; similiter et spiritualis dulcedo quietat, et reficit, et delectat spiritualem gustum. In quo loco præcipue loquitur D. Thomas de dulcedine sensibili. Et loquendo de eadem in Psal. XLVI: Ascendet Deus in jubilo: Jubilus est gaudium et dulcedo, et hic jubilus significat imperfectam cognitionem. Duo genera psallentium fuerunt in Ascensione Christi, scilicet apostoli et angeli; apostoli autem imperfectam cognitionem habent de divinis, et ideo ad eos pertinet jubilus et gaudium sensibile Ascensionis Christi; angelis vero perfectus. D. Thomas, 1 2, qu. 112, art. 5, explicat illud Apocal. I: Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit. Dicit: Quia scilicet ille qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. Et Opusc. LVIII affirmat quod dulcedo spiritualis est quædam prægustatio gaudii cœlestis, valens contra tria mala quæ sunt in mundo: scilicet falsa dulcedo in delectabilibus utendis, gran-

dis amaritudo in adversis sustinendis, et tristis imago in bonis faciendis.

461. Sextum motivum, quia tales sensitivæ communicationes, etsi veræ et a Deo procedentes, ex imperfectione tamen incipientium et suggestione dæmonum præbent occasionem superbiæ. D. Thomas explicans illud Job, cap. XL: Respice cunctos superbos, dicit: Est autem duplex genus superborum. Quidam enim ex bonis quæ habent se super alios efferunt, sicut ille qui dicebat, Luc. XVIII: Non sum sicut cæteri hominum; et hi proprie superbi dicuntur, ut ipsum nomen sonat. Aliud autem genus superborum est qui sibi arrogant id quod supra ipsos est, et hi proprie arrogantes dicuntur, unde Jerem. XLVIII: Arrogantiam et altitudinem cordis ego scio, ait Dominus, et quod non sit juxta eum virtus ejus; et eorum propria pœna est dejectio: cum enim volunt se erigere supra posse, consequens est ut per infirmitatem corruant, secundum illud Psal. LXXII: Dejecisti eos dum allevarentur. De omnibus his intelligitur motivum. D. Thomas, 2 2, q. 162, art. 4, quærens utrum convenienter a D. Gregorio assignentur quatuor species superbiæ, dicit in corpore articuli: Est autem dupliciter aliquis causa sui boni, uno modo efficienter, alio modo meritorie. Et secundum hoc sumuntur duæ primæ species superbiæ, scilicet cum quis a semetipso habere æstimat quod a Deo habet, vel cum propriis meritis sibi datum desuper credit. Tertio modo ex parte modi habendi, prout excellentior aliquis redditur in hoc quod bonum aliquod excellentius cæteris possidet. Unde ex hoc etiam fertur inordinate appetitus in propriam excellentiam. Et secundum hoc sumitur quarta species superbiæ, quæ est cum aliquis, despectis cæteris, singulariter vult videri.

462. Septimum motivum est quia ad hujusmodi communicationes sensitivas ex defectu purgationis sensitivæ partis, multæ sequuntur impuritates ob rationes adductas, et periculum est ne incipientes nondum in virtute firmati consensum eis præbeant et carne consumment quod spiritu incœperunt. Ita docet sanctus Bonaventura, Process. VII, cap. 18, dicens: De his vero qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiant, continuo etiam carnalis delectationis pruritu fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus quos de luti sordibus legere deberem; et sicut illos damnare non audeo, qui

inviti quandoque in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxus licore maculantur: ita etiam excusare nescio qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur. Horum affectus, cum in Deum dirigitur, contingit interdum ut ex occasione locorum flatus levior factus in carnalem mutetur, et cum spiritu cœperint, carne consumment; unde aliqui in tali statu carnis motum, vel etiam majorem fragilitatem patiuntur. Istis dulcis affectus vertitur in peccatum; unde cum carnis motum sentiunt, statim se retrahere ab hac dulcedine, et ad aliquod bonum convertere deberent. Talibus magis expediunt amara quam dulcia, dura quam mollia: amaritudo, scilicet et dolor pœnitentiæ, et labor pugnæ contra oblectationem carnis vel propriæ voluntatis; noxia enim delectatio suo contrario melius curatur, et suavia sicut sensualitatem delectant, ita et vires ejus faciunt. Per dura itaque et labores falsa delectatio extinguitur et requies mentis acquiritur.

463. Octavum motivum est quia plerumque communicationes sensitivæ nimium gustatæ plurimum nocent sanitati, caput et cor debilitant, viresque penitus exhauriunt; unde incipientes sic debilitati redduntur inepti spiritualibus exercitiis, et a studio devotionis, propriis infirmitatibus pressi, coguntur recedere. Unde in ipso statim principio corpus quod corrumpitur aggravat animam, et stare necessitatur in via perfectionis, dum currere deberet. Totum hoc exprimit S. Bonaventura, et prudenter instruit incipientes quomodo in hac gratiæ sensibilis affluentia gerere se debeant. Audi loquentem, Process. VII, Religionis, cap. 21: Quærunt autem devoti aliquando ex devotionis vehementia debilitati, utrum sit melius debilitatem corporalem subire, et spiritum per devotionis studium cum Deo roborari, et gratiam non abjicere; an pro nimia debilitate a devotione se subtrahere, et spiritum extinguere, et exterioribus occupationibus se dare pro corporis relevatione. Ad hæc (salvo meliori judicio) videtur consulendum nimis debilibus quod interdum possunt se utiliter subtrahere a studio devotionis, et conatu proprio non adhuc instare, ne quasi extorquendo exprimant devotionis affectum, quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores. Si autem sine laborioso conatu offert se gratia et ingerit se illis non quæsita, ne abjiciant eam ex

toto, nec omnino totos se immergant ei, maxime si vehementer ex hac debilitari se sentiant, sed temperate et in quadam spiritus libertate superficialiter inhæreant, juxta illud Prov. xxv: Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, quod satis est juxta virium tuarum mensuram. Utilius enim est ad horam habere temperantius gratiam devotionis, quam omnino exhaustis viribus et destructa virtute naturali, totaliter eam perdere et irreparabiliter ea carere.

ARTICULUS V.

De signis demonstrantibus purgationem passivam partis sensitivæ.

464. Quandoque incipientes, (*dum*) repente consueta et prius familiari devotione sensibili privatos (*se*) vident, nesciunt qua via id evenerit. Experiuntur quod dum magis conantur habere devotionis gratiam, minus habeant; et dum vehementius instant, aridiores et duriores corde fiunt. Et quamvis nihil sibi conscii sint, non tamen per hoc justificatos (*se*) credunt, quia sciunt quod Deus est qui justificat eos, cui unum pro mille respondere non possunt, qui secrétiora cordis arcana scrutatur, et ibi quæ latent intuetur. Ex alia parte sibi persuadent quod hæc indevotio procedat ex aliquo graviori, sed occulto peccato; se ipsos misere cruciant, et facti sibimet graves, continuo suam miseriam deflent, nescientes quid agant et quo se vertant. Tum etiam quia hujusmodi ariditates affectus sensitivi et obscuritates sensitivæ cognitionis aliunde quam a prædicta purgatione passiva partis sensitivæ possunt emanare; puta ab actualibus peccatis et imperfectionibus, vel remissione spiritus et tepiditate, vel ab aliquo exuberante humore et indispositione corporali; ideo necesse est quod infallibilia prædictæ purgationis habeantur signa: præcipue vero sunt tria.

465. Primum signum est quod incipientes nullum gustum aut consolationem sive in rebus divinis, sive in objectis creatis percipiant; cujus ratio est manifesta: cum enim Deus ob rationes adductas eos in obscura nocte constituat, ut partem sensitivam, tam cognoscitivam quam affectivam purget et omnino purificet, non permittit quod in ulla re sensibili sibi

proportionata, sive sancta, sive mala, sive indifferenti delectentur; ex quo manifeste colligitur quod obscuritates et ariditates recentes non procedunt ex peccatis aut imperfectionibus de novo commissis, alioquin appetitus sensibilis recenti fruitione sensibilium objectorum attractus, ad eadem propenderet et inclinaretur: experientia quippe constat quod dum appetitus ad res sensibiles ultra modum se diffundit, statim ad illas juxta percepti gustus mensuram magis inclinatur, et proprio fertur pondere. Cum igitur sit universalis siccitas, ac nullum sit irriguum superius ex parte Dei sensibile, nec ullum inferius ex parte creaturarum, indubitata sequitur consequentia quod ex peccatis aut imperfectionibus non procedat.

466. Secundum signum est etiam necessario requisitum, quod incipientes in media illa nocte et ariditate constituti, ordinariam quamvis afflictivam Dei memoriam conservent: ordinariam quidem, quia si hujusmodi nox obscura et ariditas ex indispositione naturali vel humore melancholico dimanaret, naturam omnino obrueret, et cœlestia potius quam terrenorum memoriam excluderet, quia cœlestia magis remota, terrena vero semper occurrunt; afflictivam autem quia incipientes in similibus angustiis positi, judicant se servos inutiles, et nihil affectos erga Deum: imo a spiritualibus exercitiis velut aversos experiuntur; ex quo colligitur quod hujusmodi nox et ariditas non oritur ex tepiditate, vel defectu naturali: tepiditatis enim proprium est parum divina curare, et potius eorum nauseam et fastidium ingerere, unde est latum discrimen inter ariditatem et tepiditatem, quia tepiditas importat debilitatem et incuriam circa divinum obsequium, ariditas autem purgativa maxime affert in divino obsequio sollicitudinem, et addit dolorem si in tali obsequio aliquis defectus aut remissio percipiatur; et quamvis aliquando hujusmodi purgativæ ariditati melancholicus humor, aut alius admisceretur, non tamen propterea suo effectu purgativo fraudaretur, quandoquidem appetitus sensibilis proprio gustu privatur, et solum erga Deum afficitur: cum autem sensitiva ariditas ex solo procedat humore, solum fastidium et corruptio naturæ percipitur, absque intimo desiderio inserviendi Domino.

467. Tertium signum est purgationis passivæ partis sensitivæ, quod incipientes prius meditationibus ac piis discursibus

assueti, jam non possunt meditari, nec imaginatione discursus formare, quantumcumque nitantur: cum enim Deus non amplius per sensus discurrentes, et rerum notitias componentes, aut dividentes se communicet, sed in simplicitate ac puritate spiritus per actum contemplationis, ad quem sensus tam externi quam interni pertingere non possunt, propterea imaginatio sive phantasia non habet unde incipiat aut prosequatur suam operationem. Quod autem hæc suspensio, inquietudo et insipiditas potentiarum sint signum evidens purgationis passivæ partis sensitivæ, ex hoc constat quia si hæc ex malo aliquo humore vel indispositione naturali procederent, non possent diu perseverare, sed evacuato, vel temperato tali humore, ad pristinum statum rediret anima, et consuetos discursus ac meditationis actus ejus potentiæ eadem facilitate ac prius elicerent; in hac vero purgatione passiva partis sensitivæ contrarium accidit: nam statim a principio tollitur facilitas discurrendi, imo frequentius tollitur et aufertur facultas; quod si aliquando non ita premat purgatio, et potentiarum suspensio remittatur, ut incipientibus solamen aliquod concedatur, hoc tamen indubitatum est quod si hujusmodi purgatio sensitiva compleri debeat, et ei succedere purgatio passiva partis intellectivæ dispositiva ad unionem divinam, quanto magis viam purgativam ingreditur, eo magis operatio sensitiva deficit: quod non accidit in illis qui media utraque purgatione passiva, ad divinam unionem adducendi non sunt: cum enim unioni divinæ disponendi non sint, sed tantum purgentur ad exercitium humilitatis et ad reformationem appetitus, nec purgatio passiva partis sensitivæ, sicut nec suspensio potentiarum, est continua, sed intercalata. Quinam autem sint perfecte purgandi in ordine ad divinam unionem, quinam vero tantum imperfecte, scit ipse Dominus, qui sua dona distribuit ut vult, et uni dat quinque talenta, alii vero duo, alii vero unum, unicuique secundum propositum voluntatis suæ.

ARTICULUS VI.

De effectibus purgationis passivæ partis sensitivæ.

468. Spes percipiendi fructus laborum ipsos labores efficit dulces, aut saltem tolerabiles: et in hac materia licet tempore

hujus purgationis euntes eant, et fleant mittentes semina sua: tempore tamen suæ illuminationis venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos; et tandem in statu unionis inebriabuntur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis potabuntur quantum ad partem affectivam; quantum vero ad partem cognoscitivam, licet in principio tenebris obruantur et quasi conculcentur, postea tamen a Deo illuminabuntur juxta illud Psal. CXXXVIII: Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus; et in fine replebuntur benedictionibus, et participatæ gloriæ capaces efficientur.

469. Fructus purgationis passivæ partis sensitivæ quidam sunt privativi, quidam vero positivi. Purgatio quippe passiva partis sensitivæ duo facit: primum ordine generationis et in executione, ac ex parte incipientis est removere omnia impedimenta divinæ unionis, ad quam ordinatur; secundum est inducere debitas dispositiones ad talem unionem, quamvis ordine perfectionis, et in intentione, ac ex parte agentis sit e contrario: nam inducendo debitas dispositiones divinæ unionis in anima incipientium, ab ea removent impedimenta talis unionis; et sic quod in priori ordine tamquam primum assignatur, in posteriori est secundum; et vice versa quod in illo est secundum, in isto invenitur primum.

470. Fructus privativi purgationis passivæ partis sensitivæ ex hactenus dictis in toto hoc discursu facile colligi possunt: unde in præsenti non fuse describendi, sed tantum leviter audiendi sunt. Primo quippe per illos omnes defectus et imperfectiones partis sensitivæ superius recensitæ sub titulo vitiorum capitalium, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, iræ, gulæ et accidiæ spiritualis evacuantur: ut sic impedimenta quæ in parte sensitiva divinæ unioni poterant obstare, removeantur, et dispositiones virtutum ad illam requisitæ suaviter introducantur. — Secundo, per illam incipientes multis ineptis vanis imaginationibus, et dæmonum illusionibus, aut imperfecto saltem operandi modo liberantur. — Tertio tandem, multa pericula cadendi in anima, et deficiendi quantum ad vires naturales in corpore præcaventur.

471. Fructus positivi sunt quamplurimi: et quidem primus ac per se primo intentus est ut pars sensitiva, media purgatione passiva, parti intellectuali debite subjiciatur, et utraque per-

fecte in ordine ad divinam unionem disponatur. — Secundus fructus est robur animæ, per hoc quod eam ablactat a gratia sensibili, quæ est lac incipientium parvulorum in vita spirituali: ipsam quippe ab alimentis infantiæ tenuioribus ad solidos virtutum cibos reducit, et a lento infantium procedendi modo ad currendam perfectionis viam impellit. — Tertius est notitia tam sui quam Dei, quæ tamquam maximum Dei beneficium exoptanda est. Hanc D. Augustinus velut primam omnium bonorum spiritualium originem et gratiarum fluentiam postulabat a Domino, continuo dicens: Noverim te, noverim me. Et Isaias, cap. XXVIII: Quem docebit scientiam (videlicet Dominus) et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, scilicet gratiæ sensibilis. — Quartus est præcedenti connexus, summa humilitas, quæ propriæ miseriæ simul et excellentiæ divinæ notitiam concomitatur: sicut enim incipientes, tempore prosperitatis et abundantiæ sensibilis gratiæ, Dei favoribus abutentes, in corde suo vanitate tumebant: sic tempore paupertatis et inopiæ spiritualis, propriam miseriam agnoscentes, humiliantur; unde dicitur Psal. XXXVIII in persona istorum: Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (scilicet spiritualibus, quorum jacturam se credit incurrisse), et dolor meus renovatus est. Hujus doctrinæ confirmationem habemus in persona Moysis, qui cum mirabilem rubi ardentis et non consumpti visionem habuisset, nimis audacter dixit: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus; sed cum Dominus eum de propria miseria admonuisset, et tamquam indignum appropiare vetuisset, et insuper solvere jussisset calceamenta de pedibus, his eruditus et humiliatus Moyses, abscondit faciem suam: non enim audebat aspicere contra Dominum. — Quintus est paupertas spiritualis. — Sextus fructus est patientia, perseverantia in laboribus animæ, et conformitas cum divina voluntate. — Septimus fructus, ordinaria Dei præsentia, cum desiderio placendi et inserviendi suæ divinæ majestati sincero ac puro animo. — Octavus est pax et tranquillitas animæ, quæ moderatis per hanc purgationem passionibus et evacuatis imperfectionibus consurgit. — Nonus tandem fructus, ut plures alios omittam, frequens virtutum theologicarum exercitium.

ARTICULUS VII.

Quomodo se gerere debeant incipientes tempore purgationis passivæ.

472. Incipientes purgationis sensitivæ viam ingressi, si in terra deserta, invia, inaquosa collocatos se vident; et ipso principio, quasi in loco horroris et vastæ solitudinis spiritualis, in qua vix ulla virtutum præcedentium semita comparet, et gratiæ sensibilis extat penuria: plurimum timendum est ne hujus viæ periculis deterriti, difficultatibus oppressi, tenebris obvoluti et horrore exanimati, sistant, aut etiam retrocedant, nisi directoris experti consilio firmentur, et ad ulterius procedendum animentur.

473. Aliqua generalia tradentur documenta quibus et incipientes viam purgativam ingressi, et eorum directores instruantur: illi ad procedendum in hac via, isti ad alios dirigendum. Quando igitur incipientes se gratiæ sensibilis affluentia destitutos adverterint, experti quod in piis meditationibus sicut ante versari non possunt, non debent conari contra cursum fluvii, nec in vanum mentem prædicto meditandi exercitio intendere, quia multum patientur et nihil proficient: anima quippe tunc quietem, non discursum appetit; et si applicetur discursui, quietem ac pacem amittet, et discursum frustra requirit. Unde tales incipientes curare plurimum debent ne mentem fatigent, aut potius obruant inquirendo et exercendo discursu, quia et tempus et operam perdent; et sic advertentes quod adhibita sufficienti diligentia, nihil in meditatione proficiunt, et quo magis mens (*ad*) meditandum intenditur, eo plus laboris et insipiditatis incurrit, quia jam venit finis discurrendi, debent in sacro illo otio et tranquilla pace quiescere, quæ est terminus discursus, et contemplationis initium. Cumque se nullius culpæ de novo commissæ reos sentiant, debent sibi persuadere quod sensibili gratia devotionis privantur non ad pœnam, sed ad præmium; non ad detrimentum, sed ad bonum. Notandum tamen est non esse totaliter ab exercitio meditationis recedendum: in hac quippe sensitiva purgatione contemplatio, seu notitia Dei

generalis, non est continua nec diuturna; unde, ipsa cessante, ad pristinum (*exercitium*) meditationis incipientes redire debent, et maxime circa vitam et passionem Christi. Incipientes, quamdiu divina contemplatione obscura non obscurantur, et quamdiu licet eis meditari, debent in sanctis meditationibus perseverare.

474. Aliud documentum est ut incipientes gratiæ sensibilis privatione, duritia cordis, sensuum tenebris, distractione mentis, aliisque sensitivæ purgationis angustiis afflicti, sint in tentatione fideles; et Christum sequantur usque ad crucem, qui secuti sunt eum ad panis fractionem; et bibant cum eo passionis calicem, qui deliciis ejus internis antea communicaverunt. Unde debent attendere voci Domini clamantis: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quamvis enim non debeant se novis et gravioribus affligere pœnitentiis, ne natura internis oppressa jam angustiis penitus succumbat: debent tamen a piis orationis et mortificationis exercitiis, saltem omnino non recedere, ac Domino libenter propriis, ut dicitur, impensis deservire; orent humiliter vel ore, vel corde; et ad Deum, si non suaviter, saltem cum amaritudine aspirent, et in bonis operibus perseverent: quamvis enim omnia sint ipsis insipida et amara, Deo tamen sunt gratissima, et plus ei sapiunt quam alia in suavitate gratiæ sensibilis facta. Non debent infideles servos imitari qui Deo non puro charitatis affectu, sed utilitatis propriæ commodo deserviunt; unde cum gratiæ sensibilis stipendio se carere vident, piis operibus relictis adversus Deum murmurant ad carnis solatium. Ipsos mire describit B. Henricus Suson, ex ordine Prædicatorum, dicens: Plerique, quanto sacratioria sunt tempora, et ipsi se libentius ad Deum converterent, tanto magis ipsorum afflictio augetur, ita ut ne unam quidem Orationem Dominicam, nec Angelicam Salutationem absque diabolicis susurris explere libere possint. Unde et ipsi in quamdam veluti desperationem labentes, orationem a se abjiciunt, et hoc pacto sibi ipsis loquuntur: Quid putas ista oratio tibi prodesse tot sordibus conspurcata? Sed in hoc nimium errant et suo adversario penitus obsequuntur, cujus hoc præcipuum studium est ut eos ab exercitiis spiritualibus repellat.

475. Debent tandem hujusmodi incipientes in hac pressura purgationis sensitivæ constituti, ex una parte sibi persuadere

quod labores et tentationes, sive interius sive exterius pro Deo tolerati, plurimum afferunt meriti, et fructus multos et suavissimos suo tempore producunt, et pro peccatis abunde satisfaciunt; ex alia vero parte, ut eorum tolerantia sit facilior, imo suavis reddatur, debent Christum crucifixum ob oculos sibi proponere: ejus quippe exemplo ad amplectendam spiritualem crucem suis peccatis debitam animabuntur, videntes Christum tam dire pro peccatis aliorum crucifixum, ita ut non solum ab hominibus, verum etiam a Patre suo derelictus, tristius usque ad mortem pateretur; unde prius dixerat Apostolis: Tristis est anima mea usque ad mortem; et in ultimo mortis agone constitutus, clamavit ad Patrem: Pater mi, ut quid dereliquisti me? Quod si ad easdem angustias redigeretur, repetitis orationibus jaculatoriis et variis virtutum actibus elicitis, maxime patientiæ et conformitatis cum divina voluntate, cœleste deposcat auxilium, et sanctos suos peculiares patronos intercessores adhibeat. Dicat aliquando: Domine, salva nos. Aliquando etiam proferat: Auge dolorem, sed auge patientiam; et tandem: Jube quod vis, et da quod jubes.

476. D. Thomas, in expositione capitis XXI Isaiæ, in fine dicit: Custodire se debet homo in nocte adversitatis triplici consideratione. Primo, considerando percutientis affectum; Prov. III: Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis. Secundo, considerando percussi Christi exemplum; Hebr. XII: Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Tertio, considerando percussionis fructum; II. Cor. IV: Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

ARTICULUS VIII.

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando tentatione contra castitatem.

477. Paucissimi inveniuntur qui carnis stimulos non patiantur; in appetitu autem concupiscibili major extat corruptio naturæ per peccatum originale: non desunt tamen aliqui sic

divinæ gratiæ prævenientis auxilio puri, quod nullam habeant tentationis contra castitatem experientiam. Legimus namque de S. Thoma Aquinate quod in præmium victoriæ quam de meretrice sollicitante retulerat, sensit ab angelis lumbos suos restringi, unde deinceps nullum impuritatis motum passus est. Plures tamen sunt qui hujusmodi tentationis molestias experiantur, et maxime inter incipientes, ut citius purgentur. Vix concipi potest nisi ab expertis, quantas in anima molestias excitet hujusmodi tentatio. Cum enim incipientes non solum affectent, sed etiam procurent animæ et corporis puritatem, mire torquentur interius, cum se fœdis ac sordidis imaginationibus et impuris motibus vident agitari, et sæpe perturbati et ad ultimas angustias pene redacti, nesciunt quid faciant aut quo se vertant. Unde tentatio contra castitatem est pene purgatio universalis incipientium, amara quidem, sed efficacissima.

478. Hac tentatione multi etiam in sanctitate celebres purgati et probati sunt. Audiamus D. Thomam in expositione apostoli Pauli, super illa verba II. Cor. XII: Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Dicit D. Thomas: Plerumque sapiens medicus procurat et permittit supervenire infirmo minorem morbum, ut majorem curet vel vitet, sicut ut curet spasmum, procurat febrem: hoc evidenter in se beatus Apostolus a medico animarum Domino Jesu Christo factum ostendit. Christus enim velut medicus animarum summus, ad curandum graves animi morbos permittit plurimos electos suos et magnos in morbis corporum graviter affligi, et quod plus est, ad curandum majora crimina, permittit incidere in minora; sic factum est in apostolo Paulo a medico animarum, Christo Domino. " Datus est mihi, „ idest ad meam utilitatem et humiliationem, " stimulus carnis meæ, „ idest concupiscentiæ surgentis ex carne mea, a qua multum infestabatur. Iste, inquam, stimulus est " angelus Satanæ, „ idest angelus malignus a Deo missus seu permissus: sed Satanæ, quia Satanæ intentio est ut subvertat; Dei vero ut humiliet et probatum reddat; de remotione autem hujus stimuli valde sollicitus erat Apostolus, unde propter hoc orabat. Et hoc est quod subdit: " Propter quod, „ etc. Infirmus nesciens processum medici appo-

nentis mordax emplastrum, rogat medicum ut removeat; quod tamen sciens medicus causam quare facit, scilicet propter sanitatem, non exaudit eum quantum ad voluntatem petentis, magis curans de ejus utilitate. Sic Apostolus sentiens stimulum sibi gravem esse, ad singularis medici confugit auxilium ut eum removeat. " Ter Dominum rogavi, et Dominus dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; „ quasi dicat: Non est tibi necessarium quod infirmitas corporis recedat a te, quia non est periculosa, cum gratia mea confortet te; nec infirmitas concupiscentiæ, quia non pertrahet te ad peccatum, quia gratia mea proteget te. Hæc ille. Hieronymus in horridis Syriæ constitutus desertis, pœnitentiæ rigoribus pene consumptus, cum super ossa vix pellem haberet, et cadaver potius emortuum quam corpus humanum, ciliciis, catenis et cinere obrueret; hujus tamen tentationis aculeis agitabatur, ut ipsemet referendo deploret, dicens se in mediis solitudinis horroribus tales habuisse imaginationes, quasi in choris nobilium Romanarum versaretur.

479. Est tam vehemens ista purgatio quod beata Angela de Fulginio, inter maximos, quos in sua purgatione patiebatur dolores, refert his verbis ardorem hujus tentationis: In locis verecundis tantus est ignis, quod consuevi apponere ignem materialem ad extinguendum alium ignem concupiscentiæ, donec confessor mihi prohibuit.

480. Tam vehementer affligit in hac purgatione passiva partis sensitivæ tentatio contra castitatem, ut sit necessarium adhibere omnia remedia quæ ponit D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 19. Primum et præcipuum est ut mens circa contemplationem divinorum et orationem occupetur; unde dicit Apostolus ad Ephes. v: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus; quod ad contemplationem pertinere videtur: Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino; quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per Prophetam dicit, Isaiæ XLVIII: Laude mea infrænabo te ne intereas. Est enim quoddam frænum animam ab interitu peccati retrahens laus divina. — Secundum remedium est studium Scripturarum, secundum illud Hieronymi ad Rusticum monachum: Ama Scripturarum studia, et carnis vitia non amabis. Unde Apostolus, cum dixisset, I. ad Tim. IV: Exemplum esto

fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, statim subdit: Dum venio attende lectioni. — Tertium remedium est quibuscumque bonis cogitationibus animum occupare. Unde Chrysostomus super Matth. dicit quod abscissio membri non ita comprimit tentationes, et tranquillitatem facit, ut cogitationis frænum. Unde Apostolus, ad Philipp. IV, dicit: De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. — Quartum remedium est ut homo ab otio desistens, etiam in corporalibus laboribus se ipsum exerceat. Dicitur enim Eccli. XXXIII: Multam malitiam docuit otiositas. Et specialiter otium est vitiorum carnalium incentivum, unde dicitur Ezech. XVI: Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius. Et ideo Hieronymus ad Rusticum monachum scribens, dicit: Facito aliquid operis, ut semper diabolus inveniat te occupatum. — Quintum remedium adhibetur contra carnis concupiscentiam fugere aspectum mulierum et colloquium. Unde dicitur Eccli. IX: Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Et postea subditur: Colloquium ipsius quasi ignis exardescit. Et ideo contra hoc est adhibendum remedium quod ibidem dicitur: Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. Hæc ille.

ARTICULUS IX.

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando manifesta dæmonum persecutione et hominum.

481. Ad purgandos Deus electos suos etiam dæmonum utitur malitia, qui, Deo sic disponente et permittente, tam crudeliter aliquando torquent incipientes, ut nisi internæ gratiæ firmarentur auxiliis, facile a virtutis prosecutione et a perfectionis via deterrerentur; sed bonus Dominus, qui in sua dispositione non fallitur, ex dæmonum malitia et in fideles servos suos sævitia suum deducit intentum: nam et servos suos medio illo purificat, et contra dæmonum persecutiones etiam apertos victores reddit et triumphatores. Ad hujus veritatis confirma-

tionem innumera possunt adduci de vitis Patrum exempla. Legimus de sancto Antonio et de sancto Hilarione adhuc incipientibus quantas a dæmonibus sunt passi molestias, quoties visibiliter apparentes viderint, quoties minas et horrores aspexerint intentantes, quoties irridentes, et convicia et injurias proferentes audierint, ut passim narrat S. Hieronymus. Divus Thomas, super caput XXVII Isaiæ, loquens de visibili apparitione dæmonis, dicit quod diabolus apparuit in forma serpentis; primo, propter renovationis ingenium; I. Cor. II: Ipse Satan transfigurat se in angelum lucis. Secundo, propter incedendi modum; Job I: Circuivi terram, et perambulavi eam. Tertio, propter venenosum morsum; Prov. XXIII: In novissimo mordebit eum coluber. Quarto, propter involutionis modum; Job XL: Stringet caudam suam quasi cedrum. Idem D. Thomas, super c. XL Job: Ecce Behemoth quem feci tecum, dicit sic: Est autem considerandum quod sicut angeli, in sua dignitate manentes, excellentiam quamdam habent super hominum dignitatem, unde et in fulgentiori quadam claritate apparent hominibus: ita etiam dæmones excellentiam quamdam et principatum in malitia supra homines habent, et ideo sub figura quorumdam excellentium et quasi monstruosorum animalium describuntur. Inter autem omnia terrestria animalia excellit elephas magnitudine et virtute. Et subdit: Ipse est principium viarum Dei, quia ipse fuit principium adversitatis ipsius Job, et medio illo purificavit sanctum.

482. Persecutio hominum nonnunquam sensibilior est quam dæmonum, unde non mirum quod ad virtutis exercitium et ad incipientium purgationem Deus illa utatur. Cum enim invisibiles sint homini dæmones, et visibiles sint sibi invicem homines, in mutua conversatione et familiaritate faciunt sibi invicem angustias, vel data opera, vel etiam præter intentionem: unde in communi consortio sibi dant occasionem patientiam cæterasque virtutes exercendi. Ita D. Thomas, explicans illud ad Galat. IV: Qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, dicit quod duplex est persecutio. Una bona, qua quis persequitur alium ut reducat eum ad bonum: et hanc viri justi faciunt malis, et spirituales carnalibus, vel ut eos corrigant, si converti volunt; vel si obstinati sint in malo, ut destruant, ne gregem Domini inficiant.

Alia persecutio est mala, qua quis persequitur alium ut pervertat ad malum; et hanc qui secundum carnem nati sunt faciunt his qui nati sunt secundum spiritum. Idem D. Thomas, explicans illud Psal. XVII: Persequar inimicos meos et comprehendam illos, dicit sic: Persequar inimicos: non amicos, sed inimicos; I. Machab. III: Persecutus est Judas inimicos, perscrutans eos, et qui persequebantur populum suum (*eos*) succendit flammis. — Sed non videtur, dicit Sanctus, quod liceat bonis viris facere persecutionem contra aliquos; Galat. IV: Quomodo nunc is qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc: ergo carnalium est inferre persecutionem, et spiritualium est pati. Sed respondet quod affectus persequendi distinguit persecutionis genus. Quidam enim persequuntur amore et zelo; Psal. LXVIII: Zelus domus tuæ comedit me: et hoc faciunt ut ad bonum, sive ad salutem perducant, vel malum impediant. Psal. C: Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Et hoc modo persequuntur boni malos, sive peccatores. Quidam persequuntur ex odio inferentes malum et impedientes bonum: et hoc modo persequuntur mali, sive carnales, viros justos; Psal. LXX: Persequimini et comprehendite eum; vel: Persequar inimicos meos, idest carnales affectus. Comprehendam illos, non illi comprehendent me, secundum Glossam. Et ostendit quomodo est efficax ad persequendum inimicos, unde dicit: Et comprehendam illos. Tunc ostenditur efficax quando pervenit ad finem, ut capiat eos; II. Reg. V: Si ascendam ad Philisthiin, et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende. Ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo.

483. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Timoth. III: Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur, dicit sic: " Pie „ sumitur dupliciter. Quandoque pro virtute pietatis ad cultum divinum; in eodem capite: Habentes speciem pietatis. Quandoque pro misericordia ad proximum; I. Tim. IV: Pietas ad omnia valet. " Omnes ergo qui pie volunt vivere in Christo Jesu, „ idest volunt observare cultum religionis christianæ; Tit. II: Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo: tales persecutionem patientur; et maxime in primitiva Ecclesia, quando Christus undique impugnabatur

a Judæis et Gentilibus. Et ideo, Joan. XVI: Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo; Matth. XXIV: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Item: " Omnes qui pie volunt vivere, etc., „ idest volunt per fidem Christi servare misericordiam ad proximum, necesse est eos persecutionem pati: et si non ab extra, tamen ab intus, quando scilicet compatiuntur defectibus proximorum, quorum culpas et pœnalitates vident; II. Cor. XI: Quis scandalizatur, et ego non uror? Item sunt aliæ persecutiones quæ sanctis omnibus deesse non possunt, scilicet carnis, mundi et dæmonis, quia, ut habetur ad Galat. V, caro concupiscit adversus spiritum. Rom. VII: Infelix homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Psal. XXXIII: Multæ tribulationes justorum. Hæc ille.

ARTICULUS X.

Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur rerum sensibilium jactura, privatione bonorum corporis, et carentia bonorum animæ.

484. Bona fortunæ, consanguinei et affines, honores et dignitates inter res sensibiles, quantum attinet ad præsens institutum, computantur. Quorum omnium jactura Deus utitur, ut servos suos viam perfectionis ingressos a pravis affectibus purificet. Cum enim affectus humanus naturæ corruptæ potius ad visibilia quam ad invisibilia connaturaliter tendat, ex eo quod illa sunt homini pervia, et pro statu mortalis vitæ magis proportionata; quia non operatur intellectus nisi per conversionem ad phantasmata, quæ sunt directe ac per se primo rerum sensibilium sensibus externis perceptarum, et tantum indirecte et secundario rerum intelligibilium: inde est quod Deus, ut ab inordinato rerum visibilium affectu nos abstrahat et ad se ipsum alliciat, misericorditer per eorum subtractionem liberat, quos miserabiliter eorum possessio ligatos tenet. Non dubito quin hæc purgatio per jacturam omnium sensibilium amara sit: sed si patienter de manu Domini sustineatur, dulcescit; et qui eam sic suscipit, infallibiliter cum sancto Job dicet: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino

placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et jam aspirant tunc ad viam perfectionis per dimissionem temporalium. D. Thomas, Opusc. XVIII, cap. 7: Inter bona temporalia primo relinquenda occurrunt bona extrinseca, quæ divitiæ nuncupantur: et hoc Dominus consulit, Matth. XIX, dicens: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Cujus consilii utilitas consequenter ostenditur, primo, per evidentiam facti. Nam cum adolescens, qui de via perfectionis quæsierat, hoc audisset, abiit tristis. Causa autem tristitiæ, ut Hieronymus dicit super Matthæum, redditur: Erat enim habens multas possessiones. Et Chrysostomus, idem exponendo, dicit quod non similiter detinentur qui pauca habent, et qui multis abundant, quoniam adjectio divitiarum majorem accendit flammam, et violentior fit cupido. — Secunda utilitas prædicti consilii manifestatur per Domini verba quæ subdit: Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum; et ratio est, ut Hieronymus dicit, quia divitiæ habitæ difficile contemnuntur; non dicit: Impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum: sed difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Et sicut Chrysostomus dicit super Matthæum: Procedit ulterius Dominus ad ostendendum quod est impossibile, dicens: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Ex quibus verbis, ut dicit Augustinus, discipuli adverterunt omnes qui divitias cupiunt, in divitum haberi numero; alioquin cum pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, non quæsivissent discipuli: Quis ergo poterit salvus esse? Ergo qui in statu perfecto sunt vitæ purgativæ partis sensibilis, jam libenter dimittunt divitias et bona temporalia. Hæc ille.

485. Perficitur etiam purgatio passiva partis sensitivæ per jacturam honorum et dignitatum. D. Thomas 2 2, q. 131, art. 1: Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum. Uno modo per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet: quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo per hoc quod honorem sibi cupit, non referendo in Deum. Tertio, per hoc quod appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referendo honorem ad utilitatem aliorum. Ambitio autem importat inordinatum appetitum

honoris. Unde manifestum est quod ambitio semper est peccatum. Et in eadem 2 2, q. 185, art. 1, quærit utrum liceat episcopatum appetere. — Ex verbis Apostoli videtur esse licitum episcopatum appetere: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; sed licitum est et laudabile bonum opus desiderare: ergo etiam laudabile est desiderare episcopatum. Respondet quod, sicut Gregorius dicit in Pastorali, illo tempore hoc dixit Apostolus quo ille qui plebibus præerat primus ad martyrii tormenta ducebatur, et sic nihil aliud erat quod in episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. Unde Augustinus dicit, XIX De civitate Dei, quod Apostolus dicens: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen operis est, non honoris. Græcum est enim: Ἐπὶ quippe *super*, σκόπος vero *intentio* est: ergo ἐπισκόπειν in græco, si velimus, latine superintendere possumus dicere, ut intelligat non se esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. In actione enim, ut parum ante præmittit, non amandus est honor in hac vita, sive potentia, quoniam omnia vana sunt sub sole; sed opus ipsum quod per eumdem honorem vel potentiam fit. Et tamen, ut Gregorius dicit in Pastorali, Apostolus laudans desiderium, scilicet boni operis, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum subjungit: Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, quasi dicat: laudo quod quæritis; sed discite quid quæritis.

486. Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur privatione bonorum corporis. Quo magis sunt intrinseca et propria bona quibus privamur, eo privatio illorum sensibilior est, et perfectius affectum purgat, si debito modo de manu Domini suscipiatur. Explicans D. Thomas illud Job, cap. II: Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, dicit sic: Considerandum est autem quod Job afflictus fuerat, scilicet in amissione possessionum, et etiam in amissione natorum. Intendit igitur Satan dicere quod utramque afflictionem Job patienter toleraverat propter corporis sui salutem; et quod hoc non erat magnæ virtutis, sed erat humanum et apud homines consuetum; et hoc est quod dicitur: Homo quasi quicumque, etiam non virtuosus, dabit de facili pellem pro pelle, idest carnem alienam pro carne sua; sustinet enim homo non virtuosus ut quicumque alii, etiam quantumcumque conjuncti,

potius corpore affligantur quam ipse. Et similiter homo quicumque dabit cuncta exteriora quæ possidet pro anima sua, idest pro vita sua conservanda. Posset aliquis dicere ad Satan: unde potest probari quod Job amissionem natorum et possessionum patienter tulerit, timens damnum pellis suæ et vitæ suæ? Quasi huic quæstioni respondet subdens: " Alioquin, „ idest simplici verbo non credatur, " mitte manum tuam, „ idest exerce virtutem tuam; " et tange os ejus et carnem, „ idest affligas eum in corpore, non solum in superficie, quod significatur per tactum carnis; sed etiam in profundum, quod significatur per tactum ossis: ut scilicet tactus usque ad intima perveniat. " Et tunc videbis, „ idest manifeste ab omnibus conspici poterit, " quod in faciem benedicat tibi. „ Voluit igitur Dominus ostendere quod Job Deo non servierat propter corporis salutem, neque propter exteriora bona. Unde subditur: " Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua, idest potestatem tibi trado eum in corpore affligendi. " Verumtamen animam illius serva, „ idest vitam ne ei auferas. Accepta potestate, Satan ad ejus executionem procedit. Percussit quidem eum turpi et abominabili ulcere, et incurabili, et doloroso; unde dicitur " pessimo, „ et universaliter " a planta pedis usque ad verticem ejus. „ Solent enim ægrotantium afflictiones remediis exterius adhibitis et deliciis alleviari; sed Job sic alleviatus non fuit. Hæc ille. Unde Job privatione bonorum corporis, tamquam per purgationem passivam fuit dispositus ad perfectam unionem cum Deo.

487. Purgatio passiva partis sensitivæ aliquando perficitur carentia bonorum animæ. D. Bernardus in Cantica dicit quod vir devotus per subtractionem gratiæ sensibilis sic obscuritatibus involvitur, ut potius se derelictum et inimicum Dei judicet quam amicum; potius se ei displicere credat quam placere, ita ut vereatur omnia opera sua. Carentia bonorum animæ dupliciter accidit. Primo, per subtractionem alicujus solatii, vel suavitatis spiritualis, cui incipientes inordinate adhærent, vel quia non puritatem spiritus, sed tantum sensibilem aliquam consolationem quærunt; vel quia plus nimio rebus alias sanctis addicuntur. Audiamus D. Thomam super illud Joan. XVI: Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero,

mittam eum ad vos, dicit sic: Hic ponitur ratio consolationis quæ est promissio Spiritus sancti. Et primo promittit Spiritum sanctum; secundo prænunciat ejus effectum. Dicit: " Tristitia implevit cor vestrum, „ scilicet de recessu meo; sed est magis vobis gaudendum, quia " expedit vobis ut ego vadam, „ idest valde vobis necessarium est. " Quia si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. „ Item est vobis fructuosum et utile, quia " si abiero, mittam eum ad vos, „ scil. Spiritum sanctum. — Sed numquid non potuisset Christus dare Spiritum sanctum vivens in carne? Dicendum quod sic; quia etiam super eum baptizatum Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, et nunquam ab eo recessit, quem ab instanti suæ conceptionis recepit non ad mensuram. Sed noluit eum dare discipulis existens cum eis, quadruplici ratione. Primo, propter eorum indispositionem; nam Spiritui sancto, cum sit amor spiritualis, contrariatur amor carnalis. Discipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, necdum elevati erant spirituali amore ad ejus divinitatem, et ideo nondum capaces erant Spiritus sancti. Secundo, propter divini auxilii conditionem, quod maxime adest in necessitatibus; Psal. IX: Adjutor in opportunitatibus. Quando autem Christus erat cum eis, sufficiens adjutorium erat cum eis: sed, eo recedente, multis tribulationibus exponebantur, et ideo datus est eis statim alius consolator et adjutor. Tertio, ex dignitatis Christi consideratione; nam, ut Augustinus dicit, cap. IX De Trinitate, Christus in quantum homo non habet quod det Spiritum sanctum, sed in quantum est Deus. Quando autem cum discipulis erat, videbatur esse quasi unus ex eis. Ne ergo videretur quod homo esset qui daret Spiritum sanctum, ideo ipsum ante ascensionem suam non dedit; Sap. IX: Mitte illam a sede magnitudinis tuæ. Quarto, propter unitatem Ecclesiæ conservandam. Joannes signum fecit nullum: quod ideo fuit ne populus divideretur a Christo, et ut evidentior appareret eminentia ad Joannem. Discipuli autem ipso Spiritu sancto replendi erant, ut etiam opera majora facerent quam Christus fecit. Et ideo si ante passionem fuisset eis datus, potuisset verti in dubium apud populum quis esset Christus; Psal. LXVII: Ascendens Christus in altum, dedit dona hominibus. Hæc ille. — *Adde Append.*, nn. 205-230.

QUÆSTIO III.

DE VIA ILLUMINATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PROFICIENTIUM

DISPUTATIO I.

DE ILLUMINATIONE ACTIVA PARTIS COGNOSCITIVÆ PER CONTEMPLATIONEM.

ARTICULUS I.

De proficientibus in vita spirituali.

488. Disputatione prima, art. 2, quæstionis secundæ purgationis activæ, ex D. Thoma, 2 2, q. 183, art. 4, dictum est quod status spiritualis servitutis et libertatis secundum tria distinguitur, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium; et medium, ad quod pertinet status proficientium; et terminum, ad quem pertinet status perfectorum. Et ex eodem divo Thoma, in III, dist. 29, qu. 1, art. 8, sicut in augmento corporali distinguuntur diversæ ætates, ita in augmento spirituali assignantur gradus diversi charitatis secundum incipientes, proficientes et perfectos. Et 2 2, q. 24, art. 6, sicut distinguit diversos status naturæ, ita et diversos gradus charitatis secundum diversa studia ad quæ homo perducitur, incipientium, proficientium et perfectorum. Et in expositione super cap. XLIV Isaiæ datur spiritus incipientibus, secundo proficientibus, tertio perfectis. Et Opusc. LVIII, circa spiritualem manducationem, distinguit tria genera personarum: incipientium, proficientium et perfectorum. In isto articulo solum disputatur de proficien-

tibus; secundum D. Thomam, I. Corinth. XIII: Qui non studet ad proficiendum, est in periculo cadendi. Quod et insinuat divus Bernardus: O monache, non vis proficere? vis deficere. Et idem Sanctus: Non proficere, sine dubio est deficere. Ostendit quidem Dominus eum qui non proficit, deficere, et esse reprehensione dignum, dum episcopum Ephesiorum non perditæ charitatis, sed imminutæ reprehendit: Sed habeo, inquit, adversum te quod charitatem tuam pristinam reliquisti. Non ille charitatem omnino perdiderat, sed fervorem ejus quo cœperat minime auxerat; imo aliqualiter tepide agendo remiserat, et ob id verba indignationis et comminationis audit, et segnitiem proximam esse casui ex dictis sui creatoris advertit. Memor esto, inquit, unde excideris: ex quo scilicet fervore ad quantum mentis teporem perveneris; et age pœnitentiam: non criminum, quæ post illam primam charitatem non commisisti; sed magnarum imperfectionum, quibus illam tepide te gerendo fœdasti; et prima opera, idest fervida et perfecta fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum; auferam nempe dona quæ otiosa et inutilia recondis.

489. Dicit apostolus Paulus, II. Cor. VI: Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. In vacuum gratiam Dei accipit qui in ea proficere negligit. Merito etiam ipse Dominus non solum male agentes, sed etiam otiosos increpat, dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Quoniam non solum delinquunt qui mandata transgrediuntur; sed etiam qui mensuram, ad quam vocati sunt, perfectionis non complent. Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, ipse ambulare, ait Bernardus, epist. 341. Jesus enim, ait Evangelista, crescebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Et iterum in alio loco sic scribit: Itaque indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est. Ipse Dominus auctor sæculi et hominis, quamdiu in terra visus est, et cum hominibus conversatus est, nunquam stetit. Et quidem, teste Scriptura, pertransiit benefaciendo et sanando omnes. Vidit Jacob in scala angelos ascendentes et descendentes: numquid stantem quempiam sive sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto hujus mortalis vitæ quisquam in eodem statu permanet. Mi-

nime pro certo est bonus qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.

490. Viri enim spirituales in hac vita viatores sunt, qui in cœlestem patriam gressibus meritorum festinant; discipuli sunt qui perfectionis scientiam et artem bene vivendi perdiscunt; pueri sunt, qui optimis alimentis non staturam corporis, sed mentis acquirunt. Ergo manifeste a sua obligatione deficiunt, si in via sedeant, si in dies in sanctitatis disciplina non proficiant, si pusilli semper maneant et debitam virtutis mensuram non acquirant. Deficit famulus, si vel una die otiosus maneat, et obsequia sibi injuncta non præstet, et nemo eum excusabit, nemo illum non reprehensibilem judicabit, nemo non dignum pœna fatebitur. Et nos famuli sumus et servi Domini Dei, pensum obsequiorum in omnem diem, quod reddamus, assignatum habemus. Quis nos non otiositatis et ingratitudinis damnabit, si vel una die non profecerimus? Dominus etiam monet ne istas parvulas occasiones proficiendi perdamus, cum vult nos similes esse servis expectantibus dominum suum, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Quid enim est dominum ad suum servum venire, nisi illum quem jam in servum admiserat, et justum fecerat, ad perfectionem vocare? Et quid domum pulsare, nisi ad aliquod virtutis opus, sive magnum, sive parvum, invitare, et virtutis alicujus exercendæ occasionem offerre, juxta illud: Ego sto ad ostium et pulso? Pulsat cum vocat, cum opus studiosum exigit. Et stat ad ostium cum id quod postulaverat, factum expectat.

ARTICULUS II.

Quid sit contemplatio.

491. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 3, dicit: Contemplatio est simplex intuitus veritatis. Intuitus, scilicet intellectualis; hoc enim subintelligitur, nec debuit exprimi in definitione quæ præcisis solummodo verbis juxta regulas Philosophorum tradi debet, cum satis ex se constet contemplationem veritatis non esse materialem oculorum intuitum: veritas namque est objectum intellectus, non oculorum. Dicitur autem quod ille intuitus est simplex, ad differentiam aliorum actuum intellectus;

qui si sunt intuitus simplices, non sunt intuitus veritatis in se ipsa perfecte, ut contingit in prima mentis operatione, in qua non est perfecta veritas quasi in cognoscente; si vero sunt intuitus veritatis, non sunt simplices intuitus, ut contingit tam in secunda quam in tertia mentis operatione, scilicet in compositione, divisione et intellectione. Et quamvis unico contemplationis actu vita contemplativa perficiatur, variis tamen animi operibus ad eam homines ascendunt, ut auditione, lectione, oratione, meditatione, consideratione, cogitatione, supposita differentia quæ inter hominem et angelum versatur: quod angelus simplici apprehensione veritatem intuetur; homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Ex isto principio concluditur quod vita contemplativa unum quidem actum habet in quo formaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem; habet tamen multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptationem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis; alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus cujus cognitio inquiritur: ultimus autem contemplativus actus est ipsa contemplatio veritatis. Et quamvis vita contemplativa proprie consistat in contemplatione Dei, ad eam tamen movet charitas, in quantum aliquis ex charitate ad Dei contemplationem excitatur.

492. Nautilus monstrum est marinum, quod mirabilis est naturæ, secundum Plinium, lib. IX, cap. 29. Volens enim per mare cito natare, timens propriam gravitatem, solet aquam maris de proprio corpore per fistulam ejicere, et tandem brachia cum membrana, seu pellicula quam habet supra caput, alte pro velo erigit, et cum posterioribus pedibus remigans, et propria cauda se dirigens, seu regens, per maria totus vadit; si tamen timendi causam habet, deposito velo, aquam ut fiat ponderosus rebibit, et in profundum se immergit: sic revera dico quod illi qui per mare hujus mundi volunt leviter sine periculo transire, debent omne pondus aquæ et fluxibilium terrenorum rejicere contemnendo, velum cordis sursum erigere cœlestia contemplando, brachia amoris sursum extendere æterna amplexando et desiderando, et sic leviter transfretare ad æterna feliciter volitando. Isaiæ XXIII: Transi terram tuam quasi flu-

men, filia maris. Si autem contemplativus insidiatorem diabolum timuerit, utpote qui de vana gloria, vel de alio peccato ipsum tentare contendit, statim debet hausta aqua salsa lacrymosæ contritionis ad profundum maris, idest ad considerationem amaritudinis inferni, et mortis descendere; et sic a periculo poterit se salvare.

493. D. Thomas explicans illud Isaiæ XL: Assumunt pennas ut aquilæ, dicit: Sancti comparantur aquilis, præsertim contemplativi. — Primo, propter volatus altitudinem; Job XXXIX: Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? in quo denotatur eminentia contemplationis. — Secundo, propter odoris subtilitatem; Luc. XVI: Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ; in quo fervor dilectionis. Cantic. I: Curremus in odorem unguentorum tuorum. — Tertio, propter loci subtilitatem; Prov. III: Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro: via aquilæ in cœlo; in quo studium cœlestis conversationis; Philipp. III: Nostra autem conversatio in cœlis est. — Quarto, propter motus velocitatem; Thren. IV: Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli; in quo promptitudo bonæ operationis; Prov. XXII: Vidisti hominem velocem in operibus suis. — Quinto, propter renovationem; Ps. CII: Renovabitur ut aquila juventus tua: in quo studium mundationis et profectus; II. Cor. IV: Licet is, qui foris est, vetus homo corrumpatur, is qui intus est, renovatur de die in diem. — Sexto, propter membrorum pulchritudinem; Ezech. XIV: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis et varietate, venit ad Libanum: in quo decor virtutum; Cantic. IV: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. — Septimo, propter filiorum sollicitudinem; Deut. XXXII: Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans; in quo sollicitudo Sanctorum. — Vita contemplativa fuit figurata in filia Saul, quæ vocabatur Merob, quæ dicitur de multitudine, quia multitudinis turbas deserit, et in contemplationem perfectorum venit. Ita D. Gregorius. Fuit figurata in Anna, uxore Elcanæ. Anna interpretatur gratia. Vita contemplativa est tota gratiosa et pulchra, et quotidie pulchrior fit. Fuit figurata in Rachele, quæ significat ovem: nam sicut ovis mansueta simplicitate gaudet, cœlesti doctrina pascitur, atque verbi divini consideratione perfruitur.

494. Aliquæ dispositiones requiruntur in subjecto ad vitam contemplativam. Prima, cognitio saltem confusa et generalis ipsius. Hanc docet D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 3. Unde qui eam aggreditur debet ejus naturam, proprietates et effectus mirabiles aliquo modo præcognoscere. Natura nostra in primo parente corrupta et ad bonum sensibile suo pondere declinans, virtutis austeritate deterretur; vitæ contemplativæ difficultates horret; recessum ipsius refugit, nisi multiplicatis rationibus convincatur; et ex prædicta cognitione, scilicet honestatis, utilitatis, imo et summæ delectationis, quæ in vitæ contemplativæ reperiuntur exercitio, ad ejus amorem, desiderium et inquisitionem animatur.

495. Secunda dispositio est animus fortis. Ita D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 7 ad 1. In vita spirituali multæ tentationes occurrunt, multæ difficultates succedunt, multa pericula formidantur, multi labores tolerantur. Cum enim hæc via sit admodum secura, et per eam breviter ad perfectionem accedatur, dæmones deterrere ab ea conantur incipientes Christi milites, ut in ea progredi non audeant. D. Thomas explicans illud Job: Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus, dicit sic: Vita præsens, qua super terram vivimus, non est sicut status victoriæ, sed sicut status militiæ: comparat enim eam statui mercenariorum; et hoc est quod subdit: Et sicut mercenarii dies ejus, idest hominis super terram viventis. Comparat autem præsentem vitam his duobus statibus propter duo quæ imminent homini in præsenti vita, ut scilicet resistat impedimentis et nocivis: et propter hoc comparatur militiæ; et ut operetur utilia ad finem: et propter hoc comparatur mercenario. Et, ut dicit S. Ephrem in quadam exhortatione: Bellum militum breve, sed monachi pugna, donec migret ad Dominum, semper durat.

496. Tertia dispositio, quod qui vitam contemplativam aggreditur, jam appetitum mortificaverit, et tam partem cognoscitivam omni notitia inutili, quam partem affectivam omni deordinato purgaverit affectu. Hanc proponit D. Thomas, 2 2, qu. 180, art. 2, ubi dicit quod virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam dispositive. Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, et per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio

animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, et per tumultus exteriores. Et virtutes morales impediunt hos tumultus; Exodi XIX: Moyses sic Dominum loquentem audivit: Sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati ad diem tertium: in quo scilicet Dominus super montem Sinai ad ferendam legem descendit. Tu quidem non cum populo ad radices montis manere; sed cum Moyse ad montem ascendere, et Deo appropinquare satages. Animadverte igitur quæ tibi cura iteratæ sanctificationis incumbit, nimirum ut primo die corpus tuum ac sensus mortificatione mundes; secundo die, mediam regionem cogitationum et affectuum purifices; ac tertio die supremam tui partem intellectum et voluntatem sanctifices, ut tantæ dignitatis sis particeps.

497. Quarta dispositio continua mortificatio, et austeritas vitæ, et silentium. Mortificatio et austeritas vitæ tam in victu quam in vestitu. Unde contemplatio et mortificatio quasi duæ sunt sorores dilectissimæ se mutuo concomitantes. Et ideo dicit divus Thomas, 2 2, quæst. 180, art. 2, quod virtutes morales pertinent ad contemplationem, quia sunt necessariæ ad mortificationem, præcipue temperantia quæ reprimit concupiscentias, et castitas quæ maxime reddit hominem aptum ad contemplationem, in quantum delectationes venereæ maxime deprimunt mentem ad sensibilia. Experientia compertum est quod vere nullus est contemplativus qui rigidam non colat mortificationem; nec ullus rigidam colit mortificationem qui se contemplationi exercendæ dispositum non sentiat. Item silentium: exemplo quidem Christi Domini, qui dum vellet orare ac cœlestia contemplari, nunc in deserta loca recedebat, nunc montium cacumina conscendebat, nunc intempestæ noctis tempus captabat, nunc turbas sequentes dimittebat.

498. Contemplatio suas habet proprietates et effectus. Proprium est contemplationis quod sit diuturna tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti simpliciter loquendo. Ita sanctus Thomas, 2 2, qu. 180, art. 8: Aliquid potest dici diuturnum dupliciter: uno modo secundum suam naturam; alio modo quoad nos. Secundum se quidem manifestum est quod vita contemplativa diuturna est dupliciter: uno modo eo quod versatur circa incorruptibilia et immobilia; alio modo quia non habet contrarium: delectationi enim quæ est in considerando,

nihil est contrarium. Sed quoad nos etiam vita contemplativa diuturna est, tum quia competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animæ; alio modo quia in operibus vitæ contemplativæ corporaliter non laboramus, unde magis in hujusmodi operibus continue persistere possumus. Et in solutione ad 1 adducit illud Gregorii super Ezechiel.: Contemplativa hic incipit, et in cœlesti patria perficitur.

499. Proprium est contemplationis quod maximam habeat delectationem. Ita D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 7: Aliqua contemplatio potest esse delectabilis dupliciter. Uno modo ratione ipsius operationis: quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens, secundum propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale, ex quo contingit quod omnes homines naturaliter scire desiderant, et per consequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiæ et scientiæ; ex quo accidit quod sine difficultate aliquis contemplatur. Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte objecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur. Sicut etiam accidit in visione corporali, quæ delectabilis redditur non solum ex eo quod ipsum videre est delectabile, sed etiam ex eo quod videt quis personam amatam. Quia ergo vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius divini amoris. Nam delectatio spiritualis potior est quam carnalis. Hæc ille.

500. Plures habet contemplatio effectus. Primus est pax et tranquillitas animæ. Ita D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 2 ad 2; et idem super caput XIV Joannis, lect. 7, dicit quod pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, et consortium charitatis: et loquitur de illa quæ est effectus contemplationis. Et super cap. I ad Rom., lect. 4: Gratia vobis et pax, dicit quod pax est finis omnium donorum, ac per consequens effectus; Psal. CXLIX: Qui posuit fines tuos pacem. Tunc enim erit perfecta pax, quando requiescet in plenitudine omnis boni; Isaiæ XXXII: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.

501. Secundus contemplationis effectus est contemptus tem-

poralium: qui enim contemplationis suavitate fruitur, mentem ab omnibus temporalibus bonis tamquam inferioribus et indignis avertit. D. Thomas, in IV, dist. 24, q. 3, art. 1, quæst. 1, dicit quod eis qui ad divina applicantur competit tonsura et rasura in modum coronæ, et ratione figuræ, quia corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. Et solutione ad 2 dicit quod ea quæ fiebant in veteri Testamento imperfecte repræsentabant ea quæ sunt in novo Testamento: et ideo ea quæ pertinent ad ministros novi Testamenti non solum significantur per officia levitarum, sed per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaræi autem profitebantur perfectionem quamdam, in dispositione comæ signantes temporalium contemptum, quamvis non in modum coronæ deponerent, sed omnino totam: quia nondum erat tempus regalis et perfecti sacerdotii. Et similiter etiam conversi tonduntur propter renunciationem temporalium; sed non raduntur, quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari.

502. Tertius contemplationis effectus est desiderium æternorum. Loquens D. Thomas de desiderio, 1 2, q. 33, art. 2, dicit quod desiderium dupliciter potest considerari: uno modo proprie, secundum quod importat appetitum rei non habitæ; alio modo communiter, secundum quod importat exclusionem fastidii. Desiderium ut importat appetitum rei non habitæ, cum habetur imperfecte, ut cognitio de divinis in hac vita, causat sitim vel desiderium perfectæ cognitionis, secundum quod potest intelligi quod habetur Eccli. XXIV: Qui bibunt me, adhuc sitient. Si vero per desiderium intelligatur sola intentio affectus tollens fastidium, sic delectationes spirituales maxime faciunt desiderium sui ipsarum.

503. Quartus contemplationis effectus est mira laborum et omnium afflictionum hujus vitæ tolerantia: qui namque per contemplationem novit hæc omnia brevi fore transitura, et generosi ac fortis esse animi hæc patienter tolerare, vix eorum occursu movetur. Sed hunc effectum principaliter habet con-

templatio christiana, quæ non solum percipit hæc breviter transitura, sed etiam novit esse media ad æternam beatitudinem consequendam. — Quintus effectus est libertas spiritus; cum enim per contemplationem homo super omnia temporalia et caduca sublimetur, ab eorum subjectione ac dura captivitate liberatur, summamque ab eis independentiam, imo super ea maximam et absolutam adipiscitur superioritatem: propterea quidquid accidat, semper immobilis et immutabilis perseverat, quasi in superiori regione constitutus, quo mundi procellæ, tempestates et fulmina non pertingunt. — Sextus effectus mira suavitas, qua viri contemplativi fruuntur. — Septimus, perfectus amor Dei, juxta conditionem contemplationis ipsius. — Octavus, beatitudo, quæ inchoatur hic in via, et complebitur in patria.

ARTICULUS III.

Contemplatio primo dividitur in eam quæ est catholicorum fidelium, et in eam quæ est philosophorum gentilium.

504. Hanc divisionem ponit D. Thomas in III, dist. 35, q. 1, art. 2, quæstiunc. 1; et, ut sciatur quantum hæ duæ species aut quasi species contemplationis inter se differant, notandum est ex eodem, 2 2, q. 180, præsertim articulo primo, quod licet vita contemplativa essentialiter in operatione intellectus, quæ est Dei contemplatio, consistat; multipliciter tamen affectus ad eam concurrit aut concurrere potest. Primo quidem per modum principii moventis ad contemplationem; unde D. Thomas, quæstione citata, art. 7, dicit quod vita contemplativa proprie consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas; et licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum aliquis ex charitate ad Dei contemplationem excitatur. Et S. Gregorius, homilia XIV in Ezechielem, constituit vitam contemplativam in charitate Dei, in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam. — Secundo autem concurrit per modum finis et termini ipsius contemplationis, quatenus contemplatio suscepta Dei ad affectum ejus, seu dilectionem ordinatur, quando quis scilicet ideo Deum contemplatur, ut majorem ejus con-

templati concipiat amorem. — Tertio tandem concurrit per delectationem concomitantem; quia unusquisque delectatur cum adeptus fuerit quod amat: ideo vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex quo etiam amor intenditur. Propterea Gregorius, VI. Moral., cap. XXVIII, dicit quod contemplativa vita est charitatem Dei et proximi tota mente retinere, et soli desiderio Conditoris inhærere. Hujus etiam divisionis mentionem fecit Albertus Magnus, lib. De adhærendo Deo, ubi distinguens in hæc duo membra contemplationem, et differentiam utriusque adducens, sic ait: Animadvertendum est etiam in hoc differentiam esse inter contemplationem catholicorum fidelium et philosophorum gentilium; quia contemplatio philosophorum est propter perfectionem contemplantis, et ideo sistit in intellectu, et ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus: sed contemplatio sanctorum, quæ est catholicorum, est propter amorem ipsius contemplati, scilicet Dei; idcirco non sistit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem. Unde sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum.

505. Hæ duæ veluti species contemplationis conveniunt in objecto, quia tam philosophi gentiles quam fideles catholici in sua contemplatione Deum speculantur; non tamen æqualiter: nam fideles catholici Deum præcipue ut objectum principale contemplantur, ac deinde ad ejus opera, effectus et promissa contemplanda descendunt: gentiles autem philosophi ad omnia generaliter contemplanda se totos occupabant, quamvis aliqui nobiliores inter eos in Dei contemplatione diu versabantur, ut sapientissimus Socrates, qui pro confessione unius Dei traditur occisus; divinus Plato, qui multas christianæ religionis veritates in suis libris expressas habet; Aristoteles, qui in Dei contemplatione beatitudinem hominis collocavit. Sed major pars philosophorum gentilium, creatas solum veritates contemplando, Creatorem ipsum ignoraverunt, quorum vanitas, Sap. XIII, arguitur; dicitur enim: Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.

506. Conveniunt etiam aliqualiter in medio contemplationis: quia tam philosophi gentiles quam fideles catholici ex consideratione creaturarum in Dei contemplationem ascendentes

pervenerunt; videntes enim miras creaturarum singularium proprietates, et cœlestium ac terrestrium corporum pulchritudinem, et maxime totius universi decorem et ordinem, infallibili consequentia Deum esse, ac perfectissime creaturarum omnium perfectiones in se ipso habere concluserunt, et eum tamquam originem istarum contemplati sunt. Eleganter hoc dixit D. Thomas (*ubi*) explicans illud D. Pauli ad Rom. I: Quod notum est Dei, manifestum est in illis, dicit sic: Quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem manifestum est in illis, idest manifestum est eis ex eo quod in illis est, idest lumine intrinseco. Sciendum est ergo quod aliquid circa Deum est omnino ignotum homini in hac vita, scilicet quid est Deus; unde et Paulus invenit Athenis aram inscriptam Ignoto Deo: et hoc ideo quia cognitio hominis incipit ab his quæ sunt ei connaturalia, scilicet a sensibilibus creaturis, quæ non sunt proportionatæ ad repræsentandam divinam essentiam. Potest tamen homo ex hujusmodi creaturis Deum tripliciter cognoscere, ut Dionysius dicit in libro De divinis nominibus. Uno quidem modo per causalitatem. Quia enim hujusmodi creaturæ sunt defectibiles et mutabiles, necesse est eas reducere ad aliquod principium immobile et perfectum; et secundum hoc cognoscitur de Deo an est. — Secundo, per viam excellentiæ. Non enim reducuntur omnia in primum principium, sicut in propriam causam et univocam, prout homo hominem generat; sed sicut in causam communem et excedentem; et ex hoc cognoscitur quod est super omnia. — Tertio, per viam negationis; quia si est causa excedens, nihil eorum quæ sunt in creaturis potest ei competere, sicut etiam neque corpus cœleste proprie dicitur grave, vel leve, aut calidum, aut frigidum. Et secundum hoc dicimus Deum immobilem et infinitum, et si quid aliud hujusmodi dicitur. Hujusmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis inditum; Psal. IV: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. — Sapientes gentiles de Deo cognoverunt veritatem; fideles autem catholici non tantum ex creaturis, sed etiam ex sacris Scripturis per Dei revelationem tales colligunt veritates, et multo plures simpliciter supernaturales, quales mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ. Hæc D. Thomas. Et idem Sanctus, p. p., q. 1, art. 1, probat necessarium fuisse

ad salutem humanam esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam, præter physicas disciplinas, quæ ratione humana investigantur; quia homo ordinatur in Deum sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Isaiæ LXIV: Oculus non videt, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Finem autem oportet esse præcognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem quod ei nota fierent quædam per revelationem divinam, quæ rationem humanam excedunt.

507. Differunt autem hæ duæ contemplationis species in principio physice movente et applicante: quia contemplatio fidelium catholicorum incipit a vero puroque divinæ bonitatis amore, ad quem augendum et consummandum etiam terminatur; contemplatio autem gentilium philosophorum incipit a superbia: erant enim de numero eorum de quibus ait Bernardus quod scire volunt ut sciantur ab hominibus: hi namque sapientium sibi cum fastu nomen arrogabant; sed vere non sapientes, at insipientes facti sunt, quia stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi; nec eis revelavit Deus mysteria gratiæ, quæ revelavit parvulis. — Differunt in fine, quia contemplatio fidelium catholicorum non tantum propter se ipsam appetitur, sed etiam propter charitatis cæterarumque virtutum exercitium et augmentum; unde simul est speculativa et practica: essentialiter quidem et formaliter speculativa, virtualiter autem et extensive practica, quasi dirigens ad opera virtutum; sed contemplatio gentilium philosophorum est tantum speculativa, nec alium in ejus acquisitione finem habuerunt quam vanam curiositatem. Unde non tantum vera piaque contemplatio dicenda est, quam inutilis et vana speculatio. Explicans D. Thomas illud D. Pauli ad Rom. I: Ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, dicit sic: Per ignorantiam excusari non possunt; Jac. IV: Scienti bonum et non operanti, peccatum est illi. " Quia cum cognovissent. „ Prima eorum culpa ex ignorantia non processit, per hoc quod Dei cognitionem habentes, ea non sunt usi ad bonum. Dupliciter autem Deum cognoverunt; uno modo sicut

omnibus supereminentem, et sic ei debebant gloriam et honorem, quæ superexcellentibus debetur. Isti ideo dicuntur inexcusabiles, " quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; „ vel quia ei debitum cultum non impenderunt, vel quia virtuti ejus et scientiæ terminum imposuerunt, aliqua ejus potentiæ et scientiæ subtrahentes, contra id quod dicitur Eccli. XLIII: Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis. — Secundo, cognoverunt eum, sicut omnium bonorum causam: unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur; quam tamen ipsi non impendebant, sed potius suo ingenio et virtuti suæ bona sua adscribebant. Unde subdit: " Gratias non egerunt, „ scilicet Domino; Thess. ult.: In omnibus gratias agite. — Deinde cum dicit: " Sed evanuerunt, „ ostendit quod in eis ex culpa est ignorantia subsecuta. " In cogitationibus suis evanuerunt, „ in quantum in se ipsis, et non in Deo, fiduciam habebant, sibi et non Deo bona sua adscribentes: " Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, „ idest sapientiam sibi a se ipsis adscribentes, stulti facti sunt, quia contra divinam sapientiam egerunt. Hæc ille.

508. Istæ duæ species contemplationis differunt in aliis: nam in fidelibus catholicis contemplatio plures ac mirabiles habet effectus, quos non habet in gentilibus philosophis. — Deinde contemplatio fidelium supponit altissimam fidei divinæ cognitionem, et in ea tamquam in solidissima petra fundatur; supponit etiam spem vitæ et æternæ beatitudinis, comitem fidei. Unde hæc contemplatio manet in æternum, cum sit quædam visionis Dei participatio: propterea est beatitudo hic inchoata, in cœlis perficienda, quia, ut ait Apostolus, non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus. Et, ut dicit D. Thomas super hunc locum: Homo libenter manet in loco suo proprio: finis enim noster non sunt legalia, nec temporalia; sed finis noster Christus est. Ad Rom. X: Finis noster Christus est ad salutem omni credenti. Non habemus hic manentem civitatem, sed ubi est Christus: ergo exeamus ad ipsum. Coloss. III: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens. Et Isaiæ XXXIII: Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ. Gentiles philosophi solo lumine rationis illustrati, in sola Dei creatoris seu auctoris naturæ versabantur contemplatione, perfectiones tantum illas in

eo contemplantes, quæ in creaturis, ejus affectibus, sparsæ relucent: fideles catholici non solum eas perfectiones divinas, verum etiam alias omnino supernaturales.

ARTICULUS IV.

Dividitur contemplatio fidelium in acquisitam et infusam.

509. Hanc divisionem insinuat D. Thomas in III, dist. 34, q. 1, art. 2, dum ait: In his autem quæ supra rationem sunt perficit fides, quæ est inspectio divinorum in speculo et in ænigmate; connaturalis autem modus est naturæ humanæ, ut Deum nonnisi per speculum creaturarum et per ænigmata similitudinum percipiat: quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est, et hoc facit donum intellectus. Vult autem D. Thomas quod licet contemplatio acquisita præsupponat fidem supernaturalem tamquam certum sui fundamentum, humano tamen et connaturali procedit modo, unde non est supernaturalis; procedit namque ex connaturali cognitione creaturarum, et ad ipsum Deum pertingit facile, certe, et absque errorum admixtione, ex præsupposita tamen fidei divinæ notitia supernaturali, quæ Deum immediate attingit. Contemplatio autem infusa procedit modo supernaturali, cum habeat pro principio immediato donum Spiritus sancti, quod dicitur intellectus, aut aliud excellentius: unde spiritualia et Deum ipsum quasi nuda veritate percipit immediate. Divus Thomas, 1 2, q. 54, art. 4 et 6, dividit virtutem moralem in genere in acquisitam, quæ proprio studio comparatur, et est ordinis naturæ; et in infusam, quam Deus in nobis sine nobis operatur, ut docet Augustinus: non tamen sine nobis cooperantibus. Ita similiter dividitur contemplatio in acquisitam et infusam.

510. Conveniunt hæ duæ contemplationis species aliqualiter tum in objecto, tum in medio. In objecto quidem, quia contemplationis acquisitæ objectum est Deus ipse, ac aliæ veritates ad Deum ordinatæ, prout tamen in creaturis relucent; quas etiam veritates, sed altiori modo infusa, contemplatio at-

tingit, ut postea dicetur, sicut eumdem actum materialiter potest tam virtus moralis acquisita quam infusa, diverso tamen elicere modo. In medio etiam partim conveniunt, quia tam contemplatio acquisita quam infusa, tum in creaturis, tum in sacris litteris prædictas veritates intuetur. Sed in objecto et in medio etiam plurimum differunt, quia contemplatio infusa, præter has veritates in creaturis relucentes, plures alias attingit.

511. Differunt hæ duæ contemplationes ex parte principii. Nam contemplatio acquisita naturam ipsam pro principio immediato, et Deum ut auctorem naturæ pro principio primo cognoscit; contemplatio autem infusa Deum ut auctorem gratiæ pro suo agnoscit immediato principio: continetur enim in ordine gratiæ. Hanc doctrinam tradit D. Thomas, 1 2, q. 51, a. 1 et 4. In primo articulo dicit quod aliquid est naturale, quia procedit a principiis naturalibus secundum speciem et secundum individuum: et quando hoc modo procedit dicitur simpliciter naturale, et in hac classe continetur contemplatio acquisita. In articulo quarto quærit utrum aliqui habitus sint infusi a Deo, et respondet affirmative; quod probat ex illo Eccli. xv: Implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. Et hoc idem probat in corpore.

512. Differunt secundo ex parte luminis, quia contemplatio acquisita per se ex naturali lumine rationis dimanat, licet ad ejus perfectionem lumen fidei cooperetur, ut dictum est; contemplatio autem infusa procedit ab aliquo supernaturali lumine, puta intellectus vel sapientiæ, quæ sunt dona Spiritus sancti. D. Thomas 2 2, q. 10, art. 4 ad 2, dicit quod fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis: sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis. Et D. Thomas 2 2, q. 49, art. 2 ad 2, dicit quod intellectus, qui ponitur donum Spiritus sancti, est quædam acuta perspectio divinorum. Et in eadem 2 2, q. 8, art. 1, dicit: Indiget ergo homo supernaturali lumine, ut ulterius penetret ad cognoscendum quædam quæ per lumen naturale cognoscere non valet; et istud lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus.

513. Differunt tertio ex parte specierum intelligibilium: nam contemplatio acquisita species, in quibus objectum suum con-

templatur, habet omnino naturales et in entitate et in modo, propria scilicet industria a phantasmatibus abstractas et connaturali usu ad contemplandum applicatas: contemplatio autem infusa species habet saltem in modo, et quantum ad usum supernaturales; nam licet concedatur quod semper requiruntur species in entitate naturales in ordine ad quamcumque contemplationem, semper tamen verum est quod hujusmodi species habent quemdam modum supernaturalem, vel quia debite ad intentum finem contemplationis ordinantur præexistentes species, vel quia novæ specialiter infunduntur. Istum modum clare insinuat D. Thomas in IV, dist. 50, art. 2 in fine corporis, et in solutionibus argumentorum, et est doctrina communis divi Thomæ in multis locis.

514. Differunt quarto in modo tendendi, quatenus contemplatio infusa multo clarius quam contemplatio acquisita suum intuetur objectum, ac perfectius attingit; propterea contemplatio acquisita ab aliquibus dicitur speculatio. Contemplatio acquisita divinas veritates non in se ipsis aut in propriis speciebus intuetur ad instar contemplationis infusæ, sed eas vel in creaturis aliqualiter relucentes, vel in sacris Scripturis tamquam in speculo materiali figuratas speculatur; ac proinde non tam puras ac nitidas aspicit veritates, at potius obnubilatas, cum tamen eas contemplatio infusa in sua puritate et claritate videat. Quod exemplo diversæ contemplationis angelicæ et humanæ declaratur: nam tum ratione clarioris luminis immediate vel mediate recepti ab ipso fonte luminis, tum etiam ratione perfectiorum specierum aut imperfectiorum, contemplatio in superioribus est perfectior, et in hominibus inferioribus imperfectior.

515. Differunt quinto, quia subjectum contemplationis in acquisita vere dicitur agens, in infusa vero potius dicitur divina patiens: quatenus in contemplatione acquisita per proprios actus sibi notos et palpabiles, et cum omnimoda electione ac perfecto dominio veritates inventas considerat; sed in contemplatione infusa sic se habet suaviter ac pacifice, quod etsi vere agat (nam contemplari est vitaliter agere), actus tamen ejus ita sunt delicati, tranquilli et suavissimi, ut potius eos recipere quam elicere videatur, et potius jucunde pati ac agi, quam agere dicatur. Exponens D. Thomas illud D. Pauli ad

Rom. VIII: Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei dicit sic: Idest reguntur sicut a quodam ductore et directore; quod quidem in nobis facit Spiritus, scilicet in quantum illuminat nos interius quid facere debeamus. Psal. CXLII: Spiritus tuus bonus deducet me. Sed quia ille qui ducitur ex se ipso non operatur; homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu sancto quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu sancto movetur: ideo plus intelligendum est in hoc quod subditur: Quicumque Spiritu Dei aguntur. Illa enim agi dicuntur quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde in brutis dicimus quod non agunt, sed aguntur; quia a natura moventur, et non ex proprio motu, ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud Isaiæ LVI: Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit. Et Luc. IV: Quod Christus agebatur a spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus sanctus in eis causat, secundum illud Philipp. II: Deus est qui operatur in nobis velle et perficere. Hæc D. Thomas.

516. Ultimo differunt quod etsi eosdem effectus hæ duæ species contemplationis producant, et easdem veritates divinas cognoscant, infusa tamen contemplatio tam in modo cognoscendi et penetrandi divina, quam in effectibus lucis, amoris et suavitatis est plenior et eminentior, quam sit acquisita. Nam quantum ad primum contemplatio infusa procedens a dono sapientiæ vel intellectus, expeditius, fortius et suavius procedit quam acquisita. Quantum ad secundum etiam certum est quod contemplatio infusa multo majorem lucem, amorem et suavitatem causat quam acquisita. Loquens D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 3, solutione ad 1, de sapientia, dicit quod quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plura se extendit; unde in hoc ipso quod sapientia quæ est donum, est excellentior quam sapientia quæ est virtus, utpote magis de propinquo Deum attingens, per quamdam unionem animæ ad ipsum, habet quod non solum dirigat in contemplatione, sed etiam in actione. Et art. 5 ejusdem quæstionis: Quidam altiori gradu percipiunt sapientiæ

donum, et quantum ad contemplationem divinorum, in quantum scilicet altiora quædam mysteria et cognoscunt, et aliis manifestare possunt, et etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas divinas, in quantum possunt secundum eas non solum se ipsos, sed alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non omnibus habentibus gratiam communicatur, sed prout Deus vult.

ARTICULUS V.

De contemplatione acquisita mediante lumine fidei.

517. Sanctus præceptor D. Thomas, 2 2, q. 16, art. 1 ad 1, loquens de fide, dicit: Fides est necessaria tamquam principium spiritualis vitæ. Idem affirmat 3 p., q. 73, art. 3 ad 3. Et propter hanc rationem definitionem fidei traditam a divo Paulo laudat et approbat: Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. 2 2, q. 4, art. 1: Habitus cognoscuntur per actus, et actus per objecta. Fides, cum sit habitus quidam, debet definiri per proprium actum in comparatione ad proprium objectum. Actus autem fidei est credere: qui actus est intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis. Sic ergo actus fidei habet ordinem et ad objectum voluntatis, quod est bonum et finis; et ad objectum intellectus, quod est verum. Et quia fides, cum sit virtus theologica, habet idem pro objecto et fine, necesse est quod objectum fidei et finis proportionabiliter sibi correspondeant. Veritas prima est objectum fidei, secundum quod ipsa est non visa, et ea quibus propter ipsam inhæretur; et secundum hoc oportet quod ipsa veritas prima se habeat ad actum fidei per modum finis secundum rationem rei non visæ, quod pertinet ad rationem rei speratæ, secundum illud D. Pauli ad Rom. VIII: Quod non videmus speramus. Veritatem enim videre est ipsam habere; non autem sperat aliquis id quod jam habet, sed spes est de hoc quod non habetur. Sic ergo habitudo actus fidei ad finem, qui est objectum voluntatis, significatur in hoc quod dicitur: Fides est sperandarum substantia rerum. Substantia enim solet dici prima inchoatio cujuscumque rei; et maxime quando tota res sequens continetur virtute in

primo principio: puta si dicamus quod prima principia indemonstrabilia sunt substantia scientiæ, quia scilicet primum quod in nobis est de scientia sunt hujusmodi principia, et in eis virtute continetur tota scientia. Per hunc ergo modum dicitur fides esse substantia rerum sperandarum; quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas. In hoc ergo speramus beatificari quod videbimus aperta visione veritatem. Habitudo autem actus fidei ad objectum intellectus, secundum quod est objectum fidei, designatur in hoc quod dicitur argumentum non apparentium. Et adhæsio intellectus ad veritatem fidei vocatur argumentum. Deinde dicit D. Thomas quod fides est habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis.

518. Supposito quod fides est necessaria tamquam principium spiritualis vitæ, et fundamentum illius, et habitus quo inchoatur vita æterna, et quod D. Dionysius in epistola ad Timotheum prorumpit in hæc verba: Tu autem, Timothee amice, circa mysticas visiones forti concertatione sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intellectualia, et omnia existentia et non existentia; et sicut possibile fuerit, ignote consurge ad ejus unionem quæ est super omnem substantiam et cognitionem: etenim excessu tui ipsius ab omni irretentibili, et absolute munde ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium, sursum ageris. Igitur, ut possimus habere contemplationem mediante habitu fidei, debemus denudari ab omnibus speciebus sensuum externorum et internorum, et ab omnibus similitudinibus intellectualibus, et ab omni re creata, et solum innixi fundamento fidei ascendere ad contemplandum Deum. Et cum contemplatio sit simplex intuitus veritatis, debemus ascendere ad illum sine discursu et sine aliqua ratione naturali, quemadmodum ascendimus ad contemplationem aliarum rerum: sed lumine divinarum tenebrarum, quod est lumen fidei.

519. Advertendum tamen est quod dicit sanctus: munde, quia prius debemus purgari. D. Thomas, 2 2, q. 7, art. 2, loquens de purificatione cordis, dicit quod est effectus fidei; et probat ex illo Actor. xv: Fide purificans corda eorum. Et explicans istam auctoritatem, dicit quod impuritas uniuscujusque rei consistit in hoc quod rebus vilioribus immiscetur. Non enim

dicitur argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi vel stanni. Manifestum est autem quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus, et corporalibus creaturis: et ideo impura redditur ex hoc quod temporalibus se subjicit per amorem; a qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id quod est supra se, scilicet in Deum: in quo quidem motu primum principium est fides. Accedentem enim ad Deum oportet credere, ut dicitur ad Hebr. xi. Et ideo primum principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris, quæ si perficitur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat. Et solutione ad 2: Fides etiam informis purificat impuritatem erroris, quæ contingit ex hoc quod intellectus humanus inhæret rebus se inferioribus, dum scilicet vult secundum rationem rerum sensibilium metiri divina.

520. D. Thomas, Opusc. lxi, loquens de dispositione necessaria ad divinam illuminationem, dicit quod dispositio est ex similitudine, quæ quandoque est ex sola oppositione, ut patet in speculo et specie; quandoque ex impressione, ut patet in cera et sigillo. Prima assimilatio fieri potest inter distantia, secunda solum inter conjuncta. Primam gignit intellectus cognoscentis, secundam affectus amantis. Augustinus: Anima eo imago Dei est, quo ejus capax et particeps esse potest: capax cognoscendo, particeps amando. Et ut intellectus repræsentet Deum ut speculum, debet habere qualitates quas habet speculum, quæ sunt tres. Prima quod sit terminatum: quod deficit in aere, et ideo licet prius in ipso recipiatur species, quæ ipso mediante defertur in speculum, vel ad oculum, non tamen evidens est in se ipso. Secunda quod sit stabile et quietum, non mobile vel fluidum: quod deficit in aqua, quæ licet evidenti similitudine receptam speciem repræsentet, propter motum tamen integram repræsentat ut fractam, quietam ut motam. Tertia quod sit tersum: quod deficit in terra et quolibet opaco corpore, unde hæc recipit umbram, non speciem. Hæc ille.

521. Primam qualitatem observat intellectus per attentionem ad Deum, per quam determinatur sicut per plumbum speculum seu vitrum, et non sinit vagare intellectum quo vult; sed per attentionem in lumine fidei, qua mediante proportionatur cum Deo, et fit ordinis divini, ut probat D. Thomas, p. p., q. 12,

art. 5. Secundam qualitatem, quod sit stabile, debet habere intellectus, ut sit speculum reprimendo operationes activas, et motionem Dei expectando; et contemplatio quietem dicit, et vocatur etiam otium, quia ipsa quietatur anima non solum a motibus exterioribus, sed etiam ab interioribus. Tertia qualitas, quod sit tersum quod deficit in terra, et in quolibet opaco corpore; si intellectus habet maculam non potest repræsentare Deum, et sic dixit Christus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et D. Thomas, in III, dist. 34, q. 1, art. 4, explicans istam auctoritatem, dicit: In statu viæ, spiritualia, et præcipue Deum, magis videmus cognoscendo quid non sit quam apprehendendo quid sit. Et ideo quantum ad statum viæ ponitur cordis munditia non solum a passionum illecebris, quam munditiam donum intellectus non facit, sed præsupponitur per vitam activam perfectam: sed etiam ab erroribus, et phantasmatibus, et spiritualibus formis, a quibus omnibus debet abscedere, ut docet Dionysius lib. de Mystica Theologia.

522. Facta hac purgatione et dispositione, cum lumine fidei simplici intuitu contemplat Deum. Sed ubi invenietur? Divus Thomas, Opusc. LXIII, cap. 3 in fine, dicit: Magna cæcitas et nimia stultitia est in multis qui semper Deum quærunt, quotidie ad Deum suspirant, frequenter Deum desiderant, quotidie in oratione ad Deum clamant, pulsant, cum ipsi, secundum verbum Apostoli, sint templum Dei vivi, et Deus veraciter habitet in eis, cum anima ipsorum sit sedes Dei in qua continue requiescit. Quis unquam nisi stultus quærit instrumentum foris, sciens quod habet reclusum? aut quis utiliter uti potest instrumento quod quærit? aut quis confortatur cibo quem appetit, sed non gustat? Sic etiam vita cujuslibet justi Deum semper quærentis, sed nunquam eo fruentis, et omnia opera ejus minus perfecta sunt. Supposito quod Deus habitat in nobis, et anima nostra est sedes illius, contemplemus ipsum medio lumine fidei omnipotentem, sapientem, infinitum, æternum, incomprehensibilem, justum, misericordem, dulcissimum, gratissimum, gloriosum; non justum, sed ipsammet justitiam; non omnipotentem, sed ipsammet omnipotentiam; non dulcem, sed ipsammet dulcedinem. Audiamus D. Thomam, Opusc. LXIII, c. 3: Solus Deus bonus est, juxta illud verbum Domini Jesu: Nemo bonus nisi solus Deus, se ipsum et Spiritum sanctum non ex-

cludentis, cum uterque sit solus et verus Deus, et solus Deus naturaliter est bonus. Omnis enim bonitas cœlestium et terrestrium comparata divinæ bonitati malitia est. Hæc immensa bonitas neque scribi, neque dici potest, neque cogitari. Si enim omnes cœlestes spiritus, et maligni, et omnes animæ creatæ et creandæ, scribere vellent bonitatem divinam; et si quilibet haberet maris abundantiam pro incaustro, et cœlum pro pergameno; tam immensus est Deus, quod antequam mediam partem bonitatis scriberet, mare cujuslibet esset siccum, et cœlum cujuslibet esset repletum, quod nec capere unam litteram posset. Sed verbum citius est dictum quam scriptum. Et si omnes stellæ et singulæ guttæ pluviarum essent linguæ, et proponerent divinam bonitatem eloqui (tam ineffabilis est bonitas Dei!), antequam tertiam partem bonitatis enarrarent, omnes pariter essent mutæ. Citius vero est aliquid cogitatum, quam dictum vel scriptum. Unde si tota arena maris et singula semina orta de terra essent corda, et vellent scrutari bonitatem Dei, tam superbonus est, (*ut*) antequam decimam partem bonitatis ejus investigarent, omnia corda citius scinderentur. Hæc immensa et æterna bonitas principium est et causa omnium creaturarum, ad cujus fruitionem æternam angeli et homines creati sunt. Hæc ille.

523. Contemplamur hanc immensam bonitatem cum apice intelligentiæ, quæ est suprema pars intellectus. D. Thomas, in II, dist. 39, art. 1 in corp., affirmat quod superior pars rationis, quæ vocatur scintilla, significatur per aquilam, quæ cætera animalia in volando transcendit; rationalis per hominem significatur; concupiscibilis per vitulum, et irascibilis per leonem. Et qu. 16 De veritate, art. 2, solutione ad 3, istam scintillam vocat verticem, cum ista adornata lumine fidei contemplamur Deum non per partes et particulares rationes attributorum, sed in communi et sub conceptu universali, quia est tanta capacitas intellectus nostri ad cognoscendum Deum, quod veluti videtur, quod non satiatur in cognitione unius attributi, nisi cognoscat totum Deum. Deus creavit creaturam rationalem ut esset templum et habitatio ejus; et si hoc est peculiare creaturæ rationali propter immaterialitatem ejus, (*eo*) quod major est capacitas ejus passiva quam virtus activa, quæ in unoquoque intellectu juxta diversum modum immateriali-

tatis distinguitur specie ab alio intellectu. Non enim ex parte capacitatis passivæ creaturæ rationalis distinguuntur, quia hoc non fundatur in ipsa specifica ratione actualitatis et virtutis, sed in ipsa generica ratione immaterialitatis, ratione cujus habet intellectus capacitatem et potentiam passivam respectu omnis entis intelligibilis, sub quocumque modo finito: et sic tanta est capacitas nostri intellectus, quod quamvis intelligat Deum finito modo, veluti desiderat cognoscere eum secundum se totum. D. Thomas, p. p., qu. 105, art. 4: Sicut intellectus movetur ab objecto, et ab eo qui dedit virtutem intelligendi, ita voluntas movetur ab objecto quod est bonum, et ab eo qui causat virtutem volendi. Potest autem voluntas moveri sicut ab objecto a quocumque bono: non tamen sufficienter et efficaciter nisi a Deo. Non enim sufficienter aliquid potest movere aliquid, nisi virtus activa moventis excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis. Virtus autem passiva voluntatis se extendit ad bonum in universali: est enim ejus objectum bonum universale, sicut et intellectus ens universale; quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum: solus autem Deus est bonum universale, unde ipse solus implet voluntatem et sufficienter movet ut objectum.

524. In ista contemplatione Dei, quam exercet scintilla rationis mediante lumine fidei, qua contemplatur Deum, sub conceptu universali debet quiescere. Explicans D. Thomas illud D. Pauli ad Hebr. IV: Ingrediemur enim in requiem, dicit sic: Est autem duplex requies, una in bonis exterioribus, et ad istam egreditur a requie mentis; alia est in bonis spiritualibus, quæ est intima, et ad istam ingreditur, Matth. XXVI: Intra in gaudium Domini tui. Cantic. I: Introduxit me rex in cellaria sua. D. Thomas, 2 2, q. 179, art. 1 ad 3, dicit quod contemplatio habet quietem ab exterioribus: nihilominus tamen ipsum contemplari est quidam motus intellectus, prout motus dicitur actus perfecti: et hoc modo D. Dionysius, c. 4 De divinis nominibus, ponit tres modos animæ contemplativæ, scilicet rectum, circularem et obliquum. Et idem D. Thomas, in I, dist. 1, q. 4, art. 1 ad 5, dicit quod est duplex quies, scilicet quies desiderii et quies motus. Quies desiderii est quando sistit in aliquo, propter quod omnia facit et quærit, et non desiderat aliquid ulterius; et hoc modo voluntas justi quiescit in via in Deo.

Quies autem motus est quando pervenit ad terminum quæsitum, et ista quies voluntatis erit in patria. Et D. Thomas, in III, dist. 15, q. 3, art. 2, dicit: In illo res quiescere dicitur in quo sufficientiam invenit; quiescit ergo acies mentis in contemplatione Dei mediante lumine fidei, quia in illo sufficientiam invenit. D. Gregorius super illud Cantic. I: Lectulus noster floridus: Quid per lectulum sponsæ, nisi otii quietem intelligimus? Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, in quantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus sponso placeat intus accumulat: quia dum omnia quæ temporalia sunt contempnit, lectulum sibi cum sponso in pace victoriæ facit; ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit quibus se decoram sponso ostendit.

525. In ista contemplatione, quæ exercetur mediante lumine fidei, inveniuntur simul qualitates, quas humana philosophia et divina ponunt in perfecta contemplatione. Aristoteles, Decim. Ethic., cap. VIII et IX, assignat tres conditiones perfectæ contemplationis. Prima, quod sit actus altissimæ potentiæ. Secunda, in habitu nobilissimo. Tertia, in objecto dignissimo. Omnes istæ conditiones reperiuntur in contemplatione mediante lumine fidei. Prima, quia contemplatio exercetur mediante nobilissima potentia quæ est intellectus. Secunda, cum nobilissimo et purissimo actu, qui vocatur intelligentia, quo mediante transcendit actum rationis; et cum habitu fidei. Tertia, in objecto dignissimo, quod est Deus, et non intuetur illum in creaturis, et in speculis, et imaginibus creatis, sed ut est in se mediante lumine fidei.

526. In ista contemplatione, quæ fit mediante lumine fidei, inveniuntur aliæ tres qualitates, quas posuit D. Albertus Magnus super caput VII, § 1 D. Dionysii, de cœlesti hierarch. Prima, ut proponatur potentiæ objectum conveniens tali contemplationi. Secunda, ut detur firmum medium, quo mediante recipiatur. Tertia, ut detur intelligentia sublimis in illo qui contemplatur. Prima qualitas reperitur in ista contemplatione, quia proponitur objectum proprium et convenientissimum intellectus, quod est essentia in universali, quæ est Deus, ut dicit D. Thomas, p. p., qu. 105, art. 4. Secunda qualitas, quæ est medium firmum, quo mediante recipiatur objectum: nullum est ita firmum et certum sicut fides, ideo vocatur firmamentum

ædificii spiritualis. Tertia qualitas in nulla contemplatione hujus vitæ ita perspicax est intelligentia, sicut in ista contemplatione fidei, quia intellectus est abstractus et separatus a rebus materialibus.

527. In ista contemplatione inveniuntur omnes circumstantiæ quas assignavit Christus Dominus quando, Matth. VI, dicit: Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. Audite D. Thomam super hunc locum: " Tu autem cum oraveris intra in cubiculum „ secretum mentis et arcanum, per actum secretæ contemplationis. Chrysostomus: Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus est: quia non est vocis, sed cordis auditor. " Intra in cubiculum tuum, „ quia tunc anima debet ab exterioribus quiescere cum orat. " Et clauso ostio, „ idest exclusa omni prava affectione et mundana, vel sensibus exterioribus clausis, ut dicit Glossa. Isa. XXVI: Vade, populus meus, in cubicula tua, et claude ostia tua super te. " Ora Patrem tuum. „ Glossa: Qui oratur in spiritu et veritate. Joan. IV: Ora non de mundanis. Isidorus: Longe est a Deo animus qui in cogitationibus sæculi fuerit occupatus. Hieronymus: Aliud est narrare nescienti, aliud rogare scientem. Illic judicium, hic obsequium. " In abscondito, „ idest cordis intimo. Chrysostomus: Ora. s nil novi faciat quod aspiciant homines, nec voce clamet, nec manus expandat, nec impudenter oculos tollat ad cœlum, ut notabilis fiat. " Et Pater: „ ecce promissum subdit dicens: " Et Pater qui videt in abscondito, „ idest qui intuetur cor; Hebr. IV: Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus; " reddet tibi, „ non dicit dabit, quia jam se debitorem constituit, idest pro certo retribuet tibi mercedem. Hæc ille.

528. In ista oratione impletur illud Joan. IV: Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. D. Thomas super hunc locum dicit: Ut per hoc totum ostendatur eminentia istius adorationis ad adorationem Judæorum, ut sit sensus: Sicut adoratio Judæorum præeminet adorationi Samaritanorum, ita adoratio Christianorum præeminet ei quæ est Judæorum; et hoc in duobus. Primo, quia illa est secundum carnales cæremonias; Hebr. IX: In justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis; hæc vero est secundum spiritum. Secundo vero, quia illa est secundum

figuras: nam Deo illæ victimæ, secundum quod sunt res quædam, non placebant. Unde in Ps. XLIX dicitur: Numquid manducabo carnes taurorum, etc. Et alibi, Psal. L: Sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis: in quantum scilicet sunt res quædam; sed delectabatur in eis, in quantum erant figura veræ victimæ et veri sacrificii; Hebr. X: Umbram habet lex futurorum bonorum, non rerum ipsam imaginem, etc. Hæc autem adoratio est in veritate, quia ipsa secundum se Deo placet. Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Et ideo quantum ad primum dicit quod " veri adoratores adorabunt in spiritu, „ non in cæremoniis carnalibus. Quantum ad secundum dicit: " In veritate, „ non in figura. Secundo, potest intelligi quod Dominus per hæc duo quæ dicit: " In spiritu et veritate, „ vult ostendere differentiam hujus adorationis non tantum ad illam Judæorum, verum etiam ad eam quæ erat Samaritanorum. Ad illam quidem Judæorum per hoc quod dicitur: " et veritate; „ nam illa, ut dictum est, cum errore erat, quia adorabant quod nesciebant; ista vero est cum vera Dei cognitione. Tertio modo legitur, ut per hoc quod dicit: " In spiritu et veritate, „ ostendatur conditio veræ adorationis: ad hoc enim ut adoratio vera sit, duo requiruntur: Unum, quod sit spiritualis, unde dicit: " In spiritu, „ idest in fervore spiritus; I. Cor. XIV: Orabo spiritu, orabo et mente; Ephes. V: Psallentes in cordibus vestris Deo. Aliud quod sit " in veritate. „ Primo quidem fidei, quia nullus fervor spiritualis desiderii est ad merendum idoneus, nisi adsit veritas fidei; Jac. I: Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Secundo vero " in veritate, „ idest sine fictione et simulatione, contra quod dicitur Matth. VI: Amant in angulis orare, ut videantur ab hominibus. Sic ergo ad ipsam orationem requiritur fervor charitatis quantum ad primum, et veritatis fidei quantum ad secundum. Hæc ille.

529. In ista contemplatione mediante lumine fidei anima contemplativa ascendit in montem, sicut fecit Moyses, ut dicitur Exodi XXIV: Ascende ad montem ad loquendum ibi cum Deo: et vidit Deum Israel, et sub pedibus ejus quasi opus jaspidis et saphiri, et quasi cœlum cum serenum est. Moyses figura est animæ sanctæ, quæ ascendit ad montem orationis ad colloquendum Deo, in qua videt anima Deum ad modum

cœli sine nubibus imaginum sensibilium: sed nondum ascenderat Moyses ad montem coopertum nubibus, ubi habitabat gloria Domini. Anima contemplativa per conceptum negativum potest cognoscere Deum super omnes creaturas, sed tamen in ista contemplatione mediante habitu fidei intrat in caliginem, quæ est lux inaccessibilis, in qua Deus habitat, et Deo ibi fruitur.

ARTICULUS VI.

Contemplatio acquisita dividitur in eam quæ est per affirmationem, et in eam quæ est per negationem.

530. Proponit hanc divisionem divus Thomas in expositione libri D. Dionysii De divinis nominibus, lect. 4. Et eam etiam insinuat 2 2, q. 8, art. 7. Contemplatio per affirmationem est quando ex esse creaturæ ascendimus ad esse Dei, tamquam ab effectu ad causam: ex vita creaturæ affirmamus Deum vivere, ex intelligere creaturæ affirmamus Deum esse intelligentem; unde ex perfectionibus creaturarum ascendimus ad perfectionem Dei. Contemplatio per negationem est quando negamus Deo ea quæ videmus et intelligimus, scilicet eo modo quo in creaturis intelligimus. Et, ut explicat D. Thomas in III, dist. 35, qu. 2, art. 2, quæstiunc. 2, ingreditur intellectus ad spiritualia per viam remotionis, dum a spiritualibus viam, quæ in corporalibus invenitur, removet: in statu ergo viæ intellectus ingreditur ad spiritualia hoc modo, maxime ad divina, quia in hoc perficitur cognitio humana secundum statum viæ, ut intelligamus Deum ab omnibus separatum super omnia esse, ut dicit Dionysius in lib. De Mystica Theologia, cap. IV et V. Et ad hoc pervenit Moyses, qui, Exodi XIX, dicitur intrasse in caliginem, in qua Deus erat; et propter hoc etiam quantum ad statum viæ D. Thomas, 2 2, qu. 8, art. 7, ponit munditiam cordis in sexta beatitudine, quæ correspondet dono intellectus, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus. Et contemplationes quæ sunt per affirmationes melius considerantur cum excessu et cum eminentia, ut dicatur supersubstantialis, supermisericors; sic enim ex una parte datur intelligi quod importata in illis perfectionibus vere et simpli-

citer Deo conveniunt; ex alia vero parte, per illum excessum concipitur quod tales perfectiones alia quadam eminentia ac superiori modo conveniunt Deo, quam in creaturis limitate videantur; qui enim Deum dicit superbonum, non negat esse bonum: imo asserit simpliciter esse bonum, sed superiori bonitate quæ non est in creaturis.

531. D. Thomas, p. p., q. 4, art. 1 et 2, probat omnes perfectiones convenire Deo. Ex qua doctrina deducitur divisio contemplationis in affirmativam et negativam. Prima ratio est ista: Quidquid perfectionis est in effectu debet præexistere, vel eodem modo si sit causa univoca, vel superiori si sit causa æquivoca; sed Deus est prima causa effectiva omnium: ergo oportet omnium rerum perfectiones in eo esse modo eminentiori. Majorem probat D. Thomas, quia omnis effectus debet contineri et præexistere in virtute causæ effectivæ; sed præexistere in virtute causæ non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori, licet præexistere in potentia causæ materialis sit præexistere imperfectiori modo, eo quod materia in quantum hujusmodi est imperfecta, agens vero in quantum hujusmodi est perfectum; cum ergo Deus sit prima causa efficiens rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum. Secundam rationem adducit articulo secundo, quæ est ista: Deus est per se subsistens; esse subsistens habet omnem rationem essendi: ergo continet perfectiones omnium.

532. Perfectiones, ex D. Thoma multis in locis, aliæ sunt pure increatæ, ut esse actum purum, esse creatorem, et similia, quæ ex vi sui formalissimi conceptus increatæ sunt, nec alio modo concipi possunt. Aliæ sunt pure creatæ, ut esse dependens, esse factum, esse potentiale, quæ stante suo formali conceptu, nunquam possunt depurari a ratione creata et attribui Deo. Aliæ sunt perfectiones medio modo se habentes, quæ ex suo formali conceptu non dicunt determinate perfectionem creatam, neque increatam: potest tamen (*hujusmodi perfectio*) ad utrumque trahi, et hæc vocari solet perfectio simpliciter simplex; et definitur sic: quod in quolibet ente melior est ipsa quam non ipsa, idest ex ipsa ratione entis semper est melior talis perfectio, licet ex particulari conceptu ei repugnare possit, et sic non esse ei bonum: sicut lapidi non est bonum vivere, quia destruit naturam

lapidis, licet in ratione entis melius esset. Perfectiones simpliciter simplices secundum suum formalem conceptum inveniuntur formaliter in Deo, non tamen secundum modum quo inveniuntur in creaturis. Perfectiones ex suo genere creatæ non sunt in Deo formaliter eminenter, sed solum virtualiter eminenter. Et perfectiones creatæ determinati generis non sunt formaliter eminenter in Deo, sed eminenter virtualiter.

533. Augustinus, lib. v de Trinitate, cap. 1, hanc eamdem divisionem adducit, affirmationem negationi conjungens. Ita de Deo loquitur: Intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla mutatione sui mutabilia omnia facientem. Divus Damascenus, lib. I, De fide, loquens de ista divisione, sic ait: In Deo autem impossibile est quidnam essentia sua vel natura ipsa sit dicere, etc.; et concludit: Sunt porro nonnulla, quæ tametsi per affirmationem de Deo dicantur, præcellentis tamen negationis vim habent; v. gr. cum de Deo verba facientes tenebrarum vocem usurpamus, non caliginem nobis animo proponimus; sed quod lux non sit, verum lumine sublimior. Hic igitur modus Deum cognoscendi negat omnia quæ de Deo diximus: non propter imperfectionem, sed quia ipse omnia illa superiori quadam ratione antecellit. D. Cyprianus hujus divisionis meminit in Prologo De cardin. oper. Christi, dicens: Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu haberi non potest: neque enim definibilis est divinitas; sed verius sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam asserendo quid sit: quoniam quidquid sensui subjacet, illud esse non potest quod omnem superat intellectum. D. Bonaventura, in libro De parvo bono, parte tertia: Nota quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia, et hæc sunt mysteria sanctissimæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea; et hoc dupliciter: vel per positionem sive affirmationem, vel per ablationem sive negationem. Primum ponit Augustinus, secundum Dionysius.

ARTICULUS VII.

Contemplatio acquisita dividitur in eam quæ est per ascensum et in eam quæ est per descensum.

534. Contemplatio per ascensum fit quando quibusdam quasi gradibus a cognitione creaturarum ad Creatoris cognitionem ascendimus. Contemplatio per descensum (*fit quando*) ex creatoris Dei contemplatione per quamdam redundantiam ad contemplandas creaturas, tamquam ad objectum secundarium contemplationis descendimus. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Rom. I: Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur, ostendit per quem modum hujusmodi cognitionem acceperunt. Ubi primo considerandum est quæ sunt ista quæ de Deo cognoverunt. Et ponit tria. Primo quidem " invisibilia ipsius, „ per quæ intelligitur Dei essentia, quæ a nobis videri non potest; Joan. I: Deum nemo vidit unquam, scilicet per essentiam, vita mortali vivens; I. Tim. I: Regi sæculorum immortali et invisibili. Dicit autem pluraliter " invisibilia, „ quia Dei essentia non est nobis cognita, secundum illud quod est, idest prout in se est una. Sic ergo erit nobis in patria cognita, et tunc erit Dominus unus, et nomen ejus unum, ut dicitur Zachar. ultimo. Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quæ id quod in Deo unum est multipliciter participant; et secundum hoc intellectus noster considerat unitatem divinæ essentiæ sub ratione bonitatis, sapientiæ, virtutis et hujusmodi, quæ in Deo non sunt. Hæc ergo " invisibilia „ Dei dixit, quia illud unum quod his nominibus seu rationibus in Deo respondet, non videtur a nobis; Hebr. XI: Ut ex invisibilibus visibilia fierent. — Aliud autem quod de Deo cognoscitur, est virtus ipsius, secundum quam res ab eo procedunt sicut a principio; Psal. CXLVI: Magnus Dominus et magna virtus ejus. Hanc ergo virtutem philosophi perpetuam esse cognoverunt. Unde dicitur: " sempiterna quoque ejus virtus. — Tertium cognitum est quod dicit: " et divinitas. „ Ad quod pertinet quod cognoverunt Deum sicut ultimum finem, in quem omnia tendunt. Divinum enim bonum

dicitur bonum commune quod ab omnibus participatur: propter hoc potius dicit divinitatem, quæ participationem significat, quam deitatem, quæ significat essentiam Dei; Coloss. I: Et in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis. Hæc autem tria referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos. Nam invisibilia Dei cognoscuntur per viam negationis; sempiterna virtus per viam causalitatis; divinitas per viam excellentiæ.

535. Secundo, considerandum est per quod medium illa cognoverunt, quod designatur cum dicit: " Per ea quæ facta sunt. „ Sicut enim ars manifestatur per artificis opera, ita Dei sapientia manifestatur per creaturas; Sap. XIII: A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator harum videri.

536. Tertio, ostendit quomodo per ista cognoscatur Deus, cum dicit: " Intellectu conspiciuntur. „ Intellectu cognosci potest Deus, non sensu vel imaginatione, quæ corporalia non transcendunt. Deus autem spiritus est, ut Joan. IV dicitur; Isa. LII: Ecce intelliget servus meus. — Quarto, potest assignari a quo per hunc modum Deus cognoscitur, cum dicitur: " A creatura mundi. „ Per quod uno modo potest intelligi homo, quia communicat cum omni creatura: habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis, ut dicit Gregorius. Alio modo potest intelligi de universali creatura. Nulla enim creatura ex propriis naturalibus potest Dei essentiam in se ipsa videre. Unde et de Seraphin dicitur Isaiæ VI quod duabus alis velabant caput: sed sicut homo intelligit Deum per creaturas visibiles, ita angelus per hoc quod intelligit propriam essentiam. Potest autem aliter intelligi per creaturam mundi, non ipsa res creata, sed rerum creatio, ac si diceretur: A creatione mundi, non per ea quæ facta sunt tempore gratiæ. Alio modo quod intelligatur quod a creatione mundi homines incœperunt Deum cognoscere per ea quæ facta sunt; Job XXVI: Omnes homines vident eum. Glossa autem dicit quod per invisibilia Dei intelligitur persona Patris; I. Tim. ultimo: Quem nullus hominum vidit. Per sempiternam virtutem persona Filii, secundum illud I. Cor. I: Christum Dei virtutem. Per divinitatem persona Spiritus sancti, cui appropriatur bonitas. Non quod philosophi ductu rationis potuerint pervenire per ea quæ facta sunt in cognitionem per-

sonarum quantum ad propria, quæ non significant habitudinem causæ ad creaturas, sed secundum appropriata. Hæc ille.

537. D. Thomas, 2 2, quæst. 180, art. 4, in tertio argumento, distinguit ex Richardo de sancto Victore gradus, seu potius gressus quibus per creaturas in Dei contemplationem ascenditur. In primo gradu seu gressu ponitur perceptio rerum sensibilium; in secundo ponitur gressus a sensibilibus ad intelligibilia; in tertio ponitur dijudicatio sensibilium secundum intelligibilia. In quarto ponitur absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia pervenitur; in quinto ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inveniri non possunt; in sexto ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio nec invenire, nec capere potest, quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem divinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur.

538. D. Thomas, cap. I, lib. II contra Gentiles, explicat illud Psalm. CXLII: Meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar. Dicit Sanctus: Ex modo operationis et specie, mensura et qualitas virtutis pensatur: virtus vero naturam rei monstrat. Secundum hoc enim unumquodque natum est operari secundum quod actu talem naturam sortitur. Est autem duplex rei operatio, ut Philosophus tradit Nono Metaphys. Una quidem quæ in ipso operante manet; et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelligere et velle. Alia vero quæ in exteriorem rem transit, quæ est perfectio facti quod per ipsam constituitur, ut calefacere. Utraque autem dictarum operationum competit Deo: prima quidem in eo quod intelligit, vult, gaudet et amat; alia vero in eo quod res in esse producit, et eas conservat et regit. Quia vero prima operatio perfectio operantis est, secunda vero perfectio facti, agens autem naturaliter prius facto est et causa ipsius, oportet quod prima dictarum operationum sit ratio secundæ, et eam præcedat naturaliter, sicut causa effectum. Quod quidem in rebus humanis manifeste apparet. Consideratio enim et voluntas artificis principium est et ratio ædificationis. Prima igitur dictarum operationum tamquam simplex operantis perfectio, operationis vindicat sibi nomen, vel etiam actionis. Secunda vero, eo quod sit perfectio facti, factionis nomen assumit: unde manufacta dicuntur quæ per actionem hujusmodi ab artifice in

esse procedunt. De prima Dei operatione egit in primo libro, in isto de secunda. Præmittit namque primæ operationis meditationem, cum dicit: " Meditatus sum in omnibus operibus tuis, „ ut operatio ad divinum intelligere vel velle referatur. Subjungit vero factionis meditationem, cum dicit: " et in factis manuum tuarum meditabar, „ ut per facta manus ipsius intelligamus cœlum et terram, et omnia quæ procedunt in esse a Deo, sicut ab artifice manufacta procedunt.

539. Subdit tamen Sanctus: Hujusmodi quidem factorum divinorum meditatio ad fidem humanam instruendam de Deo necessaria est. Primo quidem quia ex factorum meditatione divinam sapientiam utcumque possumus et admirari et considerare. Ea enim quæ arte fiunt, ipsius artis sunt repræsentativa, utpote ad similitudinem artis facta; Deus autem sua sapientia res in esse produxit; propter quod in Psal. CIII dicitur: Omnia in sapientia fecisti. Unde ex factorum consideratione divinam sapientiam colligere possumus, sicut in rebus factis per quamdam communicationem suæ similitudinis impressam. Dicitur enim Eccli. I: Effudit illam, scilicet sapientiam, super omnia opera sua. Unde Psal. CXXXVIII cum diceret: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam; et adjungeret divinæ illuminationis auxilium, cum dicit: Nox illuminatio mea, etc., ex consideratione divinorum operum se adjutum ad divinam sapientiam cognoscendam confitetur, dicens Psal. eodem: Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis. Hæc consideratio in admirationem altissimæ Dei virtutis ducit, et per consequens in cordibus hominum reverentiam Dei parit. Oportet enim quod virtus facientis eminentior rebus factis intelligatur, et ideo dicitur Sap. XIII: Si virtutem et opera eorum (scilicet cœli, et stellarum, et elementorum mundi) mirati sunt (scilicet philosophi), et intelligant quoniam qui fecit hæc fortior est illis. Et ad Rom. I dicitur: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Ex hac autem admiratione Dei timor procedit et reverentia; unde dicitur Jerem. X: Magnum est nomen tuum in fortitudine: quis non timebit te, o rex gentium? Hæc consideratio animos hominum in amorem divinæ bonitatis accendit. Quidquid enim bonitatis et perfectionis in diversis creaturis par-

ticulariter distributum est, totum in ipso universaliter est adunatum, sicut in fonte totius bonitatis, ut in primo libro ostensum est. Si igitur creaturarum bonitas, pulchritudo et suavitas sic animos hominum allicit; ipsius Dei bonitas, fons bonitatis, rivulis bonitatum in singulis creaturis repertis diligenter comparata, animos hominum inflammatos totaliter ad se trahet. Unde in Ps. XCI dicitur: Delectasti me, Domine, in factura tua, et in omnibus operibus manuum tuarum exultabo. Et alibi de filiis hominum dicitur, Ps. XXXV: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: quasi totius creaturæ; et sic torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ. Et Sap. XIII dicitur contra quosdam: Ex his quæ videntur bona, scilicet creaturis quæ sunt bonæ per quamdam participationem, non potuerunt intelligere eum qui est, scilicet vere bonus, immo ipsa bonitas, ut in primo dictum est. Hæc ille.

ARTICULUS VIII.

Contemplatio acquisita dividitur per tres motus: circularem, rectum et obliquum.

540. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 6, proponit hanc divisionem D. Dionysii, cap. IV, De divinis nominibus, et ad illam insinuandam in argumento Sed contra, solum adducit auctoritatem illius, quæ æquivalet omnibus rationibus. In corpore sic probatur: Operatio intellectus, in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti, ut ex Philosopho dicitur in Tertio De anima. Quia vero per sensibilia in cognitionem intelligibilium devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt: inde est quod etiam operationes intelligibiles quasi motus quidam describuntur, et secundum similitudinem diversorum motuum earum differentia assignatur. In motibus autem corporalibus perfectiores et primi sunt locales, ut probatur Octavo Physicorum. Et ideo sub eorum similitudine potissime operationes intelligibiles describuntur. Quorum quidem sunt tres differentiæ. Nam quidam est circularis, secundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum. Alius autem est rectus, secundum

quem aliquid procedit ab uno in aliud. Tertius autem est obliquus, quasi compositus ex utroque. Et ideo in operationibus intelligibilibus, id quod simpliciter habet uniformitatem attribuitur motui circulari. Operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de uno in aliud, attribuitur motui recto. Operatio autem intelligibilis habens aliquid uniformitatis simul cum processu ad diversa, attribuitur motui obliquo. Hæc divus Thomas.

541. Istam rationem amplificat et magis declarat Qu. 8 De veritate, art. 15, solutione ad 3: Motus de quo Dionysius loquitur non accipitur pro transitu de uno in aliud: sed illo modo quo omnis operatio motus dicitur, sicut intelligere est quidam motus et sentire. Et sic triplicem motum in angelis et in animabus distinguit Dionysius quantum ad cognitionem divinam, scilicet circularem, obliquum et rectum, secundum hanc similitudinem: circularis enim motus est totaliter uniformis, tum propter æquidistantiam omnium partium circuli a centro, tum propter hoc quod in motu circulari non est assignare magis ex una parte quam ex alia principium et finem; motus rectus est difformis, tum ex proprietate lineæ, cum partes non æqualiter distent ab uno puncto signato, tum ex parte motus qui habet principium et finem signatum; obliquus autem motus habet aliquid uniformitatis secundum quod convenit cum motu circulari, et aliquid difformitatis secundum quod convenit cum motu recto. Hæc D. Thomas.

542. Tribus enim modis anima movetur in Deum: uno modo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia conspiciens; et iste est motus rectus: unde dicit quod in directum movetur anima, quando ab ea quæ circa se ipsam progreditur, et ab exterioribus sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis ad simplices et unitas sursum agitur contemplationes. Alio modo movetur in Deum ex illuminationibus ex Deo receptis, quas tamen recipit secundum modum suum sensibilibus figuris velatas, sicut Isaias vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Et hic motus est obliquus habens aliquid de uniformitate ex parte divinæ illuminationis, et aliquid de difformitate ex parte sensibilium figurarum: unde dicit quod oblique movetur anima, in quantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et

singulariter, sed rationabiliter et diffuse. Tertius modus est quando anima a se omnia sensibilia abjicit, supra omnia Deum cogitans, et etiam supra se ipsam, et sic ab omni difformitate separatur. Et hic est motus circularis: unde dicit quod animæ circularis motus est introitus ad se ipsam ab exterioribus et intellectualium virtutum ipsius convolutio, et quod demum jam uniformis facta unitur unitis virtutibus, et sic manuducitur ad id quod est super omnia. Hæc D. Thomas.

543. Declaratur amplius. Hæc doctrina motus circularis in contemplatione est, cum circa Deum pulchrum et bonum, vel divinitus revelatum per lumen infusum, vel naturaliter per ascensum a creaturis inventum uniformiter contemplando manet anima tamquam in centro suo quiescens, vel potius circa centrum suaviter mota, ibi præ admiratione et amore deficit et defluit a se ipsa, gaudiose quoque et dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo creatore, salvatore, ac miseratore: imo et supergratiosissimo suo sponso, totius beatitudinis suæ superpiissimo fonte, omnipotentissima et liberalissima causa. Hic motus præsertim reperitur in contemplatione supernaturali, quæ in statu unionis intimæ conceditur. Quamvis enim in contemplatione naturali possit uniformitas aliqua reperiri, quando Deum medio creaturarum inventum anima contemplatur, hoc tamen rarius contingit; et tunc etiam illa qualiscumque speculationis uniformitas distrahitur ex aliorum sensuum operationibus circa sensibilia simul occupatis: at vero in contemplatione supernaturali velut ordinarie et diutius hæc uniformitas conservatur, cum anima interius collecta, et ab exterioribus abstracta, ac sæpius extra se ipsam rapta, Deo totaliter vacat, ejusque tamquam cogitationi et contemplationi vacans, in ipsum quodammodo transformatur, ita ut circa ipsum, vel in ordine ad ipsum semper occupetur, et nihil extra cogitet.

544. Motus contemplationis rectus est cum anima ex consideratione pulchrorum ac bonorum quæ hic in creaturis sparsa et limitata reperiuntur, ad contemplationem summi illius pulchri et boni quod Deus est (pulchrum namque et bonum in spiritualibus convertuntur) directe consurgit, ita ut statim ad illud dirigatur. Hic motus præsertim reperitur in contemplatione acquisita per ascensum, superius descripta; nec tantam

habet uniformitatem quantam circularis; ac propter multiplicitatem aliorum actuum annexam, qua sæpe vel distrahitur, vel saltem remittitur, in se ipso, etiam ex tali distractione vel remissione, vel intentione, quamdam patitur difformitatem ac continuam varietatem.

545. Motus denique contemplationis obliquus est cum anima ex Dei contemplatione ad contemplandos effectus, promissiones, aut ad alia ejus opera in ordine ad creaturas divertitur, et iterum ad ipsum Deum contemplandum redit. Hic motus tam in contemplatione naturali, seu acquisita, quam in supernaturali, seu infusa, reperitur; et participat aliquid tam de circulari quam de recto, quasdam utriusque proprietates habens: convenit siquidem cum circulari ratione uniformitatis, quam in contemplatione Dei per modum principii et finis habet; ab ipso namque, ut dictum est, ad aliorum considerationem procedit, et ab aliis rursus ad ipsum redit. Convenit autem cum recto in multiplicitate ac difformitate suorum actuum, qui in illa diversitate formantur.

546. D. Thomas, 2 2, qu. 180, art. 6 ad 2, dicit quod isti motus diversimode sunt assignandi in angelis et in hominibus. Intellectus enim angeli habet cognitionem uniformem secundum duo. Primo quidem, quia non acquirit intelligibilem veritatem ex varietate rerum compositarum. Secundo, quia non intelligit veritatem intelligibilem discursive, sed simplici intuitu. Intellectus vero animæ a sensibilibus rebus accipit intelligibilem veritatem, et cum quodam discursu rationis ipsius eam intelligit. Et ideo motum circularem in angelis assignat Dionysius, in quantum uniformiter et indesinenter absque principio et fine intuetur Deum: sicut motus circularis carens principio et fine uniformiter est circa idem centrum. In anima vero, antequam ad istam uniformitatem perveniat, exigitur quod duplex ejus difformitas amoveatur. Primo quidem, illa quæ est ex diversitate exteriorum rerum: quod scilicet relinquat exteriora. Secundo autem oportet quod removeatur secunda difformitas, quæ est per discursum rationis. — Et tunc istis duobus præmissis, tertio ponitur uniformitas conformis angelis. Motus autem rectus in angelis accipi non potest, secundum id quod in considerando procedit ab uno in aliud, sed solum secundum ordinem suæ providentiæ, secundum sci-

licet quod angelus superior inferiores illuminat per medios. Sed motum rectum ponit in anima secundum hoc quod ab exterioribus sensibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem. Obliquum autem motum ponit in angelo compositum ex recto et circulari, in quantum secundum contemplationem Dei inferioribus providet. In anima autem ponit motum obliquum similiter ex recto et circulari compositum, prout scilicet illuminationibus divinis ratiocinando utitur.

Adde Append., n. 424.

DISPUTATIO II.

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI.

Adde Append., nn. 256-270.

ARTICULUS I.

De donis in communi.

547. Definitur donum a D. Thoma, 1 2, qu. 68, art. 1 et 3, habitus quidam quo homo disponitur ad exercenda opera virtutum secundum quod homo est mobilis a Spiritu sancto. Et explicatur ab eodem Sancto: Manifestum est autem quod omne quod movetur necesse est esse proportionatum motori: et hæc est perfectio mobilis in quantum est mobile. Quanto enim movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur; sicut videmus quod perfectius oportet esse discipulum dispositum ad hoc quod altiorem doctrinam capiat a doctore. Manifestum est autem quod virtutes humanæ perficiunt hominem secundum quod homo natus est moveri per rationem in his quæ interius vel exterius agit: oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundum quas sit discipulus, ad hoc quod divinitus moveatur: et istæ perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed etiam quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina, sicut dicitur Isaiæ L:

Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico. Et Philosophus etiam dicit in Cap. De bona fortuna, quod his qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum: quia moventur a meliori principio quam sit ratio humana.

548. Dona sunt tantum septem. Hoc probat D. Thomas, 1 2, q. 68, art. 4; primo in arg. Sed contra, ex illo Isaiæ XI: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritu timoris Domini. In corpore probat: Ad apprehensionem veritatis perficitur speculativa ratio per intellectum, practica vero per consilium; ad recte autem judicandum speculativa quidem per sapientiam, practica vero per scientiam perficitur. Appetitiva autem virtus in his quidem quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem; in his autem quæ sunt ad se ipsum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum; contra concupiscentiam vero inordinatam delectabilium per timorem, secundum illud Prov. XVI: In timore Domini declinat omnis a malo; et in Psal. CXVIII: Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui. Alia ratione probat idem D. Thomas, super cap. XI Isaiæ, quia dona perficiunt aut per recessum a malo, et sic est timor; aut per accessum ad bonum, et sic vel secundum vitam contemplativam, vel secundum activam: si secundum contemplativam aut secundum contemplationem finis, et sic est sapientia, quæ est de causis altissimis; aut de his quæ sunt ad finem, et sic est intellectus, sicut de substantiis creatis spiritualibus, et de his quæ ad eas pertinent; si secundum activam, aut quantum ad ea ad quæ tenentur omnes, et sic exequens est pietas, quæ est benevolentia in eos qui fide vel imagine Dei sunt nuntii; dirigens scientia; aut de his ad quæ non tenentur omnes, et exequens est fortitudo, ut exponat se difficilibus; dirigens vero consilium.

549. Dona ista, secundum D. Thomam in expositione cap. IV Isaiæ, significantur in illis verbis Prophetæ: Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur; tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum.

" Septem mulieres, „ septem dona Spiritus sancti, quæ dicuntur mulieres, quia per ea in Deo aliquis generatur et nutritur. " Virum unum, „ idest Christum singulariter, qui solus sine peccato; Joan. I: Vidimus eum quasi unigenitum plenum gratiæ et veritatis. — Secundo, donorum sufficientia in perfecta fruitione. " Panem nostrum comedemus, „ scilicet patriæ, quo fruitur perfecte Spiritus sanctus, cujus sunt dona; sicut et Filius; Joan. IV: Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. In Scripturæ attestatione: " Et vestimentis nostris operiemur, „ idest sermone Dei, quo dona ornantur, quia ejus. Donorum perfectio per Christum, quantum ad collationem salutis. " Nomen tuum, „ idest res nominis, scilicet sanctus. " Invocetur super nos, „ idest in illis qui ex nobis repleti sunt. Quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. " Aufer opprobrium nostrum, „ quod patimur a falsis virtutibus quæ nostrum nomen subripiunt; vel " opprobrium, „ quod patimur in repulsione hominum, qui nos peccando repellunt. D. Thomas, 3 p., q. 39, art. 6, solutione ad 4, comparat ista septem dona Spiritus sancti columbæ, propter septem proprietates illius. Columba secus fluenta habitat, ut inde, viso accipitre, mergat se et evadat: quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam sancti secus Scripturæ divinæ fluenta resident, ut incursum diaboli evadant. Item columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiæ, qua sancti scientias sanas, quibus pascantur, eligunt. Item columba alienos pullos nutrit: quod pertinet ad donum consilii, quo sancti eos homines, qui fuerunt pulli, idest imitatores diaboli, doctrina nutriunt et exemplo. Item columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias lacerando non pervertunt hæreticorum more. Item columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili carent. Item columba in cavernis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest suum refugium et spem. Item columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

550. Ista dona in Scriptura spiritus et dona appellantur. Appellantur spiritus, Isaiæ XI: Requiescit super eum spiritus

Domini, etc., quod quidem nomen Spiritui sancto convenit, quia amore ipso spirativo et ponderosa quadam inclinatione procedit; et dicuntur spiritus propter rationem D. Thomæ, 1 2, q. 68, art. 1, quia ordinantur in nobis ex inspiratione divina, secundum quod inspiratio nominat quamdam motionem ab exteriori. Licet enim in opere suo non solum homo, sed etiam omnis creatura indigeat motione Dei auxiliantis et concurrentis cum ea tamquam prima causa, cui omnia subordinantur, ut in hoc sensu dicatur etiam illa motio et auxilium ab exteriori provenire, tamen specialiter quando virtutes et principia nobis inhærentia non sufficiunt ad operandum aliquid tali et tam altiori modo, sicut ista elevatio donorum. Spiritus enim ad virtutem et robur pertinet, juxta quod dicebat David, Ps. CXVIII: Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Unde Job XXVI: Spiritus ejus ornavit cœlos, quia potentiæ rationis sunt quasi cœli, quia elevantur super corporeas facultates. Vocantur etiam ista dona spiritus, quia quasi ipso Dei halitu inspiratur anima quæ ipsis ornatur, amplectendo ipsum, quasi sponsum osculantem se, et osculo oris sui spiritum ei immittentem, ut perficiantur et eleventur virtutes ad superiorem modum operandi. Unde Psal. XXXII dicitur: Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ille enim spiritus oris Domini firmans virtutes, est in nobis spiritus istorum donorum, proveniens ab ore et osculo Domini, quod utique tam efficax esse solet cum animæ cœlestium desideriorum avide imprimitur, ut quasi ebibat spiritum ejus et totum transferat in participatione divinorum, et a terrenis et temporalibus sic abstrahat, ut etiam aliquando mortem inducat corporalem. Nam et Moyses dicitur, Deut. XXXIII, mortuus jubente Domino; et juxta Hebræum, transfert Oleaster, Mortuus est osculo Domini, quia illa jussio oris divini fuit quasi osculum Domini, ita fortiter impressum animæ Moysi, ut ebiberit et hauserit ad se totum spiritum vitæ ejus, et ad se rapuerit extra corpus in vi spiritualis amoris. Liber qui inscribitur Cantica Canticorum, initium accipit ab osculo Domini. Ecclesia incipit ab osculo oris sui, quasi ibi incipiant Ecclesiæ sanctæ amores, ubi consummavit Moyses suam. Ille enim mortuus est osculo Domini, Ecclesia vero incipit ab osculo oris sui. Et quando lex, quæ per Moysen data est, finem accipit,

ibi spiritualis amoris lex initium accipit ab osculo oris, quod est Spiritus sanctus ab ore Dei procedens, et in osculo suo Patrem et Filium complectens, ut ita abundantia illa et ebrietas Spiritus quæ in Ecclesiam in die Pentecostes effusa est, denotaretur; unde ad totum Ecclesiæ corpus per varia sæcula derivatur.

551. Dicuntur dona. Ps. LXVII: Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. Veluti Paulus ad Ephes. IV explicat, tractans ad litteram de gratia data secundum mensuram donationis Christi: Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, accepisti dona in hominibus. Licet enim in omnibus supernaturalibus donis, sive sint virtutes, sive alii habitus, sive auxilia actualia, locus iste intelligi possit, tamen per antonomasiam de donis Spiritus sancti intelligitur, quia plenius post ascensionem suam Ecclesiæ suæ largitus est Christus. Quod singulariter indicari videtur in illo verbo: Accepisti dona in hominibus; hoc enim proprie spectat ad hæc dona Spiritus sancti, in quibus ita Deus donat hominibus et distribuit dona sua quod per ea subjicit sibi homines, ut reddat bene mobiles a Spiritu sancto. Donum convenit Spiritui sancto quatenus voluntas et amor est communicativus sui, et sic primum donum amoris est ipsum cor amantis, quod amico intus apprehenso, et intus habitanti conjungitur, juxta quod dixit David, I. Paral. XII: Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum conjungatur vobis. Igitur illa pignora seu dona quibus Spiritus specialissimo modo conjungit cor suum cordi nostro, faciendo nos conjunctos sibi et mobiles a se, vocantur dona. D. Thomas, super cap. XI Isaiæ, dicit quod dona ista dantur nobis ad perficiendum virtutes; et idem Sanctus docet quod est duplex defectus virtutis: alter ex parte habentis, alter ex parte ipsius habitus. Ex parte habentis est defectus per accidens, scilicet ex indispositione subjecti participantis imperfecte talem habitum; et hic defectus tollitur per augmentum et intensionem, qua crescit virtus. Ex parte habitus est defectus aliquis intrinsecus, quatenus talis habitus habet imperfectionem aliquam annexam: sicut fides quæ ex sua natura est ænigmatica et obscura, et in ipsa caligat oculus, juxta quod dicit Salomon, II. Paral. VI: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine, idest in fide, juxta illud D. Pauli:

Habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Et iste defectus, inquit D. Thomas, tollitur per altiorem habitum, qui vocatur donum, et est donum intellectus, quod facit clare penetrare convenientiam et credulitatem eorum quæ sunt fidei, et discretionem eorum ab erroribus et a sensibilibus. Ista dona quasi poliunt, et deaurant, et splendescere faciunt virtutes in his ad quæ per se non attingunt. Fides in hac vita non potest illuminari et clarescere ex parte objecti, quia semper nititur testimonio dicentis, nec potest extra testimonium ad visionem Dei excurrere, utpote extra specificum objectum suum, et sic anima captiva vinculis fidei, quoad objecti caliginem, solum possit illuminari flamma amoris, et ita dona intellectus, sapientiæ et scientiæ oportet quod ex amore procedant.

552. Spiritus sanctus per ista dona designat viam et statum spiritus et spiritualis hominis, et hoc significavit Christus in illis verbis Joan. III: Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, et quo vadat. Et audite D. Thomam super ista verba quæ exponuntur de Spiritu sancto; et ponit quatuor de Spiritu sancto. Primo quidem ejus potestatem, quando dicit: " Spiritus ubi vult spirat, „ quia pro libero potestatis arbitrio inspirat ubi vult, corda illustrando; I. Cor. XII: Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Ex quo confutatur error Macedonis ponentis Spiritum sanctum esse ministrum Patris et Filii. Non enim spiraret ubi ipse vellet, sed ubi ei mandaretur. Dispositio interior per dona Spiritus sancti et ad discernendum homines spirituales ea est, ut homo valde liberum, voluntarium et expeditum se sentiat in operando, sine obscuritatibus, sine impedimentis, sine ligaturis, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; funibus autem peccatorum unusquisque constringitur, et quasi compedes animæ suæ injicit. Primum autem quod facit Spiritus ingrediens cor est dirumpere vincula peccatorum quibus homo ligatur, ac vectes ferreos duri cordis confringere; et tunc sentit se homo quasi allevatum a magno pondere, et agilem ad operandum, imo assumit pennas quasi columbæ, et volat, et requiescit in solitudine; nec enim est requies cordis ubi non est volatus ad Deum. Sicut Seraphin stabant et volabant; Isaiæ VI. Ne ergo erraremus putantes natos ex Spiritu veluti furiosos impetu quodam agi, sicut qui a malo spiritu possidentur; ideo primum

quod Dominus in via spiritus requirit, est quod ubi vult spiret, ad significandum quod nativitas ex Spiritu fert, non aufert libertatem electionis; multum periret de merito si Spiritus non spirando et ponderando inclinationem voluntatis, sed violentando determinaret et operaretur in illa. Unde etiam Apostolus dicit quod spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, hoc est, ut interpretatur D. Thomas, quod quantum ad usum denunciandi res propheticas, spiritus voluntati prophetarum subjecti sunt, et non sicut in arreptitiis. Inde est quod dona Spiritus sancti per modum habituum nobis donantur, ut videlicet modo rationabili et voluntario moveamur ad ea opera ad quæ a Spiritu dirigimur. Et sic qui aguntur a Spiritu, non ut servi, sed ut liberi, ut volentes et ut voluntarii moventur, et principia sibi inhærentia, a Spiritu tamen derivata, aguntur ad eas operationes quæ in sui regulatione et mensura modum humanum et communem excedunt. Ideo interior dispositio spiritualis hominis est, liberum et voluntarium esse in via spiritus, ac proinde qui non se expeditos et voluntarios sentiunt in his quæ sunt spiritus, et in abstractione a commoditatibus et deliciis, sed in eas facile dilabuntur, signum est nec agi nec spirari a Spiritu sancto fortiter et perfecte secundum ejus dona.

553. " Et vocem ejus audis. „ Psal. XCIV: Hodie si vocem ejus audieritis. Dicit D. Thomas: Objicit tamen Chrysostomus, dicens quod non potest intelligi de Spiritu sancto. Dominus enim loquebatur cum Nicodemo qui adhuc infidelis erat, cui non competebat audire vocem Spiritus sancti. Respondet Sanctus: Dicendum est, secundum Augustinum, quod Spiritus sancti est duplex vox, una qua loquitur intus in corde hominis, et hanc audiunt solum fideles et sancti, de qua dicitur Ps. LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alia est qua Spiritus sanctus loquitur in Scripturis vel per prædicatores, secundum quod dicitur Matth. XII: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus, etc., et hanc audiunt etiam infideles et peccatores. Et Cajetanus super hæc verba dicit quod qui natus est ex Spiritu, seu a Spiritu motus, vocem ex Spiritu profert sensibilem; ex abundantia enim cordis os loquitur. Nam in eo qui natus est ex Spiritu, si vere ex Spiritu est, omnes sensibiles et exteriores actiones, præsertim sermones et vox ex Spiritu procedunt, et Spiritum redolent, et vix aliud

quam de Deo, vel in ordine ad Deum colloquuntur. Ex quo manifestum est quod spiritualem hominem internum maxime manifestant externa compositio et sensuum exteriorum gubernatio, præsertim vox et locutio, juxta illud Jacobi III: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; potest etiam fræno circumducere totum corpus. Ergo mortificatio in lingua, seu moderata locutio, præsertim si solum sit de rebus divinis et ad spiritum pertinentibus, maximum signum est interioris Spiritus dirigentis et mensurantis. Cujus vero auditur quidem vox, sed non sonat Spiritum, libenter autem divertit ad delectabilia et vana, ut ea audiat, vel loquatur, hic diminutus est Spiritu.

554. Tertio, ponit D. Thomas Spiritus sancti originem, quæ occulta est. Unde dicit: " Et nescis unde veniat, „ licet vocem ejus audias. Et hoc ideo quia venit a Patre et Filio; Joan. XV: Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Pater autem et Filius lucem habitant inaccèssibilem, quam nemo hominum vidit. In his verbis profunditas Spiritus designatur interius nos moventis et dirigentis, sine hoc quod ejus originem, processum aut finem dignoscamus: sed tamen interiora omnia et secreta rimatur. Spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei, I. Cor. II; et ita, inquit Cajetanus, quamvis vocem et opera videant hominis spiritualis, nesciunt tamen evidenti cognitione divinum principium unde venit, et divinum terminum quo vadat. In quo docemur non debere nos turbari, si in operibus nostris non semper nobis innotescit cujus spiritus sint, præsertim in operibus arduis et extraordinariis, quia etsi multoties spiritus interius moveat et excitet nos et instiget, non tamen scire usquequaque possumus unde veniat, aut quo vadat, idest principium ejus et finem, et sic latet nos spiritus Dei. Et multi qui vellent in omnibus operari cum summa securitate et certitudine, retardantur sæpe ab his motionibus Spiritus sancti, ex angustia cordis; ideoque non sunt ita idonei ut moveantur ad magna et ardua, nisi dilatetur cor, ita ut multum confidat de Deo et de ejus interiori assistentia. Quod certe expressum omnino videmus in Isaia propheta, cum, cap. XL, ad eos loquitur qui ex quadam diffidentia cordis, victi a pusillanimitate spiritus et tempestate, in quadam incertitudine trepidare et coarctari videbantur. Et

dicebat ad populum illum Propheta: Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel: Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo judicium meum transivit? Ecce populus angustiatus corde ab incertitudine viæ suæ, quam putant esse absconditam a Deo, et nesciunt unde veniat aut quo vadat. — Qui dilatari monentur in magnitudine Dei, non in sua pusillanimitate hærere. Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, neque est investigatio sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem, et robur multiplicat. Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent (quasi parum idonei, qui pueri sunt corde, et infirmantur in juventute ad sustinendam viam spiritus). Qui autem sperant in Domino (ecce dilatatum cor ex confidentia) mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ (non ut homines modo humano operantes, sed ut aquilæ per dona Spiritus elevati), current, et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. Ubi non absurde notandum pennas aquilæ promitti: non tamen dicitur quod volabunt, sed quod current, et ambulabunt, scilicet tamquam homines adhuc in terra viventes, acti tamen et moti pennis aquilæ, quæ desuper descendit, quia dona Spiritus, etsi in terra exerceantur, et actionibus consuetis videantur fieri, tamen pennis aquilæ ducuntur, quæ superiorum spirituum et donorum communicatione moventur et regulantur, et tantum differunt qui virtutibus ordinariis exercentur ab his qui donis Spiritus sancti aguntur, quantum qui solis pedibus laborando ambulant, quasi proprio studio et industria regulati, vel qui pennis aquilæ superiori aura inflatis, moventur et currunt in via Dei, quasi sine labore.

555. Quarto, ponit Spiritus sancti finem, qui quidem occultus est, et ideo dicit: " Aut quo vadat, „ supple: Nescitis quia perducit ad occultum finem, scilicet ad beatitudinem æternam; unde dicitur pignus hæreditatis. Vel: " Nescis unde veniat, „ idest quomodo hominem introeat; " aut quo vadat, „ idest ad quam perfectionem illum adducat; Job IX: Si venerit ad me, non videbo eum. Solum hoc potest cognoscere qui experitur et gustat quoniam suavis est Dominus, quia hoc manna absconditum, et hoc nomen novum, in calculo candido scriptum, hoc est in infirmitate candoris et lucis spiritus, nemo scit nisi

qui accipit, ut dicitur Apoc. II. Et ideo difficile per laborem et contentiosa disputationum certamina disquiri potest quod solum ex connaturalitate quadam, et experientia divinorum communicata, dignosci potest. Ecce enim calculus iste candidus carbo ille est ignitus, quem, ut dicitur Isaiæ VI, unus de seraphin volans habebat in manu sua, et forcipe tulerat de altari, quo videlicet inflammante et igniente animam, non solum purgantur labia prophetæ (quod pertinet ad initium spiritualis vitæ et viæ purgativæ), sed ulterius provehitur ad scribendum nomen novum, quando non solum illuminativam viam ingreditur, secundum communem modum et regulam virtutum in quibus proficit: sed etiam nomen novum, idest regulam novam et obligationem novam accipit (nomen enim sæpius ipsam obligationem, seu munus designat) qua regulatur, et dirigitur, et docetur humana mens, non solum stylo hominis et modo quodam communis prudentiæ, sed etiam digito Dei et excellentia notionis divinæ.

556. Hæc dona sunt habitus diversi a virtutibus theologicis et a moralibus tam acquisitis quam infusis. Hoc probatur a D. Thoma multis in locis, præcipue 1 2, q. 68, art. 1; et in III, dist. 34, q. 1, a. 1, et de virtutibus infusis expressam mentionem facit solum ad 2. Et ista dona non possunt esse idem cum virtutibus theologicis, quia ista dona fuerunt in Christo, et non fuit in illo neque fides, neque spes: ergo distinguuntur ab omnibus virtutibus. — *Adde Append.*, nn. 271-283.

ARTICULUS II.

De dono intellectus.

557. Donum intellectus habet apprehensionem terminorum veluti antecedenter et dispositive; sed tamen principaliter consistit in judicio discretivo veritatis. Ita D. Thomas, 1 2, q. 68, art. 4; et 2 2, quæst. 8, art. 1, et aliis in locis: et ratio divi Thomæ efficax est, quia ita se habet lumen superadditum ad ea quæ nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea quæ primordialiter cognoscimus; comparatur ergo donum supernaturale intellectus lumini naturali principiorum; et ita sicut per lumen principiorum non solum ap-

prehendimus terminos, sed etiam judicamus veritates per se notas, ita per donum intellectus judicamus veritates supernaturales. Et in art. 4 docet quod Spiritus sanctus per donum intellectus illustrat mentem hominis ut cognoscat veritatem quamdam supernaturalem. Veritas autem cognoscitur per aliquod judicium, seu compositionem. Donum intellectus quasi acuit et perficit mentem ad hoc ut sine confusione et admixtione errorum procedat, et ad hoc illustratur a Spiritu sancto; unde et illi correspondet inter beatitudines munditia cordis, cum dicitur Matth. v: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; quæ munditia cordis non solum debet intelligi depuratio ab inordinatis affectibus, qualis fit per virtutes et dona partis appetitivæ, sed etiam per depurationem a phantasmatibus et erroribus. Donum intellectus habet judicium simplex et discretivum; donum vero sapientiæ et scientiæ resolutorium et analyticum.

558. Donum intellectus maxime deservit contemplationi internæ, quia per ipsum acuitur et subtilizatur mens a Spiritu sancto ut intelligat, et in tenebris non ambulet, sed in luce, etiam dum in caligine divinitatis ambulat, idest per viam remotionis et umbram negationis; sic enim intrat in potentias Domini et ingreditur speculando gloriam Domini, transformatur de virtute in virtutem quasi a Domino spiritu. Hujus autem signum maximum est, si aperiente se luce Spiritus intus in mente et elevato ac sublevato intellectu, non sentit anima exaltari proprium cor, sed exaltari ac sublimari sibi Deum supra omnem creaturam. Sic enim dicit Psalmista: Accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus; Psal. LXIII. Propriissime donum intellectus reddit cor altum, quia elevat illud ut alte sentiat et cognoscat de divinis, penetrans et intelligens quod ea quæ divina sunt excedunt omnia quibus comparari possunt. Et ex tali altitudine cordis exaltatur non ipsum cor, sicut fit per scientiam acquisitam, quia scientia inflat, et inflatum cor ruinæ est proximum, quia ante ruinam exaltatur cor: sed per donum intellectus elevatur, ut exaltetur et magnificetur Deus, quia apprehenditur ut magnus, et anima ipsa nostra magnificat Deum, non se.

559. Idem est habitus doni intellectus hic et in patria. Quod generaliter traditur a D. Thoma, 1 2, q. 68, art. 6, dum docet dona ista Spiritus sancti permanere in patria, nullum eorum

excipiendo, immo includendo donum intellectus solutione ad 2; et ratio D. Thomæ efficax est, quia dona Spiritus sancti perficiunt mentem humanam ad sequendam motionem Spiritus sancti; sed in patria præcipue movebitur et sequetur mens motionem Spiritus sancti; ergo manebunt dona in patria. Et D. Thomas, 2 2, q. 8, art. 2, dicit quod donum intellectus de sua formali ratione ordinatur ad intelligendum clare, vel imperfecte, vel perfecte, sicut dicitur Psal. XXXIII: Gustate et videte, quia super gustum et experientiam fundatur evidentia, scilicet evidentia mystica affectiva et experimentalis. Intelligere enim, ut distinguitur a credere, semper est cum aliqua evidentia sive extrinseca sive intrinseca, sive positiva sive negativa. Quod autem in hac vita non perveniat ad perfectam visionem, non est ex defectu propriæ rationis formalis, sed quia materia non est debite disposita ut videatur in se, quia ambulamus per fidem et non per speciem; donum ergo intellectus cum ex illustratione Spiritus sancti moveat mentem ad hoc ut recte penetret et intelligat ea quæ sibi proponuntur, de se et ex suo formali motivo evidentiam exigit, et facit eam quam potest juxta propositam materiam; in patria autem facit evidentiam positivam et perfectam: in via, imperfectam, ænigmaticam, et habentem umbram fidei, juxta quod Sponsa dicit: Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Ubi ex sessione, et requie in umbra, idest in fide Dilecti et desiderati (hæc est fides quæ per dilectionem operatur) oritur experimentalis quædam dulcedo fructus illius, quod pertinet ad hanc mysticam et affectuosam cognitionem. Convenit ergo donum intellectus, tam hic quam in patria, in hoc quod est illustrare intellectum in cognoscendo spiritualia ex quadam connaturalitate affectuosa et experimentali illius dulcedinis. Et quia experimentalis cognitio de se semper petit evidentiam, ideo donum intellectus ex sua formali et specifica ratione evidens est. Sed hæc evidentia experimentalis hic in statu fidei fit imperfecte, et sicut qui videt montem a longe, juxta quod Paulus dicit ad Hebr. XI: A longe aspicientes et salutantes eos, et ideo magis experimur quid non sint illa gaudia et promissiones, et quomodo a corporalibus discernantur quam quid sint. In patria autem fit experimentalis evidentia de eo quod sunt, et quod sunt ex pleno affectu circa illa, ut præsentia.

560. Donum intellectus non acuit, nec perficit mentem ad intelligendam veritatem ex studio et disputatione, et quasi metaphysice, sed ex connaturalitate quadam et unione ad divina, et mystice. Dupliciter potest contingere habere cognitionem et judicium ferre de aliqua re: uno modo per inquisitionem seu studium, alio modo per experientiam, et quasi connaturalitatem ad rem aliquam. Sicut de castitate aliter judicat philosophus ex disciplina ethica et disputatione de virtutibus, aliter temperantia ex connaturalitate ad ipsam continentiam et castitatem; sic de spiritualibus et supernaturalibus possumus habere cognitionem et judicium, vel ex studio et disputatione circa res illas, sive ex præcisa illustratione veritatis, vel ex quadam connaturalitate et affectu, seu experientia divinorum, sicut de Hierotheo dicit S. Dionysius, lib. De divinis nominibus, cap. 2, quod erat non solum discens, sed patiens divina. Patitur autem quis divina quando in affectu agitur et movetur a Spiritu sancto, supra id quod modus et regula humana possunt mensurare; quod enim operatur aliquis ex obedientia et subjectione ad motionem alterius, dicitur quasi patiens seu recipiens, quia obediens et subjectus. Sumitur hæc doctrina ex D. Thoma, 2 2, qu. 8, art. 5, ubi dicit quod nisi usque ad hoc moveatur a Spiritu sancto intellectus humanus, ut rectam æstimationem de fine habeat, nondum consecutus est donum intellectus, quantumcumque ex illustratione Spiritus sancti alia quædam præambula cognoscat. Rectam autem æstimationem de fine non habet nisi ille, qui circa finem non errat; sed ei firmiter inhæret tamquam optimo: quod est solum habentis gratiam gratum facientem. Sicut etiam in moralibus rectam æstimationem de fine habet homo per habitum virtutis. Et ideo dona quæ ad intellectum pertinent, ipsum perficiunt mystice, et ratione alicujus experimentalis cognitionis et judicii de rebus divinis; quæ experientia sine affectu et gustu quo nobis uniuntur, et quasi connaturalizantur, stare non potest. Et ratio est quia de his donis non possumus philosophari, nisi prout nobis tradit Scriptura, quæ cognitionem istorum donorum in aliquo affectu et gustu interno fundat, ut cum dicitur Ps. XXXIII: Gustate et videte; et Psal. CX: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et Apoc. II: Quod nemo scit nisi qui accipit. Et iterum Isa. XI dicitur: Requiescet super eum spiritus Domini,

spiritus sapientiæ et intellectus. Ergo fundantur istæ cognitiones in spiritu, seu affectu, non quomodocumque, sed requiescente et unito nobiscum. Constat enim multoties inveniri istam mysticam et affectivam cognitionem in hominibus simplicibus et idiotis, qui tamen optime sentiunt de spiritualibus: ergo ista cognitio fundatur non in studio, et quasi metaphysico discursu, sed in experientia.

561. Dicunt aliqui: Non datur specialis habitus ad judicandum vel cognoscendum ea quæ sunt virtutis ex ejus exercitio et experientia: ergo non debet dari specialis habitus et donum ad cognitionem vel judicium. Respondeo esse valde disparem rationem, quia virtutes acquisitæ earumque operationes sunt nostro modo connaturales et experimentales, imo et exercitia ipsarum virtutum infusarum, licet ex objecto habeant elevationem supra naturam, tamen quia in modo operandi et mensurandi procedunt juxta modum et mensuram proprii subjecti et discursus, ideo non est necessarius specialis habitus aut virtus ad earum experimentalem cognitionem habendam. At vero ad sumendam cognitionem et intelligentiam de supernaturalibus et divinis mysteriis ultra modum et mensuram humanam, et in ea discernenda ab erroribus, sic necesse est peculiarem habitum apponere propter specialem difficultatem, quæ non intervenit in experimentali cognitione operationum connaturalium, aut connaturali modo factarum.

562. Donum intellectus distinguitur ab actu fidei, quæ etiam versatur circa prima principia et res divinas, quia, ut dicit D. Thomas, 2 2, qu. 8, art. 6 ad 2, donum intellectus est circa prima principia cognitionis gratuitæ, aliter tamen quam fides. Nam ad fidem pertinet assentiri; ad donum vero intellectus pertinet mente penetrare ea quæ dicuntur. Et donum intellectus etiam assentitur veritati quam penetrat, non credendo formaliter, sed aliqualiter experiendo saltem quid non sit (pro ista vita) et quomodo a sensibilibus distet, et erroribus non misceatur; fides autem assentitur veritati credendo. Et differt assentiri credendo, vel experiendo, aut penetrando, quia credens tantum adhibito testimonio adhæret, et præcise assentit, nec aliud quærit, neque investigat, neque discutit. Intellectus interiora penetrat, investigat occulta, ad priora extendit se ipsum, nititur velata detegere et obumbrata illustrare. Sic ni-

mirum per donum intellectus revelat Dominus condensa, per fidem venit de monte umbroso et condenso, per fidem captivatur intellectus, quasi caligat oculus, et ambulat per viam deserti usque ad montem Dei. Denique in terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparet Deo, quod frequenter experiuntur qui nuda et sicca fide orationi insistunt, quod quasi siccatur anima, et faucibus adhæret lingua, dum credit tantum, nec penetrat ad interiora mysteriorum Dei. At vero, ubi Spiritus sanctus incipit intus flare spiritu suo ut fluant aquæ, et per donum intellectus aperit nobis sensum, et reserat interiora austri, idest calidiorem auram suæ charitatis immittit ut sentiamus et gustemus intus quam suavis est Dominus, tunc plane convertit captivitatem intellectus nostri, sicut torrens in austro, idest ad modum quo torrens altiori gelu concretus, solvitur aspirante austro; tunc fugantur nubila, et surgente aquilone venit auster, et perflat aromata mysteriorum fidei, ut mittant odorem suum, sicut odorem agri pleni; tunc fiunt oculi nostri sicut columbæ, et non jam in terra arenti et inaquosa, sed plane resident juxta fluenta plenissima; tunc denique non exsiccatur anima, neque arescit in siti, sed sicut adipe et pinguedine repletur inundante lumine, et dirigitur oratio ejus sicut incensum in conspectu Domini. Hoc præstat donum intellectus.

563. Ex ipsa sacra Scriptura nobis innotescit quod donum intellectus distinguitur a fide; et quamvis sufficiat in naturalibus idem habitus ad assentiendum principiis et ad penetrandum illa, non tamen in supernaturalibus. Et differentia stat in duobus. Primo, quod assensus fidei nititur testimonio extrinseco, non autem circa ea quæ rei intrinseca sunt quidquam investigat, aut cognoscit, quia non ex vi cognitionis intrinsecorum objecti assentit veritati, sed ex puro testimonio dicentis, quod extrinsecum objecto est: donum autem intellectus assentit quidem veritati, sed intrinseca objecti penetrando, et quasi intus legendo, sive negativa evidentia, et per viam remotionis, sive positiva, ut in patria, non extrinsecus tantum attingendo. Unde respectu fidei omnia objecti prædicata et quidditas clausa manent, et solum extrinseco testimonio nititur, ideoque dicitur caligare oculus, et captivari intellectus et arenti siti manere circa intelligentiam et penetrationem objecti et prædicatorum

ejus. Et ideo recte dicit D. Thomas quod ad fidem pertinet assentiri principiis, ad donum autem intellectus penetrare. Donum autem intellectus conatur ingredi et penetrare interiora rei, sicut cum B. Virgo interrogabat: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Hoc enim non procedebat ex diffidentia aut hæsitatione, sed ex dono intellectus conantis ad plenam et interiorem intelligentiam mysterii, eo modo quo in hac vita intelligi potest. Et ideo necesse est ponere distinctos habitus ad fidem et ad donum intellectus, quia procedunt ex distinctis motivis et rationibus formalibus: fides ex motivo ita extrinseco, quod nihil de interioribus objecti penetrat; donum autem intellectus conatur interiora rei penetrare, et ad hoc tendit in hac vita imperfecte, in patria perfecte.—Secundo, differentia ista sumitur ex eo quod donum intellectus tendit ad intelligentiam et penetrationem veritatis, non quomodocumque, sed ex quadam experientia affectiva circa res divinas; fides autem non procedit ex tali experientia, sed ex nudo testimonio dicentis.

ARTICULUS III.

De dono sapientiæ et scientiæ.

564. Donum sapientiæ secundum adæquatam rationem definitur: Habitus qui habet judicare de divinis ex instinctu et motione Spiritus sancti, qua unimur et subjicimur Deo quasi ex connaturalitate et experientia, seu gustu quodam divinorum. Ita D. Thomas, 2 2, qu. 45, art. 2, ubi inquit quod rectitudo judicii potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis; alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea de quibus judicandum (*est*), sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte judicat ille qui didicit scientiam moralem: sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam recte judicat de eis ille, qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum judicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis; sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam secundum quod est donum Spiritus sancti, sicut

Dionysius dicit in II capite De divinis nominibus, quod Hierotheus est perfectus in divinis, non solum discens, sed patiens divina. Quapropter ratio formalis sapientiæ est procedere ex causis et rationibus divinis (quæ sunt causæ altissimæ) ad indagandas veritates, sive divinas, sive creatas. Spiritualis enim omnia judicat, I. Cor. II. Sed tamen istæ causæ divinæ et altissimæ per quas procedit sapientia ad reddendam rationem, non sunt notæ quasi quidditative per sapientiæ donum, sed quasi affective et mystice ex connaturalitate quadam et unione, seu experientia interiori divinorum. Et ratio est quia donum sapientiæ debet esse simile sapientiæ quæ est virtus, sicut et alia dona proportionantur virtutibus sibi correspondentibus, quantum ad hoc quod debet procedere circa veritates quas attingit ex causis supremis et altissimis, sicut ipsa sapientia, quæ est virtus; in hoc enim convenire debent sapientia donum et sapientia virtus: utraque enim designat habitum intellectivum, et inter intellectivos summum, seu supremum in genere scientifico, quia judicat per supremas causas; differentia enim sapientiæ doni a sapientia virtute debet esse in modo cognoscendi istas supremas causas. Et sic sapientiæ donum est quæ modo affectivo et mystico attingit divina quæ sunt causæ supremæ; hoc enim est proprie attingere dono Dei, quia licet omnes habitus et virtutes supernaturales dona Dei sint, tamen aliud est dono attingere aliquod objectum, aliud ex dono, quasi ipsa etiam donatio Dei, qua nobis se donat, pertineat ad rationem attingendi objectum. Nobis autem se donat Deus per spiritum suum et voluntatem, quatenus apponit erga nos cor suum: siquidem primum quod in aliqua donatione attenditur est quod ipse donans apponat cor suum et se ipsum, seu voluntatem suam alteri donet, eique corde conjungatur, seu spiritu et affectu, juxta illud quod dixit David, I. Paral. XII: Si pacifice venistis ad me, cor meum jungatur vobis. Cum ergo donum sapientiæ non quælibet sapientia sit, sed spiritus sapientiæ, idest ex affectu, et spiritu, et donatione ipsa, qua experimur in nobis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, et perfecte judicans de ipsis rebus divinis, oportet quod ratio formalis qua donum sapientiæ attingit causam altissimam, idest causam divinam, sit ipsa notitia quæ habetur experimentaliter de Deo, quatenus unitur nobis, et invisceratur, et donat se ipsum

nobis; hoc enim est ex spiritu scire, et non solum ex lumine, aut discursu monstrante quidditatem, sed ex affectu experiente unionem.

565. Neque valet quod aliqui dicunt quod affectus iste et spiritus est in voluntate, cognitio autem sapientiæ in intellectu; ex voluntate autem non redditur intellectus magis illuminatus, neque crescit lumen in ipso: ergo neque potest crescere judicium aut sapientia ex tali dono pertinente ad affectum. Tum quia ista experientia et unio affectiva est aliquid naturaliter consequutum ad actum amoris in voluntate: ergo non est aliquid supernaturaliter additum ad virtutem charitatis: ergo donum sapientiæ ex hac parte non est aliquid supernaturale præter virtutem charitatis. — Dico tamen quod amor et affectus potest duplicem considerationem habere. Primo, ut applicat se et alias potentias ad operandum; et sic solum se habet effective et executive in ordine ad illas operationes, scilicet per modum applicantis ad agendum. Secundo, ut applicat sibi objectum, et illud unit et inviscerat sibi per quamdam fruitionem, et quasi connaturalitatem et proportionem cum tali objecto, et quasi experitur illud experientia affectiva, juxta illud Psal. XXXIII: Gustate et videte. Et sic affectus et amor talem unionem faciens, transit in conditionem objecti, quatenus ex tali experientia affectiva redditur objectum magis conforme, et proportionatum, et unitum personæ, eique magis conveniens, et sic fertur intellectus in illud ut expertum et contactum sibi, et hoc modo non se habet amor, ut præciso movens in genere causæ effectivæ, sed ut movens in genere causæ objectivæ, quatenus per tale experimentum diversimode proportionatur, et conveniens redditur objectum. Et licet ex amore resultet ille gustus, et fruitio, et invisceratio ad Deum naturaliter, idest necessario, non tamen naturaliter, idest per modum naturalis ordinis, cum supernaturalis fruitio et gustus sit, utpote consecutus ex amore supernaturali, et regulatus cognitione supernaturali fidei in via, visionis in patria. Unde non repugnat super hoc fundari cognitionem doni supernaturalis, cum ex spiritu seu supernaturali illa unione experimentum supernaturale de Deo sumatur, atque adeo mystica seu affectiva sapientia quæ ex tali spirituali unione sumitur.

566. Donum sapientiæ distinguitur ab omnibus aliis donis.

A fide, quia fides habet simplicem assensum per modum credendi, assentiens auctoritati et testimonio dicentis, sine hoc quod inquirat, neque intelligat rem quam credit per causas suas: sapientia vero intelligit rem per causas et judicat resolvendo, et analytice procedendo: est enim sapientia summa, seu suprema scientia; distinguitur a dono intellectus, quia non procedit resolutorie, sicut nec fides, nec tradendo causas, sed simplicem terminorum notitiam, et penetrationem modo affectivo et mystico. — A dono consilii, quia hoc procedit circa agibilia, regulando ea, non contemplando divina, et per altissimas causas, sicut procedit sapientia. — A dono scientiæ, quia hoc etsi resolutive procedat, sed per causas creatas et inferiores, non per altissimas, et quamvis donum scientiæ innitatur etiam gratiæ et charitati, sed tamen in ipsa unione gratiæ et charitatis ad Deum, fundatur duplex via procedendi ad intelligendum et judicandum de divinis: tum per causam ipsam primam, cui primo et per se charitas unitur; tum per causas humanas et creatas, quibus unitur secundario, et per quas etiam inducitur ad intelligendum primam. Et primo modo fundatur scientia summa, quæ est sapientia; secundo modo fundatur ordinaria et inferior, quæ est scientia. Utraque supponit unionem hominis cum Deo per affectum charitatis, et cum proximo seu creaturis, secundario per eamdem charitatem: et ex primo movetur a Spiritu sancto ad judicandum de divinis; ex secundo ad judicandum de causis creatis. Et in Scriptura frequenter redduntur causæ et rationes eorum quæ dicuntur, quod maxime pertinet ad sapientiam et scientiam: aliquando quidem tangendo causas inferiores, aliquando supremas; v. g. cum, Joan. IX, Apostoli interrogaverunt Christum Dominum causam cæcitatis in cæco nato, et voluerunt id scire quantum ad causam creatam et inferiorem, videlicet ex parte peccatorum quæ sunt causa talium pœnalitatum: Rabbi, quis peccavit? hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Dominus autem respondit per sapientiam, reddendo causam illius cæcitatis ex parte causæ supremæ, scilicet gloriæ divinæ: Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei. Sic et Propheta judicabat per donum sapientiæ de mirabilibus Dei, cum dicebat, Ps. LXX: Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius; Deus, docuisti me a juventute

mea, et usque nunc pronuntiabo omnia mirabilia tua. Ecce enim sine litteratura humani studii ingreditur anima in potentias Domini, et solum justitiæ ejus recordatur, et docetur a Deo a juventute, utique quia unctio docet nos de omnibus. Et sic ex potentiis Domini, et ratione justitiæ ejus (quæ sunt causæ supremæ et altissimæ) reddit rationem et causam mirabilium Dei quæ pronunciat, quod utique ad sapientiam pertinet. Et rursum per donum scientiæ idem Propheta causam perditionis aliquorum reddit ex causis proximis suorum peccatorum; Psal. LXXII: Quomodo, inquit, facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Et sic passim plura inveniuntur exempla in Scriptura.

567. Donum scientiæ (sicut et alia dona) debet considerari ex proportione et similitudine ad scientiam, quæ est virtus; hæc autem est habitus judicativus evidenter veritatum scibilium per causas vel effectus (ut comprehendamus scientiam propter quid, et quia a priori et a posteriori); ita tamen quod quando fit hoc judicium per causas inferiores et creatas, est scientia; quando per supremas, est summa scientia, quæ sapientia dicitur, juxta quod etiam Augustinus dicit, XIII. de Trinitate, cap. 19: Sapientia divinis et æternis, scientia humanis et temporalibus attributa est rebus. Quod non tam de ipsa materia et re intellecta, quam de ipsa formali ratione intelligendi accipiendum est.

568. Scientiæ donum etiam pertinet ad scientiam mysticam et affectivam, nec enim in Scriptura nominatur scientia quomodocumque, sed spiritus scientiæ et scientia Sanctorum, quia solum est in habentibus gratiam. Et sic fundari debet in aliqua motione Spiritus sancti, quæ movet mentem non puro et nudo lumine manifestante veritatem prout est extra, sed prout interna experientia et quasi connaturalitate affectiva et supernaturali fertur, et attingit res de quibus judicat. — Et cum fit instantia quomodo de rebus humanis habetur experientia et gustus aliquis internus supernaturalis, dico quod, ut jam dictum est, charitas, qua affectus noster unitur Deo, primario fertur in Deum et res divinas, et secundario in creatas propter Deum. Unde affectus ille connaturalizatur atque unitur Deo, et experimentalem gustum de Deo habet, sed simul etiam habet gustum et experientiam de creaturis, formatque judicium

rectum de illis, tum ad contemnendum, ne ab illis inordinate ducatur; tum ad diligendum moderate, ordinando illas in Deum. Et sic ille qui dicebat: An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? II. Cor. XIII, etiam dicebat: Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifacerem, ad Philipp. III. Quia videlicet ad habendam perfectam unionem cum Deo, et experientiam de illius immensa bonitate, valde conducit denudatio a creaturis, et cognitio de illarum paupertate, et limitatione, et amaritudine; et sic consideratio illarum etiam juvare solet ad inhærendum firmius Deo, qui a nobis per viam remotionis creaturarum cognoscitur. Bene enim judicium de creaturis habebat Apostolus, qui dicebat, Rom. VIII: Certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Ubi satis ostendit quale judicium feratur de creaturis ex charitate ipsa Dei, ne propter illarum commoditatem aut timorem separari quis debeat a charitate Dei. Hanc ergo experientiam, et gustum, atque sensum de creaturis, ut sic illas gustemus quod propter illas non hæreamus eis, sed transeamus ad Deum, nec de illis finem nobis ultimum faciamus, solum habet ille qui rectam æstimationem et judicium habet de ultimo fine, et potest comparationem et collationem faciendo inter Deum et creaturas, scire et videre quam malum et amarum est reliquisse Dominum Deum suum, Jer. II. Hoc enim proprie pertinet ad donum scientiæ, dum dicit: Scito (idest per scientiam) et vide quia malum est dereliquisse te Dominum Deum tuum. Et rursus alius propheta dicit: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Ps. CXVIII. Et in Osea, cap. II, dicit anima quæ ad Deum convertitur: Revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Et iterum, Jerem. III: Ecce nos venimus ad te, tu enim es Dominus Deus noster. Vere mendaces erant colles et multitudo montium, vere in Domino Deo salus Israel. Hæc est cognitio creaturarum per donum scientiæ, transire nos faciens ad Deum. Ex quibus omnibus deducitur dari ex motione Spiritus sancti, et affectu ordinato circa Deum et creaturas, judicium discretivum inter illum et istos quantum ad

rectam æstimationem de creaturis, ne fiant in odium et muscipulam pedibus incipientium. Et hoc recte judicare de creaturis scientia sanctorum est, et fundatur in illo spirituali gustu et affectu charitatis, qui non sistit solum in Deo, sed etiam ad creaturas transit propter Deum, et sic format judicium de istis secundum earum proprietates, quod pertinet ad causas inferiores et creatas, sicque distinguitur a sapientia.

ARTICULUS IV.

De dono consilii.

569. Donum consilii correspondet virtuti prudentiæ, quia proprie ad prudentiam pertinet consiliari. Appellatur autem potius donum consilii quam donum prudentiæ, ut magis per hoc insinuetur divina motio et instinctus quo proprie movetur homo per dona Spiritus sancti. Nam, ut dicit D. Thomas, 2 2, q. 52, art. 2 ad 1, quia in donis Spiritus sancti mens humana non se habet ut movens, sed magis ut mota, inde est quod donum correspondens prudentiæ non fuit conveniens quod præceptum diceretur vel judicium: sed consilium, per quod potest significari motio mentis consiliatæ ab alio consiliante. Inhærendo semper fundamento supraposito, quod hic agimus non de quocumque consilio, scientia aut sapientia, sed de his in genere mystico et affectivo, seu de spiritu ipso consilii, ut prudentes simus et eloquii mystici, sicut agimus de spiritu scientiæ et sapientiæ, scilicet quæ ex spiritu et affectu oritur, dicendum est quod donum consilii dirigit ea quæ agenda sunt, non ex rationibus humanis præcise, cognitis a fide aut prophetia, qualiter potest esse in peccatore, sed ex affectu et experientia divinorum interna, ex qua docetur et inspiratur de omnibus necessariis ad salutem, etiam cum discursu et inquisitione, aut consultatione aliorum, quia totum hoc inspiratur et docetur a Spiritu, qui (ut Christus promisit) docebit nos omnem veritatem. Et unctio ipsa docet nos de omnibus, utique etiam de discurrendis, et inquirendis, et sic agendis.

570. De hoc modo consiliandi, seu habendi consilium a Deo, sæpe loquitur Scriptura, ipsumque nobis insinuat, ut Eccli. XXIV.

loquens de sapientia et disciplina Dei, dicit: A mari abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Sumit enim similitudinem a nubibus quæ ex aqua maris surgunt et elevant vapores, quibus ingrossatæ effundunt imbrium flumina; sic consilium Dei, seu donum consilii crescit, et desumitur ab abysso magna divinitatis, seu finis ultimi, et ab illo mari immenso Spiritus sancti abundat cogitatio ejus, quasi non exilis aut tenuis cogitatio, sicut sunt incertæ cogitationes et providentiæ nostræ quæ humanis rationibus ducuntur, sed incrassatæ a mari et ab abysso magna, scilicet a rationibus divinis quæ tunc fœcundant cor, quasi nubes segregantes nobis pluviam voluntariam, quando ita considerantur rationes abyssi istius magnæ, quod imprimuntur cordi usque ad rectam æstimationem de fine ultimo, ita quod ab illo affectu ad Deum, ut ad finem ultimum abundet cogitatio, et consilium ab illa abysso magna, ita ut vere possit dicere cum Propheta: Et consilium meum justificationes tuæ. Qui enim in omnibus agendis sic strenue et dextere se gerit, ut solum attendat ad justificationes Dei, et componat in omnibus, etiam arduis et difficillimis, id quod pertinet ad divinas justificationes, certe hic verificare potest quod consilium ejus justificationes Dei sunt, nec potest ut homo et ex humanis rationibus solum operari: sed ut magni consilii angelus, vel potius, ut motus et ductus a spiritu angeli magni consilii, abundat in cogitatione, et consilium sumit ab abysso magna. Idem deducitur ex illo Eccli. XXXIX, ubi loquens de vero sapiente, inquit: Ipse in oratione confitebitur Domino, et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ecce directio doni consilii a Deo, quod utique pertinet ad donum consilii, seu ad spiritum consilii, quod tunc præstatur quando consiliatur in absconditis. Quid autem occultius aut magis absconditum quam interior voluntatis affectus? Nam quod ad nudum intellectum pertinet, magis ad manifestationem spectat quam ad absconsionem. Omne enim quod manifestatur lumen est. Qui ergo in absconditis consiliatur, sumens ex ipso spiritu, et affectu, et unione ad Deum consilium, utique adimplet ea quæ sunt dona consilii, et participat consilium ab illo qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

571. Fundamentum desumitur ex dictis, quia ex affectu et

unione ad Deum sumitur sapientia et scientia affectiva et mystica, quibus illustratur intellectus ad judicandum de divinis et creatis ex notitia experimentali de Deo, et gustu illius interno, quo charitas tangit primo Deum, et secundario creaturas: ergo ex eadem radice poterit etiam illustrari et perfici practice et prudentialiter circa agenda. Patet consequentia quia prudentia et consilium maximam vim sumunt ex affectu ad finem, et recta æstimatione de illo, et de adhæsione ad ipsum, et de discretione mediorum, ne per illa divertamus a fine, et cum creaturis utendum sit tamquam mediis quibus tendimus ad Deum, ex cognitione earum quæ habetur per donum scientiæ etiam haberi potest directio prudentialis, et secundum consilium Spiritus sancti, de talibus mediis et de his quæ agenda sunt. Dabitur ergo donum consilii fundatum in mystico affectu et unione ad Deum. In summa: ubi est pars speculativa perfecta, etiam et practica perfici potest, quia practicum fundatur in speculativo, et prudentia dirigitur a sapientia et scientia: si ergo datur pars speculativa affectiva et mystica secundum cognitionem et judicium fundatum in experimentali et interno gustu Dei, et in quadam connaturalitate et invisceratione ad divina, etiam pars practica poterit perfici mystice et affective in eadem unione et connaturalitate ad Deum, ex qua redditur habilior et perfectior ad judicandum de agendis pars practica, quia judicat de mediis, et consiliatur de illis non secundum rationes et modum humanum, etiam ordinatum ad finem supernaturalem, sed secundum sapientiæ et scientiæ donum, et confidentiam divinam, et fiduciam in Deo, qui potens est omnia media disponere, et omnes difficultates superare.

572. Donum consilii ad omnia illa agibilia directe se extendit, quæ per alia dona appetitivæ partis operanda sunt, scilicet per fortitudinem, pietatem et timorem. Sicut enim prudentia virtus respicit pro objecto et materia suæ directionis omnia agibilia virtutum cardinalium quæ prudentiæ regulis aguntur; ita prudentiæ donum, seu donum consilii directe respicit regulare et dirigere quæ a donis Spiritus sancti in appetitiva parte exercenda sunt, quia donum consilii per se datur ad supplendum id, in quo prudentia et communes regulæ deficiunt; per se etiam dirigere debet ea opera quæ ultra communes regulas appetuntur et exercentur, et hæc sunt quæ

fiunt a donis Spiritus sancti. Indirecte tamen et secundario etiam potest dirigere et regulare ea quæ ad communes regulas humanas pertinent, quatenus supponi et subordinari debent divinis. Nec enim solum ea quæ sunt de consilio, sed etiam quæ de præcepto a dono consilii dirigi possunt. Unde dicit S. Thomas, 2 2, q. 52, art. 4 ad 1 et 2, quod donum consilii dirigit nos in omnibus actibus virtutum, et in omnibus quæ ordinantur in finem vitæ æternæ, sive sint de necessitate salutis, sive non. Et hoc ideo, quia motio Spiritus sancti cum sit universalissimi motoris, ad omnia se extendit; et indigentia atque infirmitas creaturæ rationalis, non solum in his quæ ex natura sua supernaturalia sunt, et vires creatas excedunt indiget motione Spiritus sancti, sed etiam in his quæ sui ordinis sunt, indiget speciali adjutorio firmari et dirigi, quia multis erroribus, et periculis, et contingentiis est subjecta, nec potest sola ratione humana omnia prævenire.

573. Donum consilii etiam pro hac vita datur ad tollendam dubitationem: imo quia tam magnæ dubitationes et difficultates sunt in hac vita, ut non erremus in invio, et non in via, et pervenire possimus in civitatem habitationis; ideo specialiter indigemus dono consilii, ut agamur a spiritu bono, qui solus potest nos ducere in terram rectam. Et ideo oportet quod nomen consilii aliquam nobis certitudinem et securitatem impertiatur, sive occulta inspiratione et instinctu, quatenus spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, sive aliorum instructione manifesta, et exemplo, quorum opere mediante Deus nos illuminat. Unde in istis agibilibus distinguendum est quod aliquando incertitudo et dubitatio potest esse de ipsa re, seu objecto, an sit faciendum, et de ipsa illuminatione et instinctu an sit a Deo. Aliquando vero non est dubitatio de ipsa re secundum se, quia est bona et justa, sicut pati martyrium pro fide, de cujus bonitate constat: neque oportet consultare de hac re, sicut S. Cyprianus judici dicenti: Consule tibi, respondet: Hoc fac quod tibi præceptum est, in re tam justa nulla est consultatio. Et sic de ingrediendo religionem in homine non legitime impedito, non est dubitatio, neque consiliari oportet de ipsa re, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 189, art. 10, licet de modo ingrediendi religionem possit esse quæstio: requiri tamen potest donum consilii ad ista bona

exequenda, non propter ipsam materiam, seu objectum, de qua est consilium; sed propter ipsum subjectum quod infirmitate sua retrahitur, et indiget consilio superioris moveri atque impelli.

574. Quando est certitudo et securitas de ipsa re et objecto de quo tractatur, tunc bene potest aliquis duci a spiritu interius movente, nisi obstet aliquod impedimentum legitimum, de quo non velit Spiritus sanctus immediate per se resolutionem dare, sed mediantibus aliis, cum quibus consulatur. Et tunc donum consilii ad hoc movet ut consulamus alios, et surgamus, et ingrediamur civitatem, idest non maneamus in solitudine et singularitate nostra, sed communitatem consulamus, ut ibi dicatur nobis quid facere oportet. Donum consilii semper est ab instinctu Spiritus sancti, sed resolutio agendorum non semper traditur immediate cuilibet a Spiritu sancto, sed mediantibus aliis; si vero dubitatio incidat circa ipsam rem faciendam, an sit debitum vel bonum eam facere, et an debitæ circumstantiæ concurrant, et quando de ipsomet interiori instinctu a spiritu dubitari potest an ex Deo sit, tunc donum consilii non movet immediate ad judicandum de re illa et ad determinandum in alteram partem, et multo minus ad exequendum; id enim temerarium esset stante illa dubitatione, sed movet ad examinandum et probandum an illud ex Deo sit nec ne. Hæc enim est apostolica regula: Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus si ex Deo sint; I. Jo. IV. Et I. Thess. V: Prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete. Et hoc examen et probatio regulariter debet fieri cum communicatione et probatione aliorum, quia communiter illuminatio Dei fit dependenter ab aliis, inferiores illuminantur per superiores. Verum quidem est aliquando contra regulas ordinarias Spiritum sanctum movere aliquorum mentes ad aliquid agendum, quod humanam superat prudentiam, etiam sine aliorum consilio, sicut quod Samson se occideret, et quod aliquæ sanctæ virgines aut martyres sponte in mortem irruerent, sed hoc non potest certis regulis definiri: ipse enim Spiritus sanctus qui movet ad id faciendum, etiam dat interiorem securitatem. Et si aliquis vellet persuadere aliis se habere spiritum Dei, et ex tali spiritu loqui, non facile est credendus, sed semper omnia debent subjici examini sapientium et spiritualium virorum, nec aliter acceptandi sunt in re gravi præsertim et extraordinaria.

ARTICULUS V.

De donis pietatis, fortitudinis et timoris.

575. Donum pietatis correspondet parti appetitivæ, et religioni, et toti materiæ justitiæ, quæ est in voluntate. D. Thomas, in III, dist. 34, q. 3, art. 2, quæstiunc. 1 ad 1, distinguit pietatis donum a pietate virtute, quæ reddit cultum Deo, quæ utique est religio infusa, quæ respicit Deum ut auctorem gratiæ, et sic etiam pietas appellari potest. Et dicit Sanctus quod quamvis pietas virtus, quæ latria dicitur, ipsi Deo exhibeatur, in hoc tamen accipit aliquid humanum pro mensura, scilicet beneficium a Deo acceptum, ratione cujus est debitor ei; sed pietas quæ est donum, accipit in hoc aliquid divinum pro mensura, ut scilicet Deo honorem impendat, non quia sit ei debitus, sed quia Deus honore dignus est, per quem modum etiam ipse Deus sibi honori est. Itaque formaliter et specifice differunt pietas donum et religio infusa, seu latria, quæ est pietas virtus, ex diversa ratione debiti, quæ est id quod formalius et intimius attenditur in his virtutibus, quæ sunt ad alterum; ex diversa anim ratione debiti originatur diversa virtus ad alterum. Invenit ergo D. Thomas quomodo ex intimis discerneret donum pietatis a latria, seu religione infusa, quia religio ita respicit rationem cultus in Deo, quod fundat illum in ratione debiti mutui, scilicet respiciendo beneficia Dei erga nos, et retributionem quam debemus ei juxta modum talium beneficiorum, secundum illud Psal. CXV: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Ubi invocatio Domini, quæ est actus religionis, fit per modum retributionis et debiti ad id quod Dominus retribuit et dat nobis.

576. At vero donum pietatis, relicta hac mensura retributionis et largitionis bonorum, honorat et magnificat Dominum in ratione sui, sive bona, sive mala nobis tribuat, sed in quadam nuditate et annihilatione omnium, solum attendit ad magnitudinem divinam in se et propter se, dicens cum Propheta, Ps. XXXIII: Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in id-

ipsum, hoc est non in his quæ nobis tribuit, nec juxta mensuram beneficiorum colamus, sed propter ipsum et in idipsum. Et iterum Psal. LXXII: Ad nihilum redactus sum, et nescivi; ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. Ecce perfectum pietatis donum, et cultus Dei ultra mensuram et modum humanum, quando anima quasi nihilum et inane quoddam se reputat, et quasi omni creato beneficio exhausta, immo quasi sine intellectu stultus quoad modum, et jumentum quoddam soli oneri aptum et motioni, qua agitur a Deo, et qua semper cum ipso est, quando nec in cœlo nec in terra aliquid proprium agnoscit, quando ipsa caro deficit, et consumitur, et ipsum cor tabescit, et confringitur, et ipsa substantia tamquam nihilum ponitur ante Deum, tunc in tali vacuitate et annihilatione positus, nulla beneficiorum divinorum mensura ductus, sed recordatus justitiæ ejus solius, respicit Deum in se tamquam hæreditatem suam æternam, et ipsi immediate adhæret et ipsum colit, ac veneratur in se: iste honorat Deum dono pietatis, solum honorem et magnitudinem ejus spectans (nam adhærere Deo ponitur ut mensura ad quam attendit donum pietatis, ut docet sanctus Thomas, in III, dist. 34, qu. 3, art. 1, quæstiunc. 3), etiam nullo ejus attento beneficio, sed sive per famam, sive per infamiam, sive per gloriam, sive per ignobilitatem, ut tandem ipse Apostolus fatetur de se ad Philipp. I: Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem; hoc est, honorabitur et coletur, non attento beneficio vel damno, sed propter solam magnificentiam suam.

577. Sic ergo differt clare pietatis donum in ipso modo honorandi et colendi Deum ratione honoris qui in ipso est, et non solum ex consideratione et mensura beneficiorum quæ nobis confert. Et qui gratias agit, et venerationem et cultum reddit Deo propter beneficia nobis collata, præsertim creationis, redemptionis, operatur ex motivo religionis, quæ est virtus sive acquisita, sive infusa, ut cum dicitur Apoc. IV: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia: ecce motivum religionis hono-

rantis Deum, quia creavit nos et est auctor naturæ, quod pertinet ad religionem acquisitam. Iterum quia Redemptor est et auctor supernaturalis, redduntur gratiæ et cultus honoris a religione infusa, ut cum dicitur Apoc. v: Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes: Ecce motivum religionis infusæ, scilicet ex beneficio supernaturali redemptionis, et quia nos facti sumus regnum Dei per gratiam. At vero donum pietatis, relictis his omnibus motivis beneficiorum Dei, gratias agit Deo, et colit ipsum solum, quia in se magnus et pius est, ut cum dicitur Apoc. xi: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Et iterum, cap. xv: Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum, quia solus pius es? Et Ecclesia canit in hymno Angelico: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Ubi iste cultus et gratiarum actio non redditur propter hæc aut illa beneficia nobis collata, nec magnificatur Deus propter ea quæ nobis contulit, sed quia in se pius est, propter gloriam suam, quam habet in se, quia accepit virtutem et regnavit.

578. Materia primaria et principalis doni pietatis est in ordine ad cultum Dei, respiciendo ipsum ut patrem. Extenditur tamen secundario et accessorie (sub eadem ratione formali specifica) ad omnem communicationem et debitum erga alterum. Ita D. Thomas, in III, dist. 34, q. 3, art. 1, quæstiunc. 2, ubi inquit: Pietas donum uno et eodem modo dirigit in communicationibus omnibus quæ ad alterum sunt, aliam tamen mensuram accipiens quam virtutes: quæ mensura simplex est et una, et ideo pietas unus habitus est spiritualis, et ex comparatione ad hanc mensuram omnis actus ejus specificatur. Itaque pietas inter dona partis appetitivæ correspondet justitiæ virtuti cardinali in omni sua materia et latitudine, sub altiori ratione formali complectens omnia ad quæ se extendit justitia tam erga Deum quam erga homines. Advertendum est quod inter virtutes quæ versantur ad alterum, et sunt partes potentiales justitiæ, illa quæ versatur erga Deum, et reddit ei cultum debitum, vocatur religio, seu latria; quæ vero reddit debitum cultum parentibus vocatur pietas; quæ vero superioribus

et principibus, vocatur observantia. Donum autem Spiritus sancti, quod altiori modo quam virtutes versatur circa istas materias principaliter versatur erga Deum reddendo illi debitum cultum, sed non respicit ipsum ut dominum et creatorem, sed ut patrem, juxta illud Rom. VIII: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Et hoc ideo, quia in ordine gratiæ Deus habet se erga nos sicut pater; voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, ut dicitur Jac. I. Et ideo oportet in hoc ordine et genere gratiæ nos moveri erga ipsum ut erga Patrem, cum simus filii adoptivi per gratiam. Et hæc est ratio quare donum, quod in hac parte appetitiva respicit debitum ad alterum, seu erga Deum, non dicitur donum religionis, seu latriæ, sed donum pietatis, quia cum pietas inter nos sit virtus quæ reddit honorem parentibus, illa quæ in genere supernaturali respicit Deum ut patrem (quia filii Dei sumus) retinet nomen pietatis, quia erga Patrem cœlestem versatur.

579. Donum pietatis se extendit ad omnes alias creaturas, quibus in gratia communicat aut communicare potest, quia pietas respicit in parentibus ipsam rationem originis, ratione cujus venerationem exhibet patri, ut habenti auctoritatem principii. Unde ubicumque communicatur et invenitur hæc ratio originativa et participatio ejus, pertinet ad eamdem virtutem pietatis totum id colere, sicut per pietatem non solum observamus parentes, sed alios qui communicant in eadem stirpe sanguinis, quæ est ratio originis et generationis in his qui ex sanguinibus, et ex voluntate viri, et ex voluntate carnis nati sunt. Eodem modo in his qui ex Deo nati sunt, et ex spiritu regenerati, oportet virtutem illam quæ respicit principium talis regenerationis, scilicet Deum ut patrem etiam respicere, secundario omnes qui in tali generatione spirituali communicant et se habent ut fratres in communicatione gratiæ.

580. Donum fortitudinis correspondet parti appetitivæ et virtuti fortitudinis, quæ est in irascibili. Donum tamen fortitudinis ex parte formalis rationis differt a fortitudine quæ est virtus, quatenus ad vincenda pericula et difficultates non innititur solis viribus humanis, aut humano modo mensuratis, sed virtuti et potentiæ divinæ, quasi indutus ab ipsa virtute ex alto. Ita D. Thomas, 2 2, q. 139, art. 1. Expressius in III,

dist. 34, q. 3, art. 1: Fortitudo enim regulata modo humano, et ut dictant regulæ prudentiæ, facit fortitudinem virtutem; regulata vero instinctu et regula divina, et juxta vires divinas nobis assistentes, est fortitudo donum. Unde dicitur Ps. XLIII: Non enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvabit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui. Gladius enim et brachium humanum fortitudinem indicat, quæ utique virtus est. Quando autem operatur quis per ipsam dexteram, et brachium Dei, non quidem secundum regulas ordinarias, sed secundum illuminationem vultus Dei, et instinctum spiritus, non prudentialiter metiens vires proprias, sed operationes juxta vires et brachium Dei, non attendendo ad infirmitatem propriam, talis fortitudo est plusquam virtus, quia ultra omnes regulas prudentiales, et ultra fortitudinem humanam est, quasi fortitudo divina qua induimur. Et David, Ps. XVII: Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum. Et iterum: In Deo meo transgrediar murum; hoc est, ut interpretatur D. Thomas citato loco III. Sent., omne quod possit humanæ infirmitati obviare: hoc enim nomine muri intelligitur. Et sic fortitudo donum perficit et adjuvat fortitudinem virtutem in his in quibus ex parte subjecti operantis deficere potest.

581. Et quamvis fortitudo virtus versetur circa pericula mortis, et si sit fortitudo infusa versetur circa pericula mortis ex fine et auxilio supernaturali, neque ad hoc præcise requiritur donum fortitudinis distinctum a virtute: sed (*tamen*) requiritur hoc donum ad tendendum in pericula mortis, et in alia terribilia et difficilia sic, idest ultra modum virium humanarum et infirmitatis ejus. Nam licet virtus fortitudinis tendat ad ea quæ difficillima sunt ex objecto et genere suo, tamen cum quadam infirmitate et trepidatione ex parte operantis, et virium propriarum; quam trepidationem, et contingentiam, et infirmitatem ex parte operantis in ordine ad illud opus tollit et sublevat donum fortitudinis, utens divina virtute tamquam sua, et operans ex motione et instinctu Spiritus sancti, ut solidante infirmitatem nostram, et induente nos virtute ex alto, ut quasi petra solida operemur, juxta quod dicitur Psal. XXVI: In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Et hæc est doctrina D. Thomæ, loco citato, ex III. Sent., ubi inquit quod

virtus fortitudinis respicit quidem opus difficillimum ex genere suo, non tamen secundum comparationem ad operantem, quia non excedunt vires ejus : sed fortitudo donum etiam est circa ea quæ excedunt humanam facultatem. Unde Christus Dominus, qui in passione sua primo trepidationem monstravit ad ostensionem infirmæ naturæ, et quasi humano modo procedens ex virtute fortitudinis, quæ trepidationes illius compatitur, statim rediit ex dono fortitudinis in suam soliditatem, et, ut inquit Leo papa, serm. 8 De passione, depulsa trepidatione infirmitatis, et confirmata magnanimitate virtutis, rediit in sententiam suæ dispositionis æternæ.

582. D. Thomas in III, dist. 34, q. 2, art. 1, quæstiunc. 2 ad 1, expresse dicit quod licet donum fortitudinis principaliter sit circa illa opera supererogationis, nihilominus etiam est circa alias difficultates, circa quas est etiam virtus communiter, sed non eodem modo sicut dictum est. Quod autem non solum versetur circa præcipuam materiam virtutis fortitudinis, quæ sunt pericula mortis, sed etiam circa alias materias virtutum illi adjunctarum, ut magnanimitatis, magnificentiæ, patientiæ, perseverantiæ, docet D. Thomas loco citato in corpore, dum dicit quod unum donum fortitudinis, se extendit ad omnes difficultates quæ in humanis rebus possunt accidere, etiam supra facultatem humanam, sicut Apostolus dicebat: Omnia possum in eo qui me confortat. Et ideo oportet actum fortitudinis doni accipere circa omnia difficilia proportionabiliter actui fortitudinis, circa quædam difficilia. Et ratio est certa, quia motivum et ratio formalis qua innititur donum, est universalior et altior omni motivo virtutum, quæ versantur circa difficile: ergo debet complecti plures materias, et ad plura se extendere, quam quælibet ex illis virtutibus. Quia quanto motivum est universalius et efficacius, tanto magis potest se extendere, pluraque complecti: ergo extensior materia debet correspondere altiori et universaliori motivo. Et cum motivum doni fortitudinis innitatur viribus divinis et virtuti Spiritus moventis, quæ ad omnia se potest extendere, omnium virtutum fortitudinis materias complectetur. Quia omnia, inquit, possum in eo qui me confortat.

583. Donum timoris correspondet parti appetitivæ et virtuti temperantiæ, quatenus ex timore Dei retrahitur homo a con-

cupiscentiis carnalibus, juxta illud Psal. CXVIII: Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Licet etiam donum timoris correspondeat virtuti spei, quatenus primo et per se intendit reverentiam Dei ad vitandam ejus offensam et reprimendam præsumptionem, quæ opponitur spei; unde dicit sanctus Thomas, 2 2, qu. 141, art. 1 ad 3, quod donum timoris principaliter quidem respicit Deum, cujus offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei, secundario autem potest respicere quæcumque aliquis refugit ad vitandam Dei offensam. Maxime autem homo indiget timore divino ad fugiendum ea quæ maxime alliciunt, circa quæ est temperantia, et ideo temperantiæ etiam correspondet donum timoris.

584. Potest donum timoris respicere Deum quem timet, ut objectum inflictivum mali, vel ipsum malum quod fugit, vel passiones quas timore isto cohibet, tam in irascibili quam in concupiscibili. Donum ergo timoris ut respicit personam, seu Deum, quem timet, habet actum reverentiæ; ut respicit malum imminens, habet actum fugæ; ut respicit passiones irascibilis, idest magnificationem et extollentiam sui, quam reprimit, habet pro actu paupertatem spiritus; ut respicit passiones concupiscibilis refrænando delectationes, habet pro actu beatitudinem luctus, quam etiam attribuit dono timoris D. Thomas, 2 2, q. 19, art. 12 ad 2. Habet ergo timor amplissimam materiam inter dona Spiritus sancti; et ita dicit D. Thomas, 2 2, q. 19, art. 1 ad 2, quod timor Dei comparatur ad totam vitam humanam Dei sapientia regulatam, sicut radix ad arborem, juxta illud Eccli. I: Radix sapientiæ est timere Deum, et ideo non solum correspondet timor uni virtuti, v. gr. temperantiæ aut humilitati, sed etiam spei. Principalis actus timoris in quantum donum non est fuga et respectus ad malum, sed actus reverentialis erga bonum, idest erga eminentiam divinam, quæ est causa inflictiva mali. Et D. Thomas, 3 p., qu. 7, art. 6 ad 1, ubi inquit quod habitus virtutum et donorum proprie et per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti; et ideo de ratione doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cujus potestate aliquod malum infligitur. Et ratio est certa, quia in tantum timor elevatur ad rationem doni, in quantum reddit hominem bene mobilem a Spiritu sancto: hoc enim est de ratione doni in com-

muni; redditur autem aliquid bene mobile ab aliquo per respectum mobilis ad moventem: ergo ille actus quo timor respicit eminentiam divinam, est principalis actus ejus ut elevetur ad rationem doni, quia sic respicit suum movens, ut ab eo fit bene mobilis. Actus iste principalis doni timoris non respicit solam rationem boni in divina eminentia, sed etiam in obliquo respicit rationem mali, idest illam eminentiam ut potentem infligere malum. Ita D. Thomas, 1 2, qu. 42, art. 1, ubi dicit quod Deus timetur ab homine in quantum potest infligere pœnam. Et, 2 2, qu. 19, art. 1, inquit quod Deus potest esse objectum timoris in quantum ab ipso vel per ordinem ad ipsum potest nobis aliquod malum imminere. Actus fugæ respectu mali etiam est actus doni timoris secundarius, licet non semper, neque in omni statu illi conveniat. Et D. Thomas, 2 2, q. 19, attribuendo timori filiali fugam mali, idest offensæ divinæ; et specialiter videri potest in art. 11, ubi explicat hunc actum fugæ convenire dono timoris, et 1 2, q. 67, art. 4 ad 2, distinguit duos actus in timore filiali, scilicet revereri Deum, et quantum ad hoc manet in patria; et timere separationem ab illo, et quantum ad hoc in patria non manet. Et ratio est quia timor filialis sic reveretur Patrem, quod evitet offensam et separationem ab illo, quæ sine dubio possibilis est et imminens in hac vita, sicut timor servilis fugit pœnam: ergo pertinet ad timorem filialem respicere offensam, ut malum fugiendum.

585. Actus paupertatis spiritus et actus beatitudinis luctus sunt secundarii in dono timoris, pertinentque ad voluntatem licet effectus suos habeant in appetitu irascibili et concupiscibili, ut a voluntate moventur. Est D. Thomæ, 2 2, qu. 19, art. 12 in corpore, et ad 2. Et quamvis donum timoris licet habeat tam amplam et diffusam extensionem, sicut explicavimus, est tamen infimum inter dona Spiritus sancti, ut ex Augustino docet D. Thomas, 1 2, q. 68, art. 7 ad 1; et 2 2, q. 121, art. 2, quia timor est quasi primordium quoddam inter dona Spiritus sancti. Quia initium sapientiæ timor Domini, et de se parat viam ad timorem, in quo est vinculum perfectionis; quare timor habet se quasi dispositio in ratione motionis Spiritus sancti, quatenus disponit cor purgando et evellendo quæcumque impedimenta ad conjunctionem cum Spiritu sancto, et in ratione

tollendi impedimenta habet quamdam universalitatem super omnem materiam actuum humanorum, non quasi perficiendo, sed quasi disponendo, et vocatur hic actus paupertas spiritus, quia evacuat et quasi depauperat spiritum ab omni eo quod putabatur magnificum, sive in se ipso, sive in exterioribus bonis, ut inquit D. Thomas, 2 2, qu. 19. art. 12, eo quod est quasi spiritus et impulsus quidam descendens a consideratione summæ majestatis, ut terribilis, in cujus comparatione omnia sunt quasi nihil, juxta illud Isaiæ XL: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Unde ex tali impulsu et instinctu Spiritus sancti omne quod in oculis hominum videtur magnum, sive in se, sive extra se, manet quasi nihil, et sic dicitur depauperari spiritus, ita ut non apponat ultra homo magnificare se super terram, Ps. x.

586. Similiter pertinet ad timorem alienare voluntatem ab omni delectatione creaturæ, tum ex magnitudine divinæ Majestatis, tum ex parvitate omnis creaturæ quæ delectationem causare potest. Ex magnitudine quidem divinæ Majestatis, quatenus specialiter est destructiva omnis celsitudinis et pulchritudinis creatæ, unde delectatio nociva causari potest, juxta illud Isaiæ II: Dies Domini super omnem excelsum et superbum, et super omnes cedros Libani sublimes et erectos, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est; et Thren. II: Firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum est visu. Omnem ergo externam pulchritudinem, ad quam pertinet concupiscentia oculorum, divina terribilitas dissolvit. Ex parvitate autem creaturæ consideratur tamquam insipidum omne quod perit et transit, quia ut dicitur Sap. III, est tamquam lanugo quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus qui a vento diffusus est. Ex quo fit quod talis consideratio creaturarum in ordine ad magnitudinem divinam, potius provocat ad luctum quam ad lætitiam; præsertim cum in fine tantam relinquat amaritudinem, juxta illud Job XX: Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua; panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ. Quæ amaritudo maxime cognoscitur in ipso puncto separationis animæ juxta illud quod ibidem dicitur: Eductus et egrediens de va-

gina sua, idest anima a corpore, et fulgurans in amaritudine sua vadent et venient super horribiles: omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devoravit eum ignis, qui non succenditur. Hæc ergo est ratio quare iste actus qui ita respicit delectabilia sensus vocetur beatitudo luctus, quia considerat creaturas ut avertentes a Deo, et causantes amaritudinem quæ est digna luctu, ideoque talis actus correspondet duplici dono, scilicet dono scientiæ, tamquam dirigenti, ut dicit D. Thomas, 2 2, qu. 9, art. 4, et dono timoris, tamquam exequenti.

DISPUTATIO III.

DE CONTEMPLATIONE SUPERNATURALI ET INFUSA.

ARTICULUS I.

Quid sit contemplatio supernaturalis et infusa.

587. D. Thomas, 2 2, qu. 180, art. 3, definit contemplationem infusam hac ratione: Simplex intuitus divinæ veritatis a principio supernaturali procedens. Dicitur simplex intuitus, quia contemplatio generaliter sumpta ex propria sua ratione est simplex veritatis intuitus: ex hoc etiam differt a meditatione, quæ veritatis est inquisitio; unde postquam meditatio sollicita veritatem inquisitione repererit, contemplatio tranquilla succedens eam repertam ac præsentem intuetur; et quia propria ratio generis debet speciebus convenire, propterea contemplatio supernaturalis, quæ vera est species contemplationis, dicitur simplex veritatis intuitus. Sed quia contemplatio de qua disserimus est fidelium catholicorum, tendens ad finem æternæ beatitudinis, non autem gentilium philosophorum ad scientiarum naturalium assecutionem tendens, ideo veritas quæ pro contemplationis objecto hic assignatur, dicitur divina: quæ divina veritas est nostræ beatitudinis objectum. Et tandem quia veritas

divina potest naturaliter vel etiam supernaturaliter attingi, tam remote quam proxime; propterea dicitur in hac definitione quod simplex ille divinæ veritatis intuitus esse debet a principio supernaturali procedens.

588. De ista contemplatione loquitur divus Thomas, in III, dist. 34, qu. 1, art. 1, in corpore, sic dicens: Si autem quæ hominis sunt, supra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana, sed quodammodo divina. Idem D. Thomas, q. 18 De veritate, art. 1 ad 1, loquens de medio quo indigebat homo in statu innocentiæ ad videndum, dicit: Indigebat autem medio quod est quasi species rei visæ; quia per aliquod spirituale lumen, menti hominis influxum divinitus, quod erat quasi similitudo expressa lucis increatæ, Deum videbat. Et idem Sanctus, De veritate, q. 22, art. 4, in corpore, dicit: Sicuti enim ex ipsa natura, quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum, ita ex aliquo superaddito, sicuti est gratia vel virtus, inclinatur ulterius ad volendum aliquid aliud ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione. D. Thomas, quæst. unica de virtutibus, art. 10, in corpore, dicit: Necessarium est esse aliquas hominis perfectiones, quibus ordinatur ad finem supernaturalem, quæ excedunt facultatem principiorum naturalium hominis; hoc autem esse non potest nisi supra principia naturalia aliqua supernaturalia operationum principia homini infundantur a Deo. In contemplatione supernaturali Deus animam gratia circumdat, intellectum lumine supernaturali illuminat, voluntatem spe erigit et charitate inflammat, partem irascibilem et concupiscibilem decorat multiplici virtute, sensus et carnem modestiæ et puritatis splendore cingit, et nihil in ea minus ornatum minusve decorum esse sinit. Non quælibet inspectio Dei vel divinorum est contemplatio Sanctorum, quam modo tractamus: sed ea quæ ad Dei honorem et gloriam ordinatur, et voluntatem ad amorem Dei et alios affectus sanctos excitare sentitur.

589. Sed ut contemplatio supernaturalis dicatur, non sufficit quod per viam fidei supernaturalem procedat: loquimur enim de contemplatione supernaturali intrinsece, et quantum ad substantiam actus, non autem extrinsece tantum et ex parte objecti, nam alias quæcumque sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis, aut Eucharistiæ contemplatio, vel etiam simplex

consideratio dicenda foret supernaturalis : quod tamen nullus concedit. Sed requiritur quod principium talis actus elicitivum, sive proxime ac immediate concurrentis ad contemplationem, ac simul medium quo concurrit et elicit, sint ordinis supernaturalis: cum enim principium elicitivum et concurrens ad actum est tantum mediatum et remotum, licet alias sit supernaturalis ordinis, a principio tamen naturali proximo et immediato limitatur, modificatur et ad ordinem naturalem actus inde procedens deprimitur, ut multiplici possit instantia confirmari, puta in assensu conclusionis theologiæ, qui per habitum theologicum immediate procedens, et mediate per habitum fidei assentientis principiis, non est ab ipso supernaturalis, sed est ab illo naturalis. Principium igitur contemplationis supernaturalis elicitivum est vel aliquod donum Spiritus sancti, videlicet donum intellectus, aut sapientiæ, aut scientiæ ; vel aliquod lumen superius, vel etiam aliqua scientia infusa. Quando principium supernaturale contemplationis elicitivum est habituale, simul cum illo ad contemplationem concurrit motio specialis Spiritus sancti; quando vero tale principium est aliquid actuale simul et semel elevat intellectum ad actum contemplationis supernaturalis, ut sit potens elicere, et applicat ad eliciendum.

590. D. Thomas, q. 2 De virtutibus, art. 11 ad 6, dicit: Sunt enim quidam qui libenter vel sine magna molestia separantur taliter a vacatione divinæ contemplationis, ut terrenis negotiis implicentur ; et in his vel nihil vel modicum charitatis apparet. Quidam vero delectantur in vacatione divinæ contemplationis, quod eam deserere volunt, etiam ut divinis obsequiis mancipentur ad salutem proximorum. Quidam vero ad tantum culmen charitatis ascendunt, quod etiam divinam contemplationem, licet in ea maxime delectentur, prætermittunt, ut Deo serviant in salute proximorum, et hæc perfectio in Paulo apparet, qui dicebat, Rom. IX : Optabam ego ipse anathema, idest separatus, esse a Christo pro fratribus meis. Et ad Philipp. I: Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hæc perfectio est propria prælatorum, et prædicatorum, et quorumcumque aliorum qui procurandæ saluti aliorum insistunt, unde significantur per angelos in scala Jacob, ascendentes quidem per contemplationem: de-

scendentes vero per sollicitudinem, quam de salute proximorum gerunt. Hæc ille. Ex quo apparet quod aliquando licitum est deserere contemplationem.

591. D. Thomas, super illa verba Isaiæ, cap. 22: Qui habitat in tabernaculo, dicit sic: Est multiplex tabernaculum. Primum carnalis concupiscentiæ, quod est porcorum; Hebr. ult.: Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Secundum est temporalis et naturalis vitæ, quod est hominis; II. Pet. I: Certus sum enim quod velox est depositio tabernaculi mei. Tertium est militantis Ecclesiæ, quod est pugnantium; Isaiæ III: Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu. Quartum est contemplativæ sapientiæ, quod est quiescentium; Psal. CXXXII: Introibimus in tabernaculum ejus. Et in isto tabernaculo debet verificari quod dicit D. Thomas super cap. II Isaiæ, quod homo in speculo mentis debet contemplari quinque. Primo, peccata quæ commisit, ut doleat; Jerem. XXXI: Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. Secundo, supplicia quæ meruit, ut timeat; Mich. VII: Dies speculationis, visitatio tua venit. Tertio, beneficia quæ Deus contulit, ut gratias agat; Isa. LII: Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. Quarto, mandata quæ præcipit, ut impleat; Oseæ X: Speculator Ephraim. Quinto, præmia quæ promisit, ut comprehendat; II. Petri I: Speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo patre gloriam et honorem... Hæc ille. Ex parte objecti ad contemplationem supernaturalem prærequiruntur species, quas tunc Deus excitat, vel simul ordinat, vel tunc aliquas de novo infundit, vel nobiliori modo supplet, ut dicemus ex D. Thoma multis in locis.

592. D. Gregorius, lib. XXIV Mor., hanc lucem contemplationis supernaturalis nonnisi perfecte purgatis ac mundis mentibus affirmat communicari; ait enim: Menti nostræ de considerationis cæcitate suæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum ærugo concremetur, et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperiatur, ut prius purgemus lugendo quod fecimus, et postmodum manifestius contemplemur per gaudium quod quæramus: prius a mentis acie exurente tristitia interposita malorum caligo detergitur, et tunc resplen-

dente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Et D. Bernardus loquens de illa, c. 1 De amore Dei, ait: Hæc est munditia mea, hæc fiducia, hæc justitia, contemplatio tuæ bonitatis, Domine. Et loquitur de contemplatione perfecta et christiana comprehendente charitatem, in qua nostra munditia, et fiducia, et justitia consistit. Et idem Sanctus, serm. de Circumcisione, multis propositis in quæ vir perfectionis avidus debet incumbere, subdit: Jamvero cum in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi devotionis lumen, diem serenissimum et sabbatum mentis, in quo tamen tamquam armatus miles in laboribus universis vivas absque labore, dilatato enim corde curres viam mandatorum Dei: ut quod prius cuma maritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas et delectatione.

ARTICULUS II.

De quatuor causis contemplationis infusæ, et de proprietatibus et effectibus illius.

593. D. Thomas, 2 2, q. 27, a. 3, in quo quærit utrum Deus sit propter se ipsum ex charitate diligendus, in corpore respondet quod ly propter importat habitudinem alicujus causæ. Est autem quadruplex genus causæ, scilicet finalis, formalis, efficiens et materialis, ad quam reducitur materialis dispositio. Et secundum hæc quatuor genera causarum dicitur aliquid propter alterum diligendum. Secundum genus causæ finalis, sicut diligimus medicinam propter sanitatem. Secundum genus causæ formalis, sicut diligimus hominem propter virtutem. Secundum causam efficientem, sicut diligimus aliquos in quantum sunt filii talis patris. Secundum dispositionem, quæ reducitur ad genus causæ materialis, dicimur aliquid diligere propter id quod nos disposuit ad ejus dilectionem, puta propter aliqua beneficia suscepta. — Sic similiter hic quærimus quatuor causas contemplationis infusæ. Causa materialis est persona sive subjectum, quod est ipsa natura intellectualis, sive sit divina, sive angelica, sive humana. Subjectum quo est potentia qua contemplatur. — De causa formali contemplationis infusæ, sive de propria ejus ratione constitutiva jam dictum est articulo antecedenti ex do-

ctrina D. Thomæ, et ad eam requiritur lux supernaturalis ex parte potentiæ contemplativæ et manifestatio ex parte objecti. — Causa efficiens contemplationis infusæ est Spiritus sanctus cum suis donis, et intellectus creatus talibus donis illustratus. Ad omnes actiones supernaturales cujuscumque creaturæ concurrunt Deus et ipsa creatura: Deus ut causa proxima, per virtutem supernaturalem creaturæ communicatam, quæ est totalis virtus agendi proxima, quia creatura solum habet virtutem radicalem et virtualem. — Causa finalis contemplationis infusæ est finis ad quem ordinatur, vel proxime ac immediate, sive ab intrinseco, vel remote ac mediate, sive ab extrinseco. Finis proximus, et immediatus, et intrinsecus contemplationis infusæ est ejus objectum, scilicet Deus ipse cum suis effectibus, supernaturali lumine et modo cognitus. Finis remotus mediatus et extrinsecus contemplationis infusæ est intima, arcana et felicissima animæ contemplativæ cum Deo per amorem fruitivum unio.

594. Proprietates contemplationis infusæ assignat D. Gregorius, hom. XIV in Ezechielem. Prima, quod sit amabilis valde dulcedo, ut dicit D. Thomas, 2 2, qu. 180, art. 7, in argumento Sed contra, in quo adducit istam auctoritatem D. Gregorii: Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est. Etiam adducit illud Sap. VIII: Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus, sed lætitiam et gaudium. In corpore dicit Sanctus quod aliqua contemplatio potest esse delectabilis dupliciter: uno modo ratione ipsius operationis, quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale, ex quo contingit quod omnes homines natura scire desiderant, et per consequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiæ et scientiæ: ex quo accidit quod sine difficultate aliquis contemplatur. — Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte objecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur. Sicut etiam accidit in visione corporali, quæ delectabilis redditur non solum ex eo quod ipsum videre est delectabile, sed etiam ex eo quod videt quis personam amatam. Quia ergo vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas,

inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius divini amoris; unde in Psal. XXXIII dicitur: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Hæc ille.

595. D. Thomas, Opusc. LXI, dicit: Excita nunc, anima mea, totum intellectum tuum, et cogita quantum potes quale et quantum sit illud bonum; cognosce et cogita quod ipse præcellit omne concupiscibile, et delectat præ omni delectabili; Deus est voluptas incommutabilis et excellenter delectans; Psal. XL: Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Igitur si voluptas est bonum et appetibile, et summa voluptas est summe bona: ergo est summe appetibilis et delectabilis. Et in eodem Opusc., cap. 4, dicit idem Sanctus: Delectatio, secundum Philosophum, est conjunctio convenientis cum convenienti; Deus igitur sicut præcellit omne concupiscibile, sic delectat præ omni delectabili: et hoc tripliciter, quia generalius, intimius et durabilius. Alia enim delectant particulariter, ut sapida solum gustum, non autem auditum; sonora auditum, non autem visum, et sic de singulis: Deus autem generaliter, quia generale bonum ipse est, et omnis boni particularis causa. — Alia delectant superficialiter et quasi exterius, Deus autem intime et ideo profunde; solus enim Deus substantiam animæ substantialiter penetrat; et ideo medullitus delectat. Augustinus: Cum inhæsero tibi ex omni mente mea, nunquam erit labor et dolor, sed tota erit vita mea, tota plena te. — Item alia delectant transitorie et terminabiliter, Deus autem æternaliter.

596. Secunda proprietas est quod animam super semetipsam rapiat. Quia contemplatio supernaturalis, cum ex donis Spiritus sancti procedat, mentem ipsam supra modum contemplandi connaturalem sibi elevat, ita ut jam non propria operetur industria, sed agatur spiritu Dei sursum ad cœlestia contemplanda, quod est supra se ipsam rapi. Et aliquando tali spiritu sic agitur, quod non solum supra se ipsam, sed etiam extra se ipsam rapitur, ita ut a propriis sensibus alienata, quodammodo ad patriam cœlestem transferatur. D. Thomas, 2 2, q. 175, art. 1, loquendo de raptu, dicit quod raptus violentiam quamdam importat. Violentum autem dicitur cujus principium est extra, nil conferente eo quod vim patitur, ut quando aliquis Spiritu divino elevatur ad aliqua supernatu-

ralia cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezech. VIII: Spiritus elevavit me inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei. D. Thomas explicans illud D. Pauli II. Cor. XII: Raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum, definit raptum hoc modo: Raptus est ab eo quod est secundum naturam in id quod est supra naturam vi superioris naturæ elevatio. In qua definitione tangitur genus, dum dicitur elevatio; causa efficiens, quia vi superioris naturæ; et duo termini motus, scilicet a quo, et ad quem, cum dicitur: ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam.

597. Tertia proprietas est quod cœlestia mentibus sic elevatis aperiat; cum enim hujusmodi mentes depuratæ supra se ipsas raptæ terrena despiciant, et velut illa fastidientes, nolint inferius immorari, meram illorum vanitatem expertæ, et ad cœlestia jugiter aspirent contemplanda, ideo benignus Dominus eis cœlestia misericorditer aperit, et divina manifestat. Et ad confirmandam istam proprietatem valet illud quod dicit divus Thomas, Opusc. LI, quod ad amorem concupiscentiæ sequuntur quinque, quibus Deus manifestat cœlestia: motus, dolor, timor, consolatio et delectatio. — Motus ad cœlestia, motus adimpletionis præceptorum affirmativorum, tamquam eorum quæ sunt ad habendum necessaria, consiliorum tamquam eorum quæ sunt utilia, prohibitionum tamquam motus ab his quæ sunt impedientia; motus ad amandum proximum, qui motus movet alios: pedes ad eum visitandum, manum ad eum juvandum, oculos et aures ad similia, et sic motus semper est ad cœlestia aperienda. — Secundus est dolor; nam quo magis moveor ad habendum, eo magis affligor de dilatione, secundum illud: Spes quæ differtur affligit animam; quo magis appeto conjunctionem, eo magis doleo et affligor de distantia; Thren. I: Idcirco plorabo, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam. — Tertio sequitur timor; nam quo magis concupiscor habere, eo magis timeo perdere; quo magis conjungi, eo magis separari. Hic timor, nobilissimus inter omnes timores viæ, et utilissimus in patria, tamen secundum hunc actum evacuandus, solo ibi reverentiæ actu contentus. — Quarto sequitur consolatio ex appropinquatione, sicut exhilarescit esuriens viso, vel odorato cibo, utpote adhuc distante, sed tamen vicino, hinc intenditur motus; sicut velocius

movetur lapis quo vicinius est centro. Bernardus: Qui amat ardentius, currit velocius, consolatur de vicinitate ad cœlestia. — Quintus, delectatio de adeptione rerum cœlestium. Ecce quomodo per motum, dolorem, timorem, consolationem et delectationem Deus aperit nobis cœlestia.

598. Quarta proprietas est quod spiritualia mentis oculis patefiant; cum enim anima ad statum contemplationis supernaturalis elevata, sit omnino a materialibus purificata et totaliter in suis actibus spiritualis effecta, conveniens est ut Dominus, juxta pium ejus desiderium, eam in spiritualibus tantum occupet; unde spiritualia puris ejus oculis patefaciens, eam proportionato nutrit et fovet alimento, Manna scilicet illo cœlesti, et pane beatorum spirituum. Notat D. Thomas, 3 p., quæst. 73, art. 3 ad 2, differentiam inter alimentum corporale et spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus qui nutritur: et ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale convertit hominem in se ipsum, secundum illud quod Augustinus dicit in libro Confessionum, quod quasi audivit vocem Christi dicentis sibi: Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et, ut dicit D. Thomas, 3 p., qu. 73, art. 6, quod manna fuit figura sacramenti Eucharistiæ quantum ad effectum, quod habebat omnis saporis suavitatem, ut dicitur Sap. VI; sic gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem.

599. Effectus contemplationis supernaturalis plurimi sunt, et præcipui, quos longum esset hic afferre, imo superfluum, cum quæstione quarta de unione specialiter ac singillatim de illis pro diversitate contemplationis opportunius agetur. In intellectu habet contemplatio aliquos effectus inseparabiles, ut novam mentis illustrationem de rebus divinis et cœlestibus, admirationem et suspicionem. D. Thomas super cap. LX Isaiæ dicit quod Ecclesia illuminatur sextuplici lumine: Sacræ Scripturæ, spiritualis intelligentiæ, gratiæ, gloriæ, lætitiæ et Dei; ita similiter dicendum est de viris contemplativis decoratis lumine supernaturali et infuso, quod illuminantur proportionabiliter eisdem luminibus quibus illuminatur Ecclesia. Et, sicut dicit D. Thomas, Opusc. LX, ad illustrationem internam mentis tria disponunt, scilicet esse in abstractione transitoriæ dulce-

dinis, in approximatione ad fontem luminis, et in interiori dilatatione mentis, quæ fit per conatum hominis. D. Thomas, loquens de admiratione in II, dist. 18, qu. 1, art. 3, dicit quod admiratio duo requirit, scilicet quod causa sit occulta, et quod aliquid in re videatur repugnans: sed tamen idem Sanctus, super cap. III Joan., lect. 2, loquendo de admiratione devotionis, dicit quod talis est secundum quod aliquis magnalia Dei considerans, cognoscit ea sibi incomprehensibilia esse, unde relinquitur admirationi locus, secundum illud Psal. XCII: Mirabilis in altis Dominus. Et Psal. CXVIII: Mirabilia testimonia tua. Ad hanc homines sunt inducendi, non prohibendi. Et hanc admirationem vocat Bernardus contemplationem perfectam.

600. In voluntate habet contemplatio supernaturalis et infusa delectationem tamquam effectum. Et ista delectatio est de Deo et de rebus divinis. D. Thomas, 1 2, q. 13, art. 1, dicit: Delectatio causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto. Et in eadem 1 2, q. 33, art. 4, quod delectatio dupliciter operationem perficit: uno modo per modum finis, non quidem secundum quod finis dicitur id propter quod aliquid est, sed secundum quod omne bonum completive superveniens potest dici finis: et secundum hoc delectatio perficit operationem, sicut quidam superveniens finis; in quantum scilicet super hoc bonum, quod est operatio, supervenit aliud bonum quod est delectatio, quæ importat quietationem appetitus in bono præsupposito. Secundo modo ex parte causæ agentis, non quidem directe, quia Philosophus dicit in X. Ethic., quod perficit operationem delectatio: non sicut medicus sanum, sed sicut sanitas; indirecte autem, in quantum scilicet agens, quia delectatur in sua actione, vehementius attendit ad ipsam, et diligentius eam operatur. Omnis ista delectatio reperitur in contemplatione supernaturali et infusa respectu Dei et rerum divinarum. Contemplatio cibus animæ est valde dulcior et favo suavior. Cantic. V: Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. Potus est vino purissimo efficacior, quod gustatum mentem inebriat et sapientissima quadam insania a rebus omnibus terrenis alienat.

601. Habet etiam pro effectu inæstimabilem quamdam jucunditatem, quæ jubilatio dicitur. D. Thomas exponens illud Psal. XXXII: Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in

vociferatione, idest in jubilo. Est autem jubilus lætitia ineffabilis quæ verbis exprimi non potest, sed voce datur intelligi gaudiorum latitudo immensa. Illa autem quæ non possunt exprimi sunt bona gloriæ; I. Cor. II: Oculus non vidit, nec auris audivit, etc. Et ideo dicit: Bene psallite in jubilatione, quia cantu exprimi non potest. D. Thomas in expositione Ps. XLVI, in illa verba: Jubilate Deo in voce exultationis, dicit sic: In voce exteriori demonstrante interiorem affectum. Glossa: Jubilus est ineffabile gaudium quod nec taceri potest, sed non potest exprimi, quia excedit comprehensionem. Et talis est bonitas Dei, quæ non potest exprimi: et si exprimatur, imperfecte tamen exprimitur. Et ideo dicebat Jerem. I: A, a, a, ecce nescio loqui. Et hunc jubilum signat Ecclesia quando in eadem dictione multiplicat notas.

602. D. Thomas explicans illud Apostoli ad Galat. V: Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, etc., dicit sic, lect. 6: Fructus Spiritus qui consurgit in anima ex seminatione spiritualis gratiæ est charitas, etc. Et prius de istis fructibus loquitur S. Scriptura, Apoc. XXII: Ex utraque parte lignum vitæ afferens fructus duodecim. Qui quidem sic distinguuntur, quia fructus aut perficiunt interius aut exterius: interius autem homo perficitur et dirigitur et circa bona et circa mala; II. Cor. VI: Per arma justitiæ a dextris et a sinistris. Circa bonum perficitur per amorem et charitatem; ad Rom. V: Charitas Dei diffusa in cordibus nostris. Ultimus autem finis quo homo perficitur interius, est gaudium quod procedit ex præsentia rei amatæ; ad Philipp. IV: Gaudete in Domino semper. Gaudium autem istud debet esse perfectum. Et ad hoc duo requiruntur: Primo, ut res amata sufficiens sit amanti propter suam perfectionem. Et quantum ad hoc dicit: pax. Tunc enim amans pacem habet quando rem amatam sufficienter possidet. Secundo vero ut adsit perfecta fruitio rei amatæ, quod similiter per pacem habetur, quia quidquid superveniat, si perfecte aliquis fruatur re amata, puta Deo, non potest impediri ab ejus fruitione. Sic ergo gaudium dicit charitatis fruitionem, sed pax charitatis perfectionem.

603. Habet etiam pro effectu ardentissimam extaticam et anagogicam dilectionem, quæ scilicet animam sursum ad divina ducit et rapit, promptitudinem et agilitatem ad omnes actus

virtutum; viri namque contemplativi cœlestibus instructi veritatibus, et virtutum allecti pulchritudine, ut Deo summe dilecto complaceant in omnibus, eunt de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. Ad ardentissimum Dei amorem velut proprii sequuntur effectus: gloriatio in adversis, castigatio carnis, custodia cordis, humiliatio mentis, despectio terrenorum, desiderium æternorum et omnis actus virtutum; cum enim amor proprius omnium sit radix vitiorum, sequitur quod eo avulso, cuncta eradicentur peccata; quo facto, insunt cordis munditia, et charitas Dei pura, fortis, firma ac fervida; sicque ad omne bonum, et illuminationes altissimas ac frequentes, et quasi continuas, ad inflammationes æstuantissimas, ad transformationem Dei siccam, ad raptum et extasim, ad exercitationem secretissimam, tranquillationem dulcissimam, imo ad viam angelis proximam est anima tum disposita, ut exuberantissime ac indesinenter illustretur, calefiat, penetretur, impleatur ac mundetur ab illo, et instar speculi tersi, pervii, luminosi atque clarissimi objecta, substrata et applicata est superlucidissimo soli immenso; idcirco non cessat ille sol liberalissimus stillicidia gratiæ, fluenta sapientiæ, charitatis scintillas in illam diffundere. Contemplationem sequitur mira quædam suavitas qua perfunditur anima, ita ut dicat: Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, quam nullus sensus potest æstimare, nullus sermo valet exprimere. Incipit enim sentiri illa interna suavitas, et ex illa generatur mira quædam perfruendi aviditas, aviditatem sequitur saturitas, saturitatem ebrietas, ebrietatem securitas, et securitatem tranquillitas.

Adde Append. nn. 231-246.

ARTICULUS III.

Debent omnes ad supernaturalem contemplationem aspirare.

604. D. Thomas, p. p., q. 5, art. 1, loquendo de bono, dicit: Ratio autem boni in hoc consistit quod aliquid sit appetibile. Unde Philosophus in I. Ethic. dicit quod bonum est quod omnia appetunt; manifestum est autem quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum; nam omnia appetunt suam perfectionem; in tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est in actu. Et D. Thomas in III, dist. 18, art. 2,

dicit quod bona simpliciter sunt quæ ad vitam æternam pertinent. Et, 2 2, qu. 27, art. 3, affirmat quod ultimum bonum hominis consistit in hoc quod anima Deo inhæreat secundum illud Psal. LXXII: Mihi adhærere Deo bonum est. Et, 1 2, q. 98, art. 5, ad 2, dicit quod homo quanto Deo magis conjungitur, tanto efficitur melioris conditionis. Et explicans illud ad Ephes. V: Estote ergo imitatores Dei, dicit sic: Hoc necessarium est, licet difficile; Eccli. II: Quid est, inquam, homo, ut possit sequi regem factorem suum? Nunquam tamen perficitur natura humana, nisi conjunctione ad Deum. Unde Job XXIII: Vestigia ejus secutus est pes meus. Ergo imitandus est taliter quomodo habemus possibilitatem, quia ad filium pertinet patrem imitari. Debemus ipsum in dilectione imitari, quia dilectio est tale bonum, in quo debet homo proficere, et tale debitum quod debet homo semper solvere. Rom. XIII: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Vel in dilectione, quæ via sequendi Deum magis de propinquo est; I. Cor. XII: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstrabo. Hæc ille. Divus Thomas explicans illud Psal. XXXII: Beata gens cujus Dominus, dicit sic: Unumquodque enim perfectum est, si inhæret proprio bono; proprium autem hominis bonum est Deus; Psal. LXXII: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Deo autem potest aliquis inhærere, mente scilicet et voluntate: per intellectum contemplando, et per affectum amando. Beata gens, quia Dominus est Deus ejus, ideo habet mentem Deo conjunctam.

605. Bonum, ex D. Thoma, p. p., q. 5, art. 6; et 1 2, q. 99, art. 5; et 2 2, qu. 145, art. 3, et multis aliis in locis, dividitur in honestum, utile et delectabile. Bonum honestum dicitur illud quod in se ipso habet unde desideretur. Bonum utile dicitur quod non habet quatenus tale in se unde desideretur, sed desideratur solum ut est ducens in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ. Bonum delectabile illud proprie dicitur quod ut tale nullam habet aliam rationem appetibilitatis, nisi delectationem, cum aliquando sit nocivum et inhonestum. Et omnes istæ bonitates secundum se oppositæ, in eodem subjecto reperiuntur, quod scilicet sit bonum honestum, utile et delectabile.

606. Contemplatio supernaturalis est bona, ac per consequens appetibilis et perfecta; et omnes appetunt suam perfectionem.

Et sic bona simpliciter sunt quæ ad vitam æternam pertinent. Et sic ultimum bonum hominis consistet in hoc quod anima Deo inhæreat per contemplationem, et per illam magis Deo conjungatur: erit ergo bona contemplatio. — Bonum honestum reperitur in contemplatione. D. Thomas, 2 2, q. 145, art. 2, in quo quærit utrum bonum honestum sit idem quod decorum, dicit quod inter honestum et spirituale nullum est discrimen. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit quod conversatio hominis, sive actio ejus sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti. Et ideo honestum est idem spirituali decori. Unde Augustinus dicit in lib. 83 quæst.: Honestum voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus. Totum hoc habet contemplatio supernaturalis: ergo habet bonitatem honestam. Et in eodem art. dicit D. Thomas, solutione ad 1, quod objectum movens appetitum est bonum apprehensum. Quod autem in ipsa apprehensione apparet decorum, accipitur ut conveniens et bonum. Et ideo dicit Dionysius, cap. 4 De divinis nominibus, quod omnibus est pulchrum et bonum amabile. Unde et ipsum honestum, secundum quod habet spiritualem decorem, appetibile redditur. Contemplatio supernaturalis habet spiritualem decorem: ergo est appetibilis. D. Thomas, 1 2, q. 39, art. 2, dicit quod omne bonum honestum ex his duobus procedit: ex rectitudine rationis, et ex rectitudine voluntatis: contemplatio supernaturalis procedit ex rectitudine rationis et voluntatis: ergo habet rationem boni honesti. Contemplatio supernaturalis ex parte principii habet Spiritum sanctum cum suis donis influentem, habet pro objecto ipsum Deum in se ipso consideratum, tam ut auctorem naturæ, quam ut auctorem gratiæ; tam ut unum, quam ut trinum, secundum omnes perfectiones ac proprietates quas habet: finem habet intimam animæ cum Deo summe dilecto unionem fruitivam: subjectum habet intellectum hominis Spiritus sancti donis illustratum, et ipsa propter se diligetur, cum sit actus vitæ perfectissimus, sibique sufficientissimus: ergo bene concluditur quod contemplatio est bonum honestum. Expedit ad perfectissimam humilitatem, ad perfectissimam mansuetudinem

et ad reliquas virtutes in perfectissimo gradu conari. Cur non expediat ad perfectissimam orationem contendere? Profecto expedit magnam sanctitatem desiderare, et nequaquam in infimis desideriis nos continere; expedit etiam hanc summis precibus efflagitare ad gloriam Dei, ut ei magis ac magis placeamus, ut nostra conversatione magis ac magis eum glorificemus, ut beneficiis ejus magis grati simus: ergo et divinam contemplationem. D. Thomas, 2 2, q. 130, art. 1, solutione ad 1, in quo articulo loquitur de præsumptione, dicit quod nihil prohibet aliquid esse supra potentiam activam alicujus rei naturalis, quod non est supra potentiam passivam ejusdem. Inest enim aeri potentia passiva, per quam potest transmutari in hoc quod habeat actionem et motum ignis, quæ excedunt potentiam activam aeris. Sic etiam vitiosum esset et præsumptuosum quod aliquis in statu imperfectæ virtutis existens, attentaret statim assequi ea quæ sunt perfectæ virtutis. Sed si quis ad hoc tenderet, ut proficiat in virtutem perfectam, hoc non est præsumptuosum nec vitiosum. Et hoc modo Apostolus in anteriorem se extendebat, scilicet per continuum profectum.

607. In contemplatione supernaturali reperitur bonum utile. D. Thomas, p. p., qu. 62, art. 9 ad 2: Utile dicitur dupliciter, sicut via ad finem, et sic est utile meritum ad beatitudinem, et sicut pars ad totum; sed contemplatio supernaturalis est utilis ad fruitionem Dei, et ad assequendum ipsum ut finem: ergo. D. Thomas, 1 2, q. 7, art. 2 ad 1: Bonum ordinatum ad finem dicitur utile quod importat relationem quamdam. Unde Philosophus dicit, I. Ethic., quod ad aliquid bonum est utile, in his autem quæ ad aliquid dicuntur, denominatur aliquid non solum ab eo quod inest, sed etiam ab eo quod extrinsecus adjacet, ut patet in dextro et sinistro, æquali et inæquali, et similibus: et ideo cum bonitas actuum sit in quantum sunt utiles ad finem, nihil prohibet eos bonos vel malos dici secundum proportionem ad aliqua quæ exterius adjacent; sed contemplatio supernaturalis est bona ordinata ad finem, nimirum Deum: ergo est utilis. Et in eadem 1 2, qu. 16, art. 3, dicit Sanctus quod ea quæ sunt ad finem accommodata, utilia dicuntur; sed contemplatio supernaturalis est multum accommodata ad finem, nempe Deum consequendum: ergo est utilis. Quid utilius contemplatione supernaturali tum animæ contemplativæ,

tum aliis? Animæ contemplativæ, quia per contemplationem plurima acquirit merita quibus ad vitam æternam et gloriæ beatitudinem conducitur; unde Gregorius Magnus, VI. Moral., cap. XXVIII, ait: Magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Et hom. 3 super Ezechielem dicit: Contemplativa major est merito quam activa (quod probat D. Thomas, 2 2, q. 182, art. 2), quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore interno venturam jam requiem degustat.

608. Et sic nihil utilius contemplatione supernaturali; quamvis enim qui vacant activæ vitæ, multis aliis prosint, multo tamen magis prosunt qui vacant contemplationi, ex cujus abundantia, dum aliquando proximorum saluti vacant, plus unico suadent verbo heroicæ vitæ conjuncto, quam alii multis concionibus, cujus rei signum est evidens quod qui vacant activæ vitæ, ut digne fungantur officiis, orationem seu contemplationem præmittunt; propterea Martha vitam activam repræsentans, adjutorium sororis suæ Mariæ vitam contemplativam repræsentantis tam efficaciter a Domino postulabat.

609. In contemplatione supernaturali invenitur bonum delectabile, ut dictum est multoties articulis antecedentibus. Divus Thomas, 1 2, q. 31, art. 5, quærit utrum delectationes corporales et sensibiles sint majores delectationibus spiritualibus et intelligibilibus. Et dicit quod delectatio provenit ex conjunctione convenientis cum sentitur et cognoscitur. Actiones animæ sensitivæ et intellectivæ sunt quoddam bonum operantis, et sunt etiam cognitæ per sensum et intellectum; unde etiam ex ipsis consurgit delectatio, et non solum ex earum objectis. Si igitur comparentur delectationes intelligibiles delectationibus sensibilibus, secundum quod delectamur in ipsis actionibus (puta in cognitione sensus et in cognitione intellectus), non est dubium quod multo sunt majores delectationes intelligibiles, quam sensibiles; multo enim magis delectatur homo de hoc quod cognoscit aliquid intelligendo, quam de hoc quod cognoscit aliquid sentiendo; quia intellectualis cognitio et perfectior est, et etiam magis cognoscitur: quia intellectus magis reflectitur supra actum suum quam sensus. Est etiam cognitio intellectiva magis dilecta: nullus enim est qui non vellet magis carere visu corporali quam visu intellectuali, eo modo quo bestiæ vel stulti carent. Sed si comparentur delectationes intel-

ligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundum se et simpliciter loquendo, delectationes spirituales sunt majores: et hoc apparet secundum tria quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, et id cui conjungitur, et ipsa conjunctio. Nam ipsum bonum spirituale est majus quam corporale bonum, et est magis dilectum; cujus signum est quod homines etiam a maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile; similiter etiam ipsa pars intellectiva est multo nobilior et magis cognoscitiva quam pars sensitiva; conjunctio etiam utriusque est magis intima, et magis perfecta, et magis firma: ergo potiores sunt delectationes spirituales. Contemplatio supernaturalis est spiritualis: ergo habet delectationem majorem quam res corporales. Quamvis omnes ad supernaturalem contemplationem aspirare possint, non tamen ad extases, raptus et apparitiones corporeas, vel imaginarias, et ad cætera hujusmodi. Hæc vero desiderare non licet, nec postulare, et multo minus ad id conari, quod esset superbum atque ridiculum; imo potius si talia inciderent, debet homo se prudenter et humiliter subtrahere, Dominumque rogare ut via regia eum in cœlum ducat.

ARTICULUS IV.

De mediis quibus ad contemplationem supernaturalem pervenitur.

610. Requiritur ex parte Dei quod animam vocet et excitet. D. Thomas in I, dist. 41, art. 2 ad 3, dicit quod vocatio semper est temporalis, quia ponit adductionem quamdam ad aliquid. Et ideo est quædam vocatio ad esse per creationem, cui, ut dictum est, non respondet æterna electio. Unde dicitur ad Rom. IV: Qui vocat ea quæ non sunt, etc. Et est quædam vocatio temporalis ad gratiam, cui correspondet et electio temporalis et æterna. Hæc autem vocatio est vel interior per infusionem gratiæ, vel exterior per vocem prædicatoris. Interior autem vocatio et temporalis electio ad gratiam semper sunt simul: sed differunt secundum rationem, quia electio, in quantum dicit segregationem, respicit terminum a quo, vocatio autem terminum ad quem magis, sed differt a justificatione se-

cundum rationem, quia vocatio pertinet ad motum naturæ proficientis in gratiam; sed justificatio respicit esse consequens terminum motus secundum quod gratia facit justum esse. De ista vocatione animæ loquitur D. Thomas in expositione capitis II Isaiæ, super illud verbum: Venite, dicens: Hic ponitur vocatio. Vocatur autem tripliciter ad fidei eminentiam, unde dicit: Venite, per consensum; ascendamus per fidem in montem Domini, idest Christum; et ad domum Dei Jacob, idest Ecclesiam. Secundo, ad doctrinam, docebit vos vias suas, idest præcepta quibus ad ipsum itur. Cantic. VIII: Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Tertio, ad obedientiam consiliorum. Et ambulavimus post eum in semitis ejus. Jerem. VI: Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea. De ista vocatione loquitur D. Thomas in expositione cap. IV Matthæi, ubi loquitur Evangelista de vocatione Apostolorum: Et vocavit eos interius et exterius. Rom. VIII: Quos prædestinavit, hos et vocavit. Vocare interius nihil aliud est quam præbere auxilium humanæ menti, cum vult convertere nos. Vel vocare interius, est vocare per quemdam instinctum interiorem, quo Deus per gratiam tangit cor ut convertatur ad ipsum, et sic vocat a mala via in bonam, et hoc per gratiam suam, non nostris meritis. Vocatio exterior est illa qua vocavit Apostolos: Venite post me; et vocavit Paulum: Saule, Saule, quid me persequeris? Actor. IX. Ista vocatione interiori vocat animam sponsam dilectissimam, quam media contemplatione supernaturali vult sibi sociare ac intime unire. Opus est enim ut illam vocet, dicens interius: Surge, anima mea, speciosa mea, columba mea, et veni; columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: omne namque datum optimum, et donum perfectum, maxime contemplationis supernaturalis, desursum est descendens a Patre luminum, qui lumine supernaturali mentem illustrando, gratiam contemplationis infusæ concedit.

611. Ex parte animæ requiritur munditia cordis. D. Thomas, 2 2, qu. 8, art. 7, dicit: Est enim duplex munditia. Una quidem præambula et dispositiva ad Dei visionem, quæ est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus. Et hæc quidem munditia cordis fit per virtutes et dona quæ pertinent ad vim appetitivam. Alia vero munditia cordis est, quæ est quasi com-

pletiva respectu visionis divinæ. Et hæc quidem est munditia mentis depuratæ a phantasmatibus et erroribus, ut scilicet ea quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum. Et hanc munditiam facit donum intellectus. Omnis ista munditia requiritur ex parte animæ quæ ad contemplationem supernaturalem Dei debet pervenire. Et certe sicut ad videndum luce solis hæc inferiora materialia requiritur munditia oculorum, sic ad videndum Deum spiritualem non solum clare per lumen gloriæ, sed etiam utcumque per supernaturalem contemplationem requiritur munditia cordis.

612. Requiritur etiam ex parte animæ simplicitas mentis. D. Thomas, 2 2, qu. 109, art. 2 ad 4, dicit quod simplicitas dicitur per oppositum duplicitati, qua scilicet aliquis aliud habet in corde et aliud ostendit exterius. Et sic simplicitas ad veritatem pertinet. Facit autem intentionem rectam, non quidem directe, quia hoc pertinet ad omnem virtutem; sed excludendo duplicitatem, qua homo unum prætendit et aliud intendit. Et in eadem 2 2, q. 111, art. 3 ad 2, dicit: Prudentiæ directe opponitur astutia, ad quam pertinet adinvenire quasdam vias apparentes et non existentes, ad propositum consequendum. Executio autem astutiæ est proprie per dolum in verbis, per fraudem autem in factis. Et sicut astutia se habet ad prudentiam, ita dolus et fraus ad simplicitatem. Dolus autem vel fraus ordinantur ad decipiendum principaliter, et quandoque secundario ad nocendum. Unde ad simplicitatem pertinet directe se præservare a deceptione. Et secundum hoc, ut supra dictum est, virtus simplicitatis est eadem virtuti veritatis: sed differt sola ratione, quia veritas dicitur secundum quod signa concordant signatis; simplicitas autem dicitur secundum quod non tendit in diversa, ut scil. aliud intendat interius et aliud prætendat exterius. D. Thomas in expositione cap. II ad Hebræos, super illa verba: Ecce ego et pueri mei, dicit sic: Loquitur Christus de Apostolis quos vocat pueros triplici ratione: propter puritatem, simplicitatem et humilitatem. Idem Sanctus comparat illos columbæ, quæ non habet iram in corde. Item dicit Apostolos esse simplices contra dolositatem; Psal. XXVII: Loquebantur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus suis. Res quanto sunt simpliciores, tanto sunt communiter clariores, (*ut*) patet in corporibus cœlestibus et in luce, quæ simplicia

dicuntur, eo quod ex elementis minime componuntur; sic anima simplex a Deo magis illuminatur vera prudentia. Capra enim, quæ est animal simplicissimum, visum habet limpidissimum et acutissimum: sic animæ simplices visum discretionis habent subtilissimum. Ista simplicitas requiritur ex parte animæ.

613. Requiritur etiam parvitas humilitatis. D. Thomas, 2 2, q. 161, art. 2, loquens de humilitate, sic scribit: Ad humilitatem proprie pertinet ut aliquis reprimat se ipsum ne feratur in ea quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est ut aliquis cognoscat id in quo deficit a proportione ejus quod suam virtutem excedit. Et ideo cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitus: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et ideo dicendum est quod humilitas proprie est directiva motus appetitus. Et solutione ad 3: Humilitas præcipue videtur importare subjectionem hominis ad Deum. Et propter hoc Augustinus, in lib. De sermone Domini in monte, humilitatem, quam intelligit per paupertatem spiritus, attribuit dono timoris, quo homo Deum reveretur. Et ideo quilibet homo secundum id quod suum est debet se cuilibet proximo subjicere, quantum ad id quod est Dei in ipso. Non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in se ipso subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero. Per humilitatem debemus nos subjicere omnibus proximis propter Deum, secundum illud I. Petri II: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Hæc D. Thomas, art. 2 et 3; et art. 5 ejusdem quæstionis citatæ, in secundo argumento adducit auctoritatem Augustini, quæ est ista: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Respondet D. Thomas: Virtutes vere infunduntur a Deo. Unde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter. Uno modo per modum removentis prohibens. Et sic humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et præbet hominem subditum et paratum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem superbiæ; unde dicitur Jac. IV quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et secundum hoc humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum. Alio modo est aliquid primum in virtutibus directe, per quod scilicet jam ad Deum acceditur, et

hoc per fidem. Recte igitur dicitur quod ad contemplationem supernaturalem ex parte animæ requiritur humilitas, quia ad humilitatem pertinet ne aliquis feratur super ea quæ sunt supra se, quemadmodum est contemplatio supernaturalis, sed cognoscat proprios defectus et subjiciat se Deo: quæ subjectio erit fundamentum totius ædificii spiritualis et supernaturalis contemplationis. — *Adde Append.*, n. 326.

ARTICULUS V.

Quid animæ agendum est quando contemplationis gratia subtrahitur.

614. S. Joannes evangelista, cap. III, dicit: Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu. D. Thomas super hunc locum dicit quod intelligitur de Spiritu sancto. Et ponit quatuor quæ conveniunt Spiritui sancto. Primo quidem ejus potestas cum dicitur: " Spiritus ubi vult spirat, „ quia pro libero potestatis arbitrio inspirat ubi vult et quando vult, corda illustrando; I. Cor. XII: Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. — Secundo, ponit Spiritus sancti judicium, cum dicit: " Et vocem ejus audis; „ Psal. XCIV: Hodie si vocem ejus audieritis, etc. Et loquitur de lingua qua Spiritus sanctus intus loquitur in cordibus hominum; Psalm. LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. — Tertio, ponit Spiritus sancti originem, quæ occulta est, unde dicit: " Et nescis unde veniat „ licet vocem ejus audias. Et hoc ideo quia venit a Patre et Filio; Joan. XV: Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis, qui a Patre procedit. — Quarto, ponit Spiritus sancti finem, qui quidem occultus est, et ideo dicit: " Aut quo vadat, „ supple: Nescitis, quia perducit ad occultum finem, scilicet ad beatitudinem æternam. Vel: " Nescitis unde veniat, „ idest quomodo hominem introeat. " Aut quo vadat, „ idest ad quam perfectionem illum adducat. " Sic est omnis qui natus est ex Spiritu, „ quia in viro spirituali sunt proprietates Spiritus sancti, sicut in carbone succenso sunt proprietates ignis. Hæc ille. Gratia contemplationis multoties subtrahitur, accedit et

recedit Deus; Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat. Accedit, et accedendo nos illustrat, recedendo obscuritate et mœrore discruciat. Experiebatur has vicissitudines et accessus ac recessus Dei Sponsa, quæ, Cantic. VIII, ait: Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. Quandoquidem, o Sponse, fugiturus es, et me tuo more relicturus, oro ut fugias ad instar capreæ hinnulique cervorum, qui ita insequentes fugiunt, ut frequenter ad eos se convertant, oculisque respiciant. Vade, sed redi; ut sicut discessu tuo humilior, et meam infirmitatem agnosco, ita accessu virtutum augmento exalter, et amoris affectu respirem. Tu te similem fecisti aquilæ; Deuter. XXXII: Sicut aquila, ait Moyses, provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitans. Fac mecum sicut aquila, quæ modo filios pennis impositis in sublime rapit, modo solos, ut ad volandum provocet, in terra dimittit. Ita sic me dimittes, ut desideriis precer, et iterum consolatione subvecta, ad superna volem.

615. Sentiebat eas Job, qui, cap. XXXVI, profert hæc verba: In manibus, inquit, abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. Audite D. Thomam in expositione horum verborum: " In manibus abscondit lucem, „ idest per opera virtutis suæ facit ut quandoque lux solis et stellarum nubibus occultetur: sed quia hæc occultatio non est perpetua, sed ad tempus, subdit: " Et præcipit ei ut rursus adveniat, „ videlicet discedentibus nubibus. Vel possunt hæc verba referri ad obtenebrationem et illuminationem aeris per solis occasum et reditum. Est autem considerandum quod sensibilia sunt quædam intelligibilium signa: unde per effectus sensibiles ad cognitionem intelligibilium devenimus; inter omnes autem sensibiles effectus spiritualior est lux: unde et efficacior est ad perducendum in intelligibilium cognitionem, in quantum scilicet visus, cujus cognitio per lumen perficitur, plurimum intellectualem cognitionem juvat: quia igitur ista lux sensibilis ex potestate Dei hominibus occultatur et communicatur, datur per hoc intelligi quod apud ipsum sit quædam excellentior lux, scilicet spiritualis, quam Deus in præmium virtutis hominibus reservat; unde subdit: " Annunciat de ea, „ scilicet luce spirituali per corporalia signata, " amico suo, „ scilicet virtuoso quem Deus amat, " quod possessio ejus sit, „ idest quod illa lux spiri-

tualis sit thesaurus quem Deus amicis suis reservat in præmium. Hæc ille. Lucem, inquam, sapientiæ quasi manibus abscondens subtrahit, et iterum velut manum aperiens exoriri facit. Anima itaque vicissitudinibus istis ascendit usque ad cœlos, et descendit usque ad abyssos. Ascendit usque ad cœlos, cum luce sapientiæ perfunditur, ut divina contempletur. Descendit usque ad abyssos, cum quasi caligine involvitur, et dono quo gaudebat subito spoliatur.

616. Totum hoc videtur in Ezechia. Præcisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me. Vitam putabat, qua Deum sibi præsentem habebat. Sed hæc ut tela præciditur; et in initio consopitur, cum interna consolatio, antequam abundanter reficiamur, ablactatur. Sed bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ut sciam quia non in sola luce et fervore, sed etiam in caligine et tepore erit perfectio mea. Cogitavi enim, inquit Bernardus, quia de mane usque ad vesperam finies me, idest consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespere tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea: stultus ego, qui tantum sperabam usque ad mane, cum David dicat: A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino. Anima primo visitatur luce, postea vero obscuritate desolationis obruitur. E contrario aliquando accidit.

617. Sed debemus referre causas quare Deus cum anima sibi dilecta sic se gerat. Abscondit enim se Dominus, et lucem contemplationis subtrahit, ut defectus etiam leves castiget, quia amator contemplationis peccata etiam minima fugere debet. Præcepit Dominus, Exod. XIX, sic: Si jumentum aliquod ad montem, in quo ipse cum Moyse loquebatur, accederet, et quod si appropinquaret, lapidibus obrueretur. Omne peccatum, etiam minimum, quasi jumentum immundum est, quod a monte contemplationis arcetur. Cura ne accedat ad te; si vero accesserit, gemitibus quasi lapidibus obrue, et gladio compunctionis interfice. Sap. I dicitur: In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Græca habet: Neque habitabit in corpore obnoxio peccato; quoniam unum peccatum, cui non relucteris, cui sponte subdaris, huic sapientiæ januam occludet. Contemplatio volatus est, et volatus in cœlum; peccatum pondus est quo anima deprimitur et in-

clinatur in terram. Abjiciendum est pondus, ut mens tua ex societate corporis satis ad terram prona ad res cœlestes efferatur. Ecce causam quare Deus istos defectus etiam leves castigat, quia impediunt contemplationem.

618. Et etiam est alia causa. Deus abscondit se ut quæratur. D. Thomas, Opusc. LXI, in secundo gradu divini amoris adducit illud Cantic. I, ubi sponsa ad sponsum clamat: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Et cap. III ait: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, et non inveni: surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea; quæsivi illum et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, inveni eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. En verba sponsæ sollicite et incessanter sponsum quærentis, ideo se abscondit. Psal. CXL: Quærite faciem ejus semper.

619. Absconditur ne otiosus sedeat tempore orationis. Otium, ut dicit D. Thomas in II, dist. 40, art. 5, opponitur ordini rerum in suum finem, non ordini signi ad signatum: et sic tempore consuetæ orationis, in quo consueverat donum contemplationis experiri, ne otiosus sedeat, sed communi gratia adjutus quod est in se faciat. Divina mysteria vitæ et passionis Domini, vel divinas perfectiones, aut beneficia consideret; ex consideratione in se ipsum reflectat, et sancta proposita concipiat, affectus virtutum, et amoris, et gratiarum actionis, et laudis eliciat, et illam horam orationi destinatam, sicut quando erat in statu meditantium, utiliter insumat.

620. Aufert quidem Dominus donum lucis suæ, ut postmodum cum illud restituerit, dulcius et pretiosius habeatur. Sicut enim cibus delectabilior est ei qui esurit, et potus ei qui sitit, et somnus ei qui vigilat, et palma ei qui bellavit, et sanitas ei qui diutius ægrotavit, et potus ei qui cum nausea navigavit: ita dulcior est contemplatio ei qui absentiam post ejus dulcedinem gustatam sustinuit. Gregorius, Lib. IX. Moral., c. XI, dicit: Plerumque etiam mens divini amoris igne accenditur, atque ad intuenda cœlestia et arcana sublevatur. Ad summa jam ra-

pitur, et perfecto desiderio compuncta ab infimis alienatur; sed repentina tentatione percussa, quæ intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus ad transitiva curvatur: ita ut semetipsam discernere nequeat, et inter vitia virtutesque deprehensa ex qua parte sit valentior non agnoscat.

ARTICULUS VI.

Supernaturalis gratia contemplationis aliquando conceditur imperfectis, aliquando denegatur perfectis.

621. Cum supernaturalis gratia contemplationis sit donum gratuitum, potest Deus ad libitum concedere cui voluerit, aut negare. Audite D. Thomam super illa verba D. Pauli ad Rom. III: Justificati gratis per gratiam ipsius. Ostendit quod hujusmodi justificatio est sine lege, idest quod non est ex operibus legis, cum dicit: " Justificati gratis, „ idest absque merito præcedentium operum; Isa. LII: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. Et hoc per gratiam ipsius, scilicet Dei, cui ex hoc debetur gloria; I. Cor. XV: Gratia Dei sum id quod sum. Exponens idem D. Thomas illud D. Pauli ad Rom. IX: Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. " Cum nondum nati fuissent, „ dicit Sanctus, designat tempus promissionis, et dicit quod per promissionem est unus filius Rebeccæ alii prælatus. Et sicut per superiora exclusit opinionem Judæorum de meritis patris confidentium, ita etiam per hoc excludit errorem Manichæorum qui diversitatem eorum quæ hominibus accidunt, nativitati adscribunt, ut scilicet uniuscujusque vita et mors disponatur secundum constellationem sub qua natus est; contra quod dicitur Jerem. X: A signis cœli nolite metuere, quæ gentes timent. Subdit autem: " aut aliquid egissent boni aut mali. „ Ubi excluditur error Pelagianorum, qui dicunt secundum merita præcedentia gratiam dari, cum tamen scriptum sit ad Tim. III: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam

salvos nos fecit. Utrumque autem horum ostenditur falsum per hoc quod ante nativitatem et ante opera unus filiorum Rebeccæ alteri est prælatus. Secundo ostenditur quod accipi potest ex ipsa promissione, quia unus geminorum in utero existentium alteri est prælatus, dicens: " Ut propositum Dei, „ scilicet volentis unum præ alio magnificare, " maneret, „ idest firmum esset; et hoc non secundum merita, sed secundum electionem, idest in quantum ipse Deus spontanea voluntate unum alteri præelegit, non quia sanctus erat, sed ut sanctus esset, secundum illud ad Ephes. I: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Hoc autem est propositum prædestinationis, de quo ibidem dicitur: Prædestinavit secundum propositum voluntatis ejus. Tertio ponit promissionem dicens: " Non ex operibus, „ quæ nulla præcesserunt, ut dictum est, " sed ex vocante, „ idest ex ipsa gratia vocantis, de quo supra dictum est: Quos prædestinavit, hos et vocavit, " dictum est ei, „ scilicet Rebeccæ, " quia major, „ scilicet Esau, " serviet minori, „ scilicet Jacob. Quod quidem tripliciter intelligi potest. Uno modo secundum eorum personas, et sic intelligitur Esau servisse Jacob non directe, sed occasionaliter, in quantum persecutio quam ei intulit, in ejus bonum cessit, secundum illud Prov. XI: Qui stultus est serviet sapienti. Secundo, potest referri ad populos ex utroque progenitos, quia Idumæi aliquando fuerunt subjecti Israelitis, secundum illud Psal. LIX: In Idumæam extendam calceamentum meum. Tertio, potest intelligi figuraliter dictum, ut per majorem intelligatur populus Judæorum, qui primo adoptionem filiationis accepit, secundum illud Exodi IV: Primogenitus meus Israel; per minorem autem figuratur populus gentilium, qui posterius est ad fidem vocatus; Luc. XV: Major populus serviet minori. Deinde cum dicit: " Sicut scriptum, „ probat propositum ex auctoritate prophetæ, dicens: " Sicut scriptum est, „ scilicet in Malach.: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Dicit autem quædam Glossa quod id quod supra dictum est: major serviet minori, dictum est secundum præscientiam. Quod autem hic dicit est intelligendum secundum judicium, quia scilicet Deus propter bona opera dilexit Jacob sicut et omnes Sanctos diligit; Prov. VIII: Ego diligentes me diligo: Esau vero odio habui propter peccata; sicut scriptum est Eccli. XII: Altissimus odio peccatores habet.

Sed quia dilectio hominis prævenitur a dilectione Dei, secundum illud I. Joan. IV: Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, oportet dicere quod ante Jacob dilectus sit a Deo, quam ipse Deum dilexerit. Nec potest dici quod Deus ex tempore eum diligere incœpit, alioquin ejus affectus esset mutabilis; et ideo oportet dicere quod Deus ab æterno Jacob dilexit. Hæc ille.

622. Idem D. Thomas explicans illud ad Ephes. I: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, dicit sic: Tangitur beneficium electionis, ubi commendatur electio ista, quia libera: " Sicut elegit nos in ipso; „ quia æterna: " Ante mundi constitutionem; „ quia fructuosa: " Ut essemus; „ quia gratuita: " in charitate. „ Dicit ergo: Ita benedicit nos non nostris meritis, sed ex gratia Christi, sicut elegit nos, et gratis a massa perditionis separando, præordinavit nos in ipso, idest per Christum; Joan. XV: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et hoc " ante mundi constitutionem, „ idest ab æterno, antequam fieremus; Rom. IX: Cum nondum nati fuissent. Eligit, inquam, non quia sancti essemus, " quia nec eramus; „ sed ad hoc elegit nos ut essemus sancti virtutibus, et immaculati a vitiis. Utrumque autem facit electio secundum duas partes justitiæ; Psal. XXXIII: Declina a malo et fac bonum. Sancti, inquit, " in conspectu ejus, „ idest interius in corde, ubi ipse solus conspicit; I. Reg. XVI: Deus autem intuetur cor. Vel: " in conspectu ejus, „ idest ut eum inspiciamus, quia visio est tota merces, secundum Augustinum. Et hoc facit non nostris meritis, sed in charitate sua, vel nostra, qua nos formaliter sanctificat. Hæc ille.

623. Si ergo justificatio nostra est per gratiam, electio nostra est per gratiam, quam Deus dat cui vult: ergo similiter gratia contemplationis conceditur cui vult et quibus vult, et aliquando conceditur imperfectis et denegatur perfectis, quia est gratia. Et ideo S. Gregorius, homil. XVII in Ezechielem, sic ait: Non enim contemplationis gratia summis datur, et minimis non datur: sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando eam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine con-

templationis potest, quia intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur, nullus se donum veri luminis æstimet habere privatum; quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior, qui habere apud se boni aliquid non putat.

624. Item ista largitio gratiæ perfectis et imperfectis, est misericordia Dei. D. Thomas in commentario Psalm. L, cujus initium est: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, dicit sic: Et notandum quod aliquis potest sperare in misericordia divina duplici ratione. Una ratio est ex consideratione divinæ naturæ; alia ratio est ex consideratione et secundum multitudinem effectuum ejus. Primo ergo ostendit quod sperat de misericordia Dei ex consideratione naturæ divinæ, quia naturæ divinæ proprium est quod sit ipsa bonitas. Unde Dionysius dicit quod Deus est ipsa substantia bonitatis. Unde nihil aliud est hæc Dei misericordia nisi bonitas relata ad repellendam miseriam. Ergo cum considero quod bonitatis miseriam repellere est proprium, et tamen est ipsa bonitas, confidenter ad misericordiam recurro. Et dicitur magna sua incomprehensibilitate, qua implet omnia; Psal. CXVIII: Misericordia Domini plena est terra. Et in omnibus habet locum. Nam justi innocentiam servaverunt propter misericordiam Dei. Augustinus: Domine, gratiæ tuæ deputo mala quæ non feci. Item, peccatores sunt conversi ad justitiam propter Dei misericordiam; I. Tim. I: Misericordiam consecutus sum. Item, in peccato existentes misericordiam Dei experti sunt; Thren. III: Misericordiæ Domini multæ, quod non sumus consumpti. Item, dicitur magna sublimitate, quia miserationes ejus super omnia opera ejus. Nam misericordia non signat in Deo passionem animi, sed bonitatem ad repellendam miseriam. Item, magna duratione; Isa. LIV: In misericordia sempiterna misertus sum tui. Item, magna virtute; quia Deum hominem fecit, de cœlo Deum ad terram deposuit, et immortalem mori fecit. Item, magna per effectum, quia ex omni miseria potest homo per misericordiam elevari; Psal. LXXXV: Misericordia tua magna est super me, et remisisti iniquitatem peccati mei. Hæc ille. Ergo largitio gratiæ perfectis et imperfectis est effectus misericordiæ, quia est effectus bonitatis ejus. Et quia effectus

Dei procedunt ex misericordia Dei, quæ magna est, quia implet omnia. Et Deus imperfectis misericorditer gratiam concedit ut mortalibus summe liberalem et magnificum se manifestet, dum nullis præcedentibus meritis, nullis dispositionibus positis, imo sæpius cum multis apparentibus demeritis, multis manifestis indispositionibus, tam pretiosum indignis confert donum, ut majoribus gratiis postmodum concedendis dignos efficiat. Et Deus misericorditer imperfectis gratiam concedit, ut media contemplatione supernaturali fortiter ac suaviter simul in illis efficiat brevi temporis intervallo, quod longo tempore non posset alia via perficere.

625. Verum tamen est quod ex quadam decentia et congruitate Deus potius perfectis quam imperfectis sua dona communicat, et ideo illis ordinarie, istis raro supernaturalis gratiam contemplationis concedit. Cujus ratio est quia secundum viam ordinariam Deus sua dona magis dispositis solet concedere, quamvis via extraordinaria aliter contingat. Primum contingit ex quadam subjecti exigentia: dignus est enim, saltem de congruo, qui plus laboravit, majorem percipere fructum, et qui fidelis fuerit erga Deum, ab illo copiose præmiari. Sed secundum aliquando contingit ut inde manifeste pateat quod Deus dominus est in suorum distributione donorum, et quod nullus potest ei dicere: Cur ita facis? Numquid non dixit Dominus uni de hoc murmuranti: Oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Numquid non possum facere quod ego volo?

ARTICULUS VII.

Contemplatio supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi, licet aliquando aliter contingat.

626. D. Thomas, 1 p., q. 84, art. 7, dicit: Impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata. Et hoc duobus indiciis apparet. Primo quidem quia cum intellectus sit vis quædam, non utens corporali organo, nullo modo impediretur in suo actu per læsionem alicujus corporalis organi, si non requireretur ad ejus actum

actus alicujus potentiæ utentis organo corporali. Utuntur autem organo corporali sensus, et imaginatio, et aliæ vires pertinentes ad partem sensitivam. Unde manifestum est quod ad hoc quod intellectus actu intelligat, non solum accipiendo scientiam de novo, sed etiam utendo scientia jam acquisita, requiritur actus imaginationis et cæterarum virtutum. Videmus enim quod impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativæ virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea, quorum scientiam præaccepit. Secundo, quia hoc quilibet in se ipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum. Hujus autem ratio est quia potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Unde intellectus angeli, qui est totaliter a corpore separatus, objectum proprium est substantia intelligibilis a corpore separata, et per hujusmodi intelligibile materialia cognoscit. Intellectus autem humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas, sive natura in materia corporali existens, et per hujusmodi naturas visibilium rerum, etiam in invisibilium rerum aliqualem cognitionem ascendit. De ratione autem hujus naturæ est quod in aliquo individuo existat, quod non est absque materia corporali. Sicut de ratione naturæ lapidis est quod sit in hoc lapide, et de ratione naturæ equi est quod sit in hoc equo, et sic de aliis. Unde natura lapidis vel cujuscumque materialis rei cognosci non potest complete et vere, nisi secundum quod cognoscitur ut in particulari existens. Particulare autem apprehendimus per sensum et imaginationem. Et ideo necesse est ad hoc quod intellectus intelligat suum objectum proprium, quod convertat se ad phantasmata, ut speculetur naturam universalem in particulari existentem. Si autem proprium objectum intellectus nostri esset forma separata, vel si formæ rerum sensibilium subsisterent non in particularibus, secundum platonicos, non oporteret quod intellectus noster semper intelligendo converteret se ad phantasmata. Hæc ille.

627. Aliquando datur contemplatio supernaturalis sine conversione ad phantasmata. In hanc sententiam videtur inclinare D. Thomas, quamvis non omnino certum sit in doctrina illius. Proponam omnia quæ a me visa sunt in operibus illius. Quæstione XIII De veritate, art. 1 in corpore, dicit: Homo a sua naturali et propria operatione dicitur immutari; potest autem esse hominis propria operatio intelligere mediante imaginatione et sensu: operatio enim ejus, qua solis intellectualibus inhæret, omnibus inferioribus prætermissis, non est ejus in quantum est homo, sed in quantum aliquid in eo divinum existit. Operatio vero, qua solis sensibilibus inhæret præter intellectum et rationem, non est ejus in quantum est homo, sed secundum naturam, quam cum brutis habet communem. Tunc igitur a naturali modo suæ cognitionis transmutatur, quando a sensibus abstractus, aliqua præter sensum inspicit: hæc igitur transmutatio quandoque fit ex defectu propriæ virtutis, sicut accidit in phreneticis et aliis mente captis; et hæc quidem abstractio a sensibus non est elevatio hominis, sed potius depressio. Aliquando vero talis abstractio fit virtute divina, et tunc proprie elevatio quædam est, quia cum agens assimilet sibi patiens, abstractio, quæ fit virtute divina, quæ est supra hominem, est in aliquid altius quam sit naturale homini, ut dicitur in definitione raptus. Et solutione ad 1 dicit quod intelligentiæ humanæ secundum quemlibet statum est naturale aliquo modo cognoscere Deum; sed in sui principio, scilicet in statu viæ, est ei naturale quod cognoscat Deum per creaturas sensibiles. Est etiam ei naturale quod perveniat ad cognoscendum Deum per se ipsum in sui consummatione, scilicet in patria. Et si in statu viæ elevetur ad hoc quod cognoscat Deum secundum statum patriæ, hoc erit contra naturam, sicut esset contra naturam quod puer mox natus haberet barbam. Et solutione ad 2 in fine, dicit quod ista elevatio dicitur esse contra naturam, quia est contra solitum cursum naturæ. Et in solutione ad 4: Cum Deus mentem humanam in statu viæ elevat supra modum suum, non facit contra justitiam, sed præter.

628. D. Thomas, super cap. XII secundæ ad Corinth., definit sic raptum: Raptus est ab eo quod est secundum naturam in id quod est supra naturam vi superioris naturæ elevatio. In qua definitione tangitur ejus genus, cum dicitur elevatio; causa

efficiens, quia vi superioris naturæ; et duo termini motus, scilicet a quo, et ad quem, cum dicitur: ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam. Et quæst. XII de Veritate concedit D. Thomas dari species supernaturales et infusas. Ex quibus principiis probabiliter colligitur dari posse contemplationem supernaturalem sine conversione ad phantasmata. Item contemplatio supernaturalis fit a lumine supernaturali corroborante potentiam; ex alia parte dantur species supernaturales et infusæ repræsentantes naturas supernaturales: ergo potest esse talis cognitio sine conversione ad phantasmata. Et D. Thomas, q. XIII de Veritate, art. 2 ad 9, distinguit duplicem raptum ex D. Augustino super Gen. ad litteram. Unus quo mens rapitur a sensibilibus ad imaginariam visionem, et sic accidit in Petro et Joanne evangelista in Apocalypsi, ut dicit Augustinus. Alius quo mens rapitur a sensu et imaginatione simul ad intellectualem visionem, et hoc quidem dupliciter: uno modo secundum quod intellectus intelligit Deum per aliquas intelligibiles immissiones, quod est proprie angelorum, et sic fuit extasis Adæ, ut dicitur Genes. II, in Glossa, quod extasis recte intelligitur ad hoc immissa ut mens Adæ particeps angelicæ curiæ et intrans in sanctuarium Dei novissime intelligeret. Alio modo, secundum quod intellectus videt Deum per essentiam, et ad hoc fuit raptus Paulus. In quo loco confirmat D. Thomas illud quod dicit de speciebus infusis, et illas constituit in Adamo. Hæc ille.

629. D. Thomas explicans illud Apoc. VIII: Factum est silentium in cœlo quasi media hora, explicato sensu litterali, dicit: Tropologice per silentium, secundum Gregorium, intelligitur secretum intimæ contemplationis, in quo silere debet tumultus cogitationum, ut anima justi quæ cœlum est per elevationem a terrenis et claritatem mentis, cum sponso loqui et ejus vocem dulcissimam audire possit. Unde D. Gregorius super hunc locum: Cœlum quippe est anima justi, anima itaque justi dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, et surgens ab infimis cogitationum tumultibus præeminet, et intra se Deo quodammodo silentium facit. Hoc autem silentium quasi media hora fit, quando non diu durat quies contemplationis, sed vel necessitas corporalis, vel aliquid aliud interrumpit eam. Unde D. Gregorius: Hoc silen-

tium contemplationis et hæc quies mentis in hac vita non potest esse perfecta. D. Thomas, 2 2, q. 180, art. 4 ad 3, dicit quod in contemplatione sex distinguuntur gradus, quibus per creaturas ad Dei contemplationem ascenditur. Nam in primo gradu ponitur perceptio ipsorum sensibilium; in secundo vero gradu ponitur progressus a sensibilibus ad intelligibilia; in tertio gradu ponitur dijudicatio sensibilium secundum intelligibilia; in quarto gradu ponitur absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia pervenitur; in quinto vero gradu ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem capi possunt; in sexto gradu ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio non intuetur nec capere potest; quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem divinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur.

630. D. Thomas, 2 2, qu. 175, art. 4, dicit quod divina essentia non potest ab homine videri per aliam vim cognoscitivam quam per intellectum. Intellectus autem humanus non convertitur ad intelligibilia, nisi mediantibus phantasmatibus, quæ per species intelligibiles a sensibus accipit, et in quibus considerans, de sensibilibus judicat et ea disponit. Et ideo in omni operatione qua intellectus noster abstrahitur a phantasmatibus, necesse est quod abstrahatur a sensibus. Intellectus autem hominis in statu viæ necesse est quod a phantasmatibus abstrahatur, si videat Dei essentiam. Non enim per aliquod phantasma potest Dei essentia videri: quinimo nec per aliquam speciem intelligibilem creatam, quia essentia Dei in infinitum excedit non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem creaturam. Oportet autem cum intellectus hominis elevatur ad ultimam Dei visionem, ut tota mentis intentio illuc advocetur, ita scilicet quod nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in Deum. Unde impossibile est quod homo in statu viæ videat Deum per essentiam sine abstractione a sensibus. Et cum Paulus et Moyses viderunt divinam essentiam, in sententia D. Thomæ et Augustini, per lumen gloriæ communicatum per modum transeuntis, dicendum est quod in statu viæ potest dari contemplatio supernaturalis sine conversione ad phantasmata.

631. Imaginationis operatio potest tripliciter considerari, et

conjungi contemplationi, et quodammodo admisceri. Primo, ita ut imaginationis operatio se tantum habeat antecedenter; secundo, ita ut se tantum habeat concomitanter; tertio, ita ut se simul antecedenter et concomitanter habeat. Imaginationis operatio se tantum habet antecedenter ad contemplationem, quando ex imaginatione oritur contemplatio, sed orta contemplatione cessat imaginatio, per hoc quod mens ab inventa veritate totaliter occupatur, ut in raptu præsertim apparet. Contingit igitur quod dum aliquis ex visibilibus quæ novit surgit ad invisibilia quæ non novit, vel propria industria per contemplationem naturalem, vel infuso lumine per contemplationem supernaturalem, totaliter prædominante intellectu, solum occupatur in contemplatione: tunc imaginatio se habet tantum antecedenter, quatenus contemplatio oritur ex illa, et illa cessante remanet. Imaginationis operatio se habet tantum concomitanter ad contemplationem, quando Deus immediate spiritualia manifestat animæ, quæ dum per intellectum contemplatur, simul per imaginationem circa manifestata suo modo discurrit, propter sympathiam harum potentiarum. Tandem imaginationis operatio se habet antecedenter et concomitanter ad contemplationem, quando ipsa contemplatio ex imaginatione oritur, et durante contemplatione perseverat imaginatio. Ex quibus veluti concluditur quod quævis intellectio saltem ordinaria præsentis status naturaliter ab operatione phantasiæ pendet. Quando autem intellectus operatio est perfectissima et plurimum elevata, tunc non dependet a phantasia, quasi requiratur ad ipsam prædicta conversio ad phantasma.

ARTICULUS VIII.

Datur aliquando contemplatio perfectior in caligine divina.

632. Multa dicta sunt de isto articulo in quæstione proœmiali, art. 5, ubi ad longum de illa disputavimus ex doctrina D. Dionysii et D. Thomæ. D. Dionysius, epist. 5 ad Doroth., loquens de divina caligine, dicit: Est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur, invisibilis quidem existens propter

excedentem claritatem, et inaccessibilis propter excessum supersubstantialis luminis effusionis. Cum igitur Deus sit lux clarissima, et intellectus nostri facultatem excedens, cui se magis communicat, ipsum nimia propinquitate offuscat, nisi desuper roboretur ut intueri possit quidditative, quod in via raro contingit. Unde sicut qui in ipsam solis lucem in ipso sole formaliter existentem suum defigit oculum, ex nimia ejus luce improportionata potentia penitus offuscata tenebras et caliginem patitur, et hoc est illi lucem eam conspicere, cernere se non posse eam in sua virtute et puritate oculis irreverberatis conspicari: sic qui Deum intime præsentem contemplatur, supereminenti luce ipsius offuscatur, et tenebras et caliginem ex nimio splendore ipsius patitur; et in hac caligine videt quod ipse est esse purum, simplicissimum, incircumscriptum, bonitas infinita, veritas increata, unitas summa, superbeatissima vita, sapientia prorsus immensa.

633. Advertendum tamen est quod quanto major est caligo, tanto perfectius anima Deum cognoscit, non quidem aliquid distincte percipiens, sed indistincte et eminenter Deum sibi præsentem infinite perfectum cognoscens. Hæc enim divina caligo non importat simpliciter privationem luminis, imo superexcedens importat lumen ex parte Dei, quod naturale vel connaturale pro hoc statu lumen intellectus offuscat, et sic quamvis quodammodo offuscatus non distincte et singillatim in Deo perfectiones consideret, eas tamen conjunctim et in quadam eminentia percipit. Ratio autem quare hoc lumen divinitus communicatum causet tenebras, potest desumi tum ex aliquali indispositione animæ, quæ semper ex societate corporis gravatur, nunquam ei in via perfecte dominatur; unde sicut lux materialis quo major, eo majores causat tenebras in oculo debili et indisposito, ut ipsa constat experientia; sic lux ista spiritualis et divina quo major, eo majores causat tenebras in anima aliqualiter indisposita ex parte præsentis status, quo peregrinamur a Deo: requiritur enim quod in fide ambulantes tantum videamus per speculum in ænigmate, nisi forte Deus cum aliquo dispensaverit. Ut autem in eadem comparatione persistamus, sicut quo major est et clarior lux solis, eo magis in confuso videt oculus per eam offuscatus ejusdem solis perfectionem, quamvis distincte et particulariter nihil in eo

possit intueri ex sua debilitate et imperfectione: sic contingit in præsenti contemplatione caliginis. Et ideo Dionysius vocat radium tenebrarum.

634. Advertendum est etiam quod dicit de hac caligine beata Angela, cap. 25: Et post istud vidi Deum in tenebra una; et ideo in tenebra quia est majus bonum quod possit cogitari vel intelligi, et omne quod potest cogitari vel intelligi non attingit ad illud. Et tunc data fuit animæ fides certissima, una spes secura et firma, una securitas de Deo continua, ita quod abstulit omnem timorem; et in illo bono quod videtur ita in tenebra recollegi me totam, et effecta sum ita secura de Deo, quod nunquam possum dubitare de eo, quin Deum habeam certissime; et in illo bono efficacissimo, quod videtur in tenebra, est modo spes mea tota recollecta et secura. Frequenter igitur video Deum illo modo et in illo bono, quod narrari exterius non potest, nec etiam cogitari corde. In illo, inquam, bono certissimo et incluso, quod intelligo cum tanta tenebra, habeo totam spem meam, et in videndo, quidquid volo habere, totum habeo; quidquid volo scire, totum scio: et video ibi omne bonum. Nec anima in videndo potest cogitare de discessu illius boni, vel de discessu ab illo bono, nec quod debeat de cætero discedere: sed delectatur ineffabiliter in omni illo bono, et nihil videt omnino anima quod narrari possit ore, nec etiam concipi corde; et nihil videt, et videt omnino omnia. Et quia illud bonum est cum tenebra, ideo magis certissimum et magis superans omnia, quanto magis videtur in tenebra, et est secretissimum. Et postea video cum tenebra quod superat omne bonum, et omnia, et omne aliud est tenebra, et omne quod cogitari potest est minus illo bono. Sed isto modo quando videtur Deus in tenebra, non apportat risum in ore, nec fervorem, nec devotionem in corde, nec ferventem amorem, quia corpus non tremit, nec movetur, nec sic alteratur, sicut consuevit fieri in aliis; corpus enim nihil videt, sed anima videt, et corpus quiescit et dormit, et truncatur lingua, quia tunc nihil potest loqui. Et omnes amicitiæ quas Deus ostendit mihi multas, et inenarrabiles, et omnia verba dulcia ab eo mihi dicta, et omnia alia data, factaque in tantum sunt minus illo bono, quod video cum tenebra tanta quod non pono spem meam in illis; imo, si possibile esset quod essent omnia non

vera, nullo tamen modo minuerent spem meam, nec minueretur spes mea securissima, quæ est certa illo omni bono quod video cum tanta tenebra. Ad istum autem prædictum modum altissimum et omnino ineffabilem videndi Deum cum tanta tenebra et supermirabili gratia visionis, est mens mea tribus tantum vicibus elevata, quamvis multis et innumeris vicibus viderim istud omne bonum semper cum tenebra, sed non prædicto altissimo modo cum tanta tenebra. Video enim sanctam Trinitatem in tenebra, et in ipsa Trinitate, quam video in tanta tenebra, videtur mihi quod ego stem et maneam in ejus medio, et illud trahit me plus quam alia res aliqua, quam hactenus habuerim, vel aliquod bonum viderim: ita quod istius non est comparatio ad illa.

635. Sic igitur anima contemplativa manet sedens in divina caligine, et immediate coram ignota gloriosa divinitatis præsentia, ubi sine merito gloriosum illud lumen in ipsa refulget caligine, licet mentis nostræ tenebræ lumen ipsum comprehendere non valeant. Habet ibi anima quamdam occupationem otiosam, scilicet amorosam anhelationem ad nudam et gloriosam dilecti sui faciem videndam. Hæc autem amorosa anhelatio simul in caligine tria complectitur, scilicet tædium, desiderium et spem. Tædium quidem in omnibus quæ sub hac caligine continentur: quoniam ubi dilectum suum minime reperire valet, nisi in imaginibus et similitudinibus, quem facie ad faciem videre desiderat; hinc etiam quoddam amorosum tædium de ipsa caligine, quam inhabitare cogitur: non enim ignorat quod ipsius occultatio dilecti contingit ex parte proprii defectus, cum Deus in se gloriosum lumen esse dignoscatur, in quo tenebræ non sunt ullæ, ut dicitur I. Joan. v. Et ideo creatis universis in se ipso cognoscibilior est creaturis intellectualibus, licet ipsum agnoscere nequeant, eo quod intellectualis earum oculus per lumen spirituale nondum ad hoc habilitatus est; nec etiam per lumen gloriæ, quod semper necessario requiritur, sicut sol materialis creaturis universis in se magis est visibilis, utpote fons ipse visibilis lucis: verumtamen universi corporales oculi illam aspicere propter nimiam claritatem non possunt, ob eorum debilitatem et inhabilitatem. Sic ergo felix anima tædium sustinet suæ caliginis, quam ex se ipsa causatam agnoscit, licet se ad hanc divinam caliginem intrasse pro magno ducat

bono. Complectitur autem desiderium quoddam vehemens ad gloriosam et nudam dilecti sui faciem videndam et fruendam in plenitudine amoris, quia nunquam plenum gaudium nisi in perfecta Dei visione et cognitione poterit obtinere: quæ tamen in hac caligine non habetur, licet sit maxima quæ in hac mortali vita potest haberi. Tandem spem firmam et securam complectitur: cum enim anima tot ibi Dei favores experiatur, ipsumque Deum præsentem, etsi prædicta caligine absconditum percipiat, ad apertam ipsius visionem ac perfecte fruitivam unionem aliquando se perventuram sperat. Ista tamen non turbant animi pacem internam, quia resignationi ac perfectæ conformitati ad voluntatem Dei subjacent: imo maxima hic pax viget et jucunditas.

636. Hanc internam pacem et tranquillitatem animæ magna spiritus dulcedo, seu mira suavitas concomitatur, de qua loquitur Richardus de S. Victore in lib. Benjamin minor, c. 37, ubi sic ait: Hanc internæ dulcedinis degustationem Scriptura sacra nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, ut quam sit parva vel magna ostendat: parva quidem ad comparationem futuræ plenitudinis; magna autem in comparatione cujuslibet mundanæ jucunditatis. Præsens enim spiritualium virorum delectatio futuræ vitæ gaudiis comparata quantumlibet excrescens, invenitur parva; in cujus comparatione tamen omnis exteriorum delectationum suavitas est nulla. O dulcedo miranda, dulcedo tam magna, dulcedo tam parva! Quomodo non magna, quæ mundana omnia excedis? Quomodo non parva, quæ de illa plenitudine vix stillam modicam decarpis? modicum quidem de tantæ felicitatis pelago mentibus instillas; mentem tamen quam infundis, plene inebrias. Merito tantillum de tanto gustus quidem dicitur; merito nihilominus quæ mentem a se ipsa alienat, ebrietas nominatur. Gustus vero est, et ebrietas jure dici potest: Gustate, inquit Propheta, et videte quoniam suavis est Dominus. Et apostolus Petrus: Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus. Et de ebrietate idem Propheta: Visitasti terram et inebriasti eam.

ARTICULUS IX.

Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit.

637. Raptus, ut jam dixi articulo antecedenti, ex D. Thoma nihil aliud est quam elevatio ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam vi superioris naturæ. Et sic contemplatio raptus proprie dicitur modi nescia: sic enim anima supra se ipsam rapitur, et intima suavitate, quod sæpius ignoret et nesciat animo quid, ubi et quomodo Deus in ea mirabiliter operetur. Aliquando causa raptus in contemplatione est magnitudo admirationis. D. Thomas exponens illud Psal. xxx: Ego dixi in excessu mentis meæ, dicit sic: Excessus contingit quandoque ex causa inferiori, et hoc quando videt stupenda, ex quibus fit extra se; Actor. III: Repleti sunt stupore et extasi. Quandoque a causa superiori, quando contemplatur quis divina, et rapitur extra se, supra se; II. Cor. v: Sive mente excedimus Deo. Sic ergo elevatus ad divina dicit: Projectus sum a facie oculorum tuorum, idest perpendi me longe esse a te. Quia quanto homo magis accedit ad Deum, tanto se minorem advertit; Job ult.: Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Vel si intelligatur quantum ad excessum causæ inferioris, quod innuit littera Hieronymi, aliquando homo considerat gravitatem peccatorum vel malorum imminentium, et ex hoc reputat se derelictum: sicut Christus in persona suorum dixit, Matth. XXVII: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et sic dixit hoc David: Considerans mala quæ mihi veniunt, projectus sum. Hæc ille. Explicans D. Thomas illud D. Pauli, II. Cor. v: Sive mente excedimus Deo, idest elevamur ad hoc quod percipiamus dona gratiarum, et hoc ut Deo scilicet uniamur, quod fit per excessum; Psal. cxv: Ego dixi in excessu mentis meæ; et ea causatur ex admiratione rerum divinarum. D. Thomas in II. Sent., dist. 18, q. 1, art. 3, dicit quod admiratio duo requirit, et quod causa sit occulta et aliquid in re videatur repugnans; quando anima humana supra se ipsam ducitur, divinis splendoribus irradiata, præ admiratione suspenditur et admiratur, dum ali-

quid cernit præter spem, et supra æstimationem. D. Thomas explicans illud Joan. III: Non mireris quia dixi tibi: Duplex est admiratio. Una devotionis, secundum quod aliquis magnalia Dei considerans, cognoscit ea sibi incomprehensibilia esse: unde relinquitur admirationi locus, secundum illud Psal. XCII: Mirabilis in altis Dominus. Et alibi, CXVIII: Mirabilia testimonia tua. Et ad hanc homines sunt inducendi, non prohibendi. Alia est infidelitatis, dum quis ea quæ dicuntur non credens, miratur. Unde dicitur, Matth. XIII, quod mirabantur in doctrina Christi. De prima loquimur in præsenti. Quando anima in contemplatione suspenditur, tanta est admiratio devotionis considerans magnalia Dei, quod cognoscit illa esse incomprehensibilia.

638. Aliquando causa raptus est magnitudo amoris. D. Thomas, 1 2, q. 28, art. 3, quærit utrum extasis sit effectus amoris. Respondet in argumento Sed contra auctoritate D. Dionysii, cap. 4, De divinis nominibus, quod divinus amor extasim facit, et quod ipse Deus propter amorem est extasim passus. Cum ergo quilibet amor sit quædam similitudo participata divini amoris, ut ibidem dicitur, videtur quod quilibet amor causet extasim. In corpore respondet quod extasim pati aliquis dicitur cum extra se ponitur; quod quidem contingit et secundum vim apprehensivam et secundum vim appetitivam. Secundum quidem vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur, sicut homo dum elevatur ad comprehendenda aliqua quæ sunt supra sensum et rationem, dicitur extasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis et sensus; vel quia ad inferiora deprimitur, puta cum aliquis in furiam vel amentiam cadit, dicitur extasim passus. Secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis extasim pati quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra se ipsum. Primam quidem extasim facit amor dispositive, in quantum scilicet facit meditari de amato, ut dictum est. Intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis. Sed secundam extasim facit amor directe: simpliciter quidem amor amicitiæ; amor autem concupiscentiæ non simpliciter, sed secundum quid. Nam in amore concupiscentiæ quodammodo fertur amans extra se ipsum, in quantum scil. non contentus gaudere de bono quod habet, quærit frui aliquo extra se: sed quia illud

extrinsecum bonum quærit sibi habere, non exit simpliciter extra se. Sed talis affectio in fine intra ipsam concluditur. Sed in amore amicitiæ affectus alicujus simpliciter exit extra se: quia vult amico bonum, et operatur bonum, quasi gerens curam et providentiam ipsius propter ipsum amicum. Hæc ille.

639. Idem D. Thomas, 2 2, qu. 175, art. 2 in corp., loquendo de raptu, dicit: Alio modo potest considerari raptus quantum ad suam causam, et sic potest habere causam ex parte appetitivæ virtutis. Ex hoc enim ipso quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Habet etiam affectum in appetitiva virtute, cum scilicet aliquis delectatur in his ad quæ rapitur. Unde et Apostolus dixit se raptum non solum ad tertium cœlum, quod pertinet ad contemplationem intellectus, sed etiam in paradisum, quod pertinet ad affectum. Hæc ille. Dum enim per contemplationem anima divinam intuetur pulchritudinem, tanto fruitionis ejus desiderio succenditur, tantæque devotionis ac amoris ipsius flamma ultra humanum modum excrescit, ut ad ceræ similitudinem, quasi liquefacta a pristino statu penitus resolvatur, et sic attenuata quasi fumus ima deserat et ad superiora dirigatur, juxta illud Cant. III: Quæ est ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Sicut enim in naturalibus calore solis, aut ignis aqua paulatim calescit, postea fervet, deinde in tenuiores partes resoluta, et multum attenuata ab imis sursum elevatur supra suum connaturalem locum; sic in præsenti modo explicato contingit in anima, quæ divini amoris calore succensa, magis ac magis æstuat, donec tandem ferveat et superferveat, ac impellentibus desideriis extra se tandem ejecta, suique penitus oblita, et per extasim sublevata, sursum tota rapitur, et sic in quamdam divinæ suavitatis dulcedinem absorbetur; qua dulcedine nihil in hac vita sentitur jucundius, nihil sic animam ab amore mundi elongat, nihil sic mentem contra tentationes roborat: quem enim talis gustus inebriaverit, ad omne opus et omnem laborem hilarescit; laborat, et non lacessit; festinat, non deficit; dolet, non sentit.

640. D. Thomas, explicans eumdem locum, dicit: Anima fidelis est sicut virgula fumi. Fumus ex igne nascitur, et mox altiora aeris expetit, donec aspectibus intuentium subtrahatur.

Fumus significat sanctum desiderium igne divini amoris profusum. Nec absolute fumo comparatur, sed virgulæ fumi, quia anima sancta Deum amans, gracilis est et delicata, disciplinis Spiritus sancti extenuata, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Sive virgulæ fumi, non sparso fumo, comparatur propter unitatem Ecclesiæ, quæ in Christo una est. Unde vero esset ille fumus, ostendit cum subdit: Myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Myrrha condiuntur defunctorum corpora, thus adoletur in sacrificio Dei. Ideoque per myrrham carnis mortificatio designatur, per thus munditia orationum exprimitur. Virgula ergo fumi myrrhæ et thuris sunt Sancti, qui mortificatione carnis suæ et orationibus mundo ac simplici corde profusis, Deo placere student. Et universi, inquit, pulveris pigmentarii, idest congerie omnium virtutum. Hæc ille.

641. Causa raptus aliquando est magnitudo jucunditatis quæ percipitur in contemplatione. Divus Thomas explicans illud Psal. XXXII: Cantate ei canticum novum, dicit sic: Secundum spiritualem intellectum, de duobus debet homo exultare, scilicet de bonis gratiæ susceptis, et de bonis gloriæ expectatis. Per prima bona innovamur; Ephes. IV: Renovamini spiritu mentis vestræ. Rom. VI: In novitate vitæ ambulemus. Ille ergo cantat canticum novum qui exultat Deo in renovatione gratiæ; Apoc. XIV: Cantabunt Sancti canticum novum. Ille ergo bene psallit in vociferatione qui de bonis gloriæ cantat, et canticum quod homo corde concipit exprimit verbis. Vel in jubilatione, seu in jubilo, secundum Hieronymum. Est autem jubilus lætitia ineffabilis quæ verbis exprimi non potest, sed voce datur intelligi gaudiorum latitudo immensa. Illa autem quæ non possunt exprimi sunt bona gloriæ; I. Cor. II: Oculus non vidit, nec auris audivit, etc. Hæc ille.

642. D. Thomas explicans illud Psal. XLVI: Omnes gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis, dicit sic: Secundum Glossam, est ineffabile gaudium quod nec taceri potest, sed non potest exprimi, quia excedit comprehensionem. Et talis est bonitas Dei, quæ non potest exprimi: et si exprimatur, imperfecte tamen exprimitur. Et ideo dicebat Jerem.: A, a, a, ecce nescio loqui. Et hunc modum designat Ecclesia quando in eadem dictione multiplicat notas. Psal. LXV: Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite, etc. Sic enim anima ex

divinæ pulchritudinis aliquali visione et inchoata fruitione repletur jucunditate, et affluit deliciis, ut supra se rapta dilecto suo innitatur, juxta illud Cantic. VIII: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Non enim ad hujusmodi ascensum sufficit ei jucunditatem participare et delicias habere, sed requiritur quod jucunditate repleatur et deliciis affluat; solus enim jucunditatis et deliciarum excessus potest animam de hoc deserto ad cœlestem sphæram sublimare, quæ dilecto suo dulciter ac fortiter inniti describitur, quia non propriis viribus in hunc ascensum, sed illius virtute sustollitur, qui sua dignatione dilectam suam deducit in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis. Aurum, ex D. Thoma, 2 2, q. 77, art. 2 ad 1, habet virtutem lætificandi; illud aurum divinæ bonitatis, quod in contemplatione supernaturali anima videt, lætificat illam et in extasim rapit. D. Thomas, super cap. XLII Isaiæ, ponit quintuplicem aquam, et ultimam, quam debemus bibere, est aqua æternæ lætitiæ; Prov. V: Bibe aquam de cisterna tua, fluenta putei tui; quæ consurgit ex cognitione bonitatis Dei. D. Thomas exponens illud Ps. XLI: In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis, dicit sic: Hic describitur modus transeundi usque ad domum Dei. Erat autem consuetudo quod quando aliqui per turmas ibant ad tabernaculum, ibant cum gaudio; Isa. XXX: Canticum erit vobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis et lætitiæ, sic qui pergit cum tibia gaudenter vadit; et ideo dicit: Ibo in locum tabernaculi; et cum gaudio, quia in voce exultationis et confessionis sonus exultantis. Alia littera habet: Sonus epulantis; quasi dicat: Ibo in voce soni epulantis, quia in epulis est sonus gaudii: et hoc magis patet secundum alias lætitias quæ sunt ibi. In contemplatione supernaturali est exultatio de bonis habitis; Isaiæ XXXV: Gaudium et lætitiam obtinebunt. Secundo, est in contemplatione confessio de beneficiis gratiæ, quia cognoscunt se illa obtinuisse per gratiam Dei, et ideo confitebuntur mirabilia Dei, et sequitur gratiarum actio et vox laudis. Tertio, est in ea spiritualis refectio; Isaiæ penultimo: Servi mei comedent, et vos esurietis; et ideo erit ibi sonus epulantis; Baruch V: Conspice Jerusalem ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. Hæc ille.

643. Advertendum est quod in contemplatione supernaturali

multoties accidit quod incipientes, rerum divinarum ignari vel inexperti, dum divina degustare incipiunt, ad minimam visionem aut revelationem extra se rapiantur, præ visæ pulchritudinis admiratione, amore et jucunditate; cum tamen viri perfecti multo majora et pulchriora videntes ac audientes, velut assuefacti talibus divinis communicationibus, non moveantur hujusmodi affectibus; quia ab assuetis non fit passio. Unde rariores sunt in viris perfectis raptus, quam in incipientibus. Contingit tamen aliquando quod in viris etiam perfectis sint raptus, qui vere ex objecti manifestati nobilitate, vel ex interni luminis divinitus infusi splendore et abundantia procedant; dum scilicet vel sublimior aliqua veritas divina nunquam prius ostensa, vel eadem clarius et evidentius demonstretur. Non enim Deus æqualiter se omnibus communicat et suas perfectiones manifestat; sed ordinarie, dum incipientes vult speciali favore prosequi ac divinæ signum amicitiæ liberaliter exhibere, primo, corporales sanctorum angelorum, et sacratissimæ humanitatis suæ visiones et locutiones communicat; deinde visiones imaginarias sublimiores largitur, sed proficientibus intellectuales sublimissimas. Nobilitas contemplationis supernaturalis desumenda est non ex eo quod animæ raptum causat, sed juxta nobilitatem objecti et perfectionem infusi luminis cum expressiore specierum repræsentatione debet attendi; species autem vel sunt intentionales in sensibus externis, vel imaginariæ in sensibus internis, vel intelligibiles in intellectu. Rursus ex istis, quædam sunt a phantasmatibus abstractæ et connaturaliter ordinatæ; quædam licet naturaliter abstractæ, sunt tamen ad perfectius repræsentandum divinitus coordinatæ; quædam sunt supernaturaliter, aut præternaturaliter infusæ.

ARTICULUS X.

Contemplatio supernaturalis aliquando ad claram Dei visionem pertingit.

644. D. Thomas, 1 p., q. 12, art. 11 ad 2; et 2 2, q. 175, art. 3, et in multis aliis locis, affirmat Paulum vidisse divinam essentiam per modum transeuntis; id etiam affirmat de Moyse,

et pie creditur hoc privilegium non esse denegandum sanctissimæ Virgini Dei genitrici Mariæ, quia congruum est ut privilegia servis suis concessa, concedantur etiam suæ sanctissimæ Matri, dummodo conditioni ipsius non repugnent. Divus Thomas, De veritate, q. 13, art. 4, quærit quænam abstractio requiratur ad hoc quod intellectus Deum per essentiam videre possit. Et respondet Sanctus in argumento Sed contra, triplici ratione. Prima, Exodi XXXIII, dicit Glossa Gregorii super illud: Non videbit me homo, etc.: A quibusdam in hac carne viventibus, sed inæstimabili virtute crescentibus, potest æterna videri claritas Dei; sed claritas Dei est ejus essentia, ut in eadem Glossa dicitur: ergo ad hoc quod essentia Dei videatur, non oportet quod fiat omnimoda separatio animæ a corpore. Secunda Augustini, IX super Genes. ad litteram, dicit quod anima rapitur non solum ad visionem imaginariam, sed ad intellectualem, qua ipsa veritas perspicue cernitur, facta aversione a sensibus minus quam in morte, sed plus quam in somno: ergo ad videndam veritatem increatam, de qua Augustinus ibi loquitur, non requiritur quod fiat abstractio ab unione, qua anima corpori unitur, ut forma. Tertia Augustini in epistola ad Paulinum de videndo Deum: Non est, inquit, incredibile quibusdam sanctis, nondum ita defunctis ut sepelienda cadavera remanerent, etiam istam excellentiam revelationis fuisse concessam, ut scil. Deum per essentiam viderent: ergo anima potest Deum videre adhuc corpori unita, ut forma.

645. In corpore dicit D. Thomas quod ad visionem divinæ essentiæ, quæ est actus perfectissimus intellectus, requiritur abstractio ab illis quæ vehementiam intellectivi actus nata sunt impedire, et per eam impediuntur. Hoc autem in quibusdam contingit per se, in quibusdam per accidens: per se quidem impediunt se invicem intellectivæ et sensitivæ operationes, tum per hoc quod in utrisque operationibus oportet intentionem esse, tum etiam quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admisceretur, cum a phantasmatibus accipiat, et ita in sensibilibus operationibus, quodammodo intellectus puritas inquinatur: sed ad hoc quod anima corpori uniatur ut forma, non requiritur aliqua intentio, cum hæc unio non dependeat ex voluntate animæ, sed magis ex natura; similiter ex tali unione puritas intellectus directe non inquinatur. Anima

enim non unitur corpori ut forma, mediantibus suis potentiis, sed per essentiam suam, cum nihil sit medium inter materiam et formam, ut probatur VIII. Metaph. Nec tamen essentia animæ corpori ita unitur quod totaliter corporis conditionem sequatur, sicut aliæ formæ materiales, quæ sunt omnino in materia quasi submersæ, in tantum quod nulla virtus aut actio ex eis prodire potest nisi materialis. Ab essentia vero animæ non solum procedunt quædam vires seu potentiæ, quæ sunt quodammodo corporales, utpote corporeorum organorum actus existentes, scilicet vires sensitivæ et vegetativæ: sed vires intellectivæ, quæ sunt penitus immateriales, nullius corporis aut partis corporis actus existentes, ut probatur III. De anima. Unde patet quod vires intellectivæ non procedunt ab essentia animæ ex illa parte qua est corpori unita: sed magis secundum hoc quod remanet a corpore libera, utpote ei non totaliter subjugata, et sic unio animæ ad corpus non pertingit usque ad operationes intellectus, ut possit ejus puritatem impedire; unde per se loquendo ad operationem intellectus, quantumcumque intenditur, non requiritur abstractio ab illa unione qua anima corpori unitur, ut forma.

646. Similiter nec requiritur abstractio ab operationibus animæ vegetabilis. Operationes enim hujus partis animæ sunt quasi naturales, quod patet ex hoc quod complentur virtute qualitatum activarum et passivarum, scilicet calidi et frigidi, humidi et sicci. Unde nec rationi, sive voluntati, obediunt, ut patet in I. Ethic. Et sic patet quod ad hujusmodi actiones non requiritur intentio, et ita per earum actus non oportet intentionem verti ab operativa. Similiter nec operatio intellectiva aliquo modo hujusmodi operationibus admiscetur, cum neque ab eis accipiat, propter hoc quod non sunt cognoscitivæ; neque instrumento aliquo corporeo utatur intellectus, quod oporteat per operationem animæ vegetabilis sustentari, sicut accidit in organis potentiarum sensitivarum; et sic puritati intellectus nihil præjudicatur per operationes animæ vegetativæ. Unde patet quod per se loquendo operatio animæ vegetabilis et operatio animæ intellectivæ non se impediunt. Per accidens autem potest ex altera alteri impedimentum provenire, in quantum scilicet intellectus accipit a phantasmatibus, quæ sunt in organis corporalibus, quæ oportet per actum vegetabilis animæ

nutriri et conservari : et sic per actus nutritivæ potentiæ eorum dispositio variatur, et per consequens operatio potentiæ sensitivæ, a qua intellectus incipit, et ita per accidens ipsius intellectus operatio impeditur, sicut patet in somno et post cibum. Et e converso per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animæ vegetativæ, in quantum ad operationem intellectus requiritur operatio imaginativæ virtutis, ad cujus vehementiam oportet caloris et spirituum concursum fieri, et sic impeditur actus virtutis nutritivæ per vehementiam contemplationis : sed hoc non habet locum in illa contemplatione, qua Dei essentia videtur ; cum talis contemplatio imaginationis operatione non egeat. Et sic patet quod ad videndum Deum per essentiam nullo modo requiritur abstractio ab actibus animæ vegetabilis, nec aliqua eorum debilitatio : sed solum ab actibus sensitivarum potentiarum.

647. Idem D. Thomas, in eadem quæstione, articulo antecedenti, quærit utrum intellectus alicujus viatoris elevari possit ad videndum Deum per essentiam, præter hoc quod a sensibus abstrahatur. Respondet negative. Probat in arg. Sed contra, septem rationibus ; et quia omnes sunt admirabiles, et tanti doctoris, et per illas aliquid particulare nobis innotescit, ideo omnes adducentur. Prima. Augustinus dicit super Genes. XII, Ad litteram, ut habetur in Glossa, II. Cor. XIII : In illa specie, quæ Deus est, nemo Deum videns vivet vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporeis : sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a corporeis sensibus ut meritonesciat utrum in corpore, an extra corpus sit, in illam non rapitur, et subvehitur visionem. — Secunda, II. Corinth. V, super illud : Sive mente excedimus, dicit Glossa : Excessum mentis dicit quo mens elevatur ad intelligenda cœlestia, ita ut quodammodo de mente labantur inferiora. In hoc mentis excessu fuerunt omnes Sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia revelata sunt : ergo quicumque videt Deum per essentiam, oportet quod avertatur a consideratione inferiorum, et ita per consequens ab usu sensuum, quibus nonnisi inferiora considerantur. — Tertia, in Ps. LXVI : Ibi Benjamin, i. e. Paulus, ut dicit Glossa, in mentis excessu, mente scilicet alienata a sensibus corporeis, ut quando raptus fuit usque ad tertium

cœlum; intelligitur visio Dei per essentiam, ut dicit Augustinus: ergo visio Dei per essentiam requirit alienationem a corporibus sensibilibus. — Quarta, efficacior est operatio intellectus, qui ad videndum Dei essentiam elevatur, quam quæcumque imaginationis operatio: sed aliquando homo propter vehementiam imaginationis abstrahitur a corporeis sensibus: ergo multo fortius oportet quod abstrahatur ab eis quando in divinam provehitur visionem. — Quinta, Damascenus dicit: Delicata est divina consolatio, quæ non datur admittentibus aliena: ergo eadem ratione divina visio non compatitur secum rei alterius visionem, et ita non compatitur secum usum sensuum. — Sexta, ad videndum Deum per essentiam requiritur summa cordis munditia; Matth. v: Beati mundo corde; et cor dupliciter immundatur, scilicet contaminatione peccati et materialibus phantasiis, ut dicit Dionysius, c. 7, De cœlesti hierarch. — Septima, I. Cor. XIII dicitur: Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est: sed perfectum ibi nominatur visio Dei per essentiam, imperfectum vero visio specularis et ænigmatica, quæ est per sensibilia: ergo quando aliquis elevatur ad visionem Dei per essentiam, oportet quod abstrahatur a visione sensibilium. Hæc ille.

648. Relinquuntur rationes quas adducit in corpore, quia subtilissimæ, et quia jam insinuantur in his quæ adductæ sunt ex argumento Sed contra. Solum est advertendum esse aliquas glossas quæ videntur probare, ad videndum Deum esse necessariam separationem animæ a corpore. Glossa divi Augustini super illud Exodi XXXIII: Non videbit me homo et vivet, dicit: Ostendit huic vitæ corruptibilis carnis Deum sicuti est apparere non posse: in illa tamen vita potest; ut vivatur, huic vitæ moriendum est. Et Glossa Gregorii ibidem: Qui sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur: sed mors est per separationem animæ a corpore, cui uniebatur ut forma: oportet ergo fieri separationem omnimodam a corpore ad hoc, quod Deus per essentiam videatur. Respondet D. Thomas quod vivere dicitur dupliciter. Uno modo ipsum esse viventis, quod relinquitur ex hoc quod anima uniatur corpori, ut forma. Alio modo ponitur vivere pro operatione vitæ: et sic distinguit Philosophus in II. de anima, vivere per intelligere et sentire, et alias animæ operationes. Et similiter cum mors sit privatio

vitæ, oportet quod similiter distinguatur, ita quod quandoque designet privationem illius unionis qua anima corpori unitur ut forma, aliquando vero privationem operum vitæ. Unde Augustinus, Super Genes. ad litteram: Ab hac vita, inquit, quisque quodammodo moritur, sive omnino exiens de corpore, sive aversus et alienatus a carnalibus sensibus; et sic accipitur mori in Glossis adductis: quod patet ex hoc quod subjungitur in Glossa Gregorii: Qui sapientiam, inquit, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne ejus amore teneatur. Et per hoc patet solutio.

DISPUTATIO IV.

DE PRINCIPIO FORMALI ELICITIVO AC MEDIO CONTEMPLATIONIS SUPERNATURALIS.

ARTICULUS I.

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum scientiæ.

649. Pro isto articulo videnda sunt quæ de dono scientiæ recensita sunt Quæst. de donis, art. de dono sapientiæ et scientiæ, et illa omnia maxime conducunt ad intelligentiam hujus articuli. Et cum contemplatio sit actus intellectus, solum potest juvari a donis quæ pertinent ad intellectum, et unum ex illis est donum scientiæ. D. Thomas, 2 2, q. 9, art. 1, loquens de dono scientiæ, dicit quod gratia est perfectior quam natura: unde non deficit in his in quibus homo per naturam perfici potest. Cum autem homo per naturalem rationem assentit secundum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam: primo quidem quia capit eam; secundo, quia de ea certum judicium habet. Et ideo ad hoc quod intellectus humanus perfecte assentiat veritati fidei, duo requiruntur. Quorum unum est quod sane capiat ea quæ proponuntur, quod

pertinet ad donum intellectus; aliud autem est ut habeat certum et rectum judicium de eis, discernendo scilicet credenda a non credendis: et ad hoc necessarium est donum scientiæ. Dicit D. Thomas, solutione ad 1: In Deo est certum judicium veritatis absque omni discursu per simplicem intuitum. Et ideo divina scientia non est discursiva, vel ratiocinativa, sed absoluta et simplex; cui similis est scientia quæ ponitur donum Spiritus sancti, cum sit quædam participata similitudo ipsius; et sic quando est principium contemplationis supernaturalis, est sine discursu, sed potius ex quadam experientia. Et in solutione ad 2 dicit S. Doctor quod circa credenda duplex scientia potest haberi. Una quidem per quam homo scit quid credere debeat, discernens credenda a non credendis, et secundum hoc scientia est donum, et convenit omnibus sanctis. Alia vero est scientia circa credenda, per quam homo non solum scit quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, et alios ad credendum inducere. Et ista scientia ponitur inter gratias gratis datas.

650. In art. 2 ejusdem quæstionis quærit utrum donum scientiæ sit circa res divinas, et respondet in corpore dicendo quod certum judicium de re aliqua maxime datur ex causa, et ideo secundum ordinem causarum oportet esse ordinem judiciorum. Sicut enim causa prima est causa secundæ, ita per causam primam judicatur de causa secunda. De causa autem prima non potest judicari per aliam causam. Et ideo judicium quod fit per causam primam, est primum et perfectissimum. In his autem in quibus aliquid est perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his quæ deficiunt a perfectissimo; ipsi autem perfectissimo adaptatur aliud speciale nomen, ut patet n Logicis. Nam in genere convertibilium illud quod significat quod quid est, speciali nomine definitio vocatur: quæ autem ab hoc deficiunt convertibilia existentia, nomen commune sibi retinent, scilicet quod propria dicuntur. Quia ergo nomen scientiæ importat quamdam certitudinem judicii, ut dictum est, siquidem certitudo judicii fit per altissimam causam, habet speciale nomen, quod est sapientia. Dicitur enim sapiens in unoquoque genere qui novit altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus judicare; simpliciter autem sapiens dicitur qui novit altissimam causam simpliciter, scilicet Deum. Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur sapientia.

cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem judicii, appropriato ad judicium, quod fit per causas secundas. Et ideo sic accipiendo scientiæ nomen, ponitur donum distinctum a dono sapientiæ. Unde donum scientiæ est solum circa res humanas, vel solum circa res creatas.

651. D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. Corinth. VIII: Scientia inflat, charitas vero ædificat, ostendit quomodo sine charitate scientiam inutiliter habent, quasi dicat: Habetis quidem scientiam, sed non valet vobis, quia inde superbitis contra ignaros. Scientia autem, si sola est, inflat; Eccle. I: In multa sapientia multa est indignatio; Actor. XXVI: Multæ litteræ te faciunt insanire. Hæc enim fuit plaga Ægyptiorum, idest sapientium hujus mundi, vescicæ turgentes; Exodi IX. Charitas vero ædificat infirmos, quæ quod eis obesse potest, dimittit, quia non quærit quæ sua sunt. Unde addenda est scientiæ charitas. Augustinus: Addite ergo scientiæ charitatem, et utilis erit scientia. Sed scientia de qua loquimur in isto articulo, quæ est de dono scientiæ, semper est conjuncta charitati. Scire aut nihil aut parum prodest ad virtutem. Deinde cum dicit Apostolus: Si quis autem existimat, ostendit a quibus hæc scientia habetur insufficienter, quia ab illis qui ea utuntur in nocumentum proximi: et est sua ratio talis. Quicumque habet scientiam et non modum utendi ea, habet scientiam insufficienter; sed qui habet scientiam sine charitate est hujusmodi: ergo qui habet scientiam sine charitate, habet insufficienter scientiam. Notat D. Thomas quod ad hoc quod aliquis sciat quemadmodum oportet eum scire, novem sunt necessaria. Primo, humiliter, sine inflatione; Philipp. IV: Scio humiliari; Psal. CXXX: Si non humiliter sentiebam. Secundo, sobrie, sine præsumptione; ad Rom. XII: Non plus sapere quam oportet. Tertio, certitudinaliter, sine hæsitatione; II. Tim. I: Scio cui credidi, et certus sum. Quarto, veraciter et sine errore; II. Tim. III: Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Quinto, simpliciter, sine disceptatione; I. Tim. VI: Oppositiones falsi nominis scientiæ. Sexto, salubriter, cum charitate et delectatione; I Cor. XIII: Si habuero omnem scientiam, charitatem autem non habuero Septimo, utiliter cum proximorum ædificatione; I. Cor. XII: Alii datur sermo

scientiæ in eodem spiritu. Octavo, liberaliter cum gratuita communicatione; Sap. VI: Ponam in lucem sapientiam ejus. Nono, efficaciter cum bona operatione; Jac. IV: Scienti enim bonum et non facienti, peccatum est illi. — Primum, scilicet humilitas scientiæ, arguit sapientes superbos; sobrietas, curiosos; certitudo, dubiosos; veritas, hæreticos; simplicitas, advocatos; salubritas, magnos; utilitas, iniquos; liberalitas, avaros; efficacia, otiosos. Hæc ille. Cum donum scientiæ semper sit conjunctum charitati, facit omnia quæ facit scientia cum charitate, et perfectiori modo.

652. D. Thomas, 2 2, quæst. 9, art. 3, quærit utrum scientiæ donum sit scientia practica. Respondet in corpore: Donum scientiæ ordinatur, sicut et donum intellectus, ad certitudinem fidei. Fides autem primo et principaliter in speculatione consistit, in quantum scilicet inhæret primæ veritati. Sed quia veritas prima est etiam ultimus finis propter quem operamur, inde etiam est quod fides ad operationem se extendit, secundum illud Galat. V: Fides per dilectionem operatur. Unde etiam oportet quod donum scientiæ primo quidem et principaliter respiciat speculationem, in quantum scilicet homo scit quid fide tenere debeat. Secundario autem se extendit etiam ad operationem, secundum quod per scientiam credibilium, et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. Et in isto sensu intelligenda est auctoritas D. Augustini, XII, De Trinitate, quod actio qua exterioribus rebus utimur, scientiæ deputatur; sed scientia cui deputatur actio est practica: ergo donum scientiæ secundario se extendit ad opus. — Per hoc autem quod aliquis dono scientiæ illustratus debite creaturas contemplatur, eas ad Deum ultimum finem ordinat, et eis quasi quibusdam gradibus ad ipsius Dei contemplationem ascendit, videt quam vanum sit quidquid non est Deus, et ad Deum non ordinatur: videt quod in creaturis est vanitas vanitatum, et omnia vanitas, et afflictio spiritus. Videt manifeste quod quamvis creaturæ quatenus a Deo procedentes sint in se ipsis substantialiter bonæ (vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona), imo quod licet ad Deum ipsarum primum principium et ultimum finem efficaciter deducant eos qui sobrie illis utuntur; factæ sunt tamen in odium et muscipulam pedibus insipientium, ut dicitur Sap. XIV, quatenus illis abutentes occasionaliter avertunt a Deo. Unde qui sic illustratus

contemplatur creaturas, recte judicat quantum desipiant illi qui se indebite ad creaturarum pulchritudinem convertendo, quæ bonum est commutabile, spreta Dei pulchritudine, avertunt se ab illo incommutabili bono, cujus possessio aliqualis in hac vita possessorem reddit felicem, et perfecta possessio in patria reddit perfecte beatum; cum e contra possessio indebita creaturarum reddit in hac vita possessorem inquietum, et infelicem in alia: solum bona creata excitant spirituale gaudium quatenus referuntur ad bonum divinum, ex quo proprie consurgit spirituale gaudium. Judicat igitur quod rectum judicium de illis non habent qui æstimant in eis esse perfectum bonum, dum ad eorum fruitionem et non ad usum moderatum tendunt; unde in eis finem constituendo peccant, et verum bonum perdunt. Et hoc damnum innotescit homini per rectum judicium de creaturis, quod in earum contemplatione habetur per donum scientiæ. Quod si contemplator ipse deceptus earum pulchritudine peccaverit aliquando, cum errore affectato et manifestata veritate, præteritos lugebit defectus et juventutis delicta contrito corde deplorabit. Propterea S. Augustinus, lib. 1 De sermone Domini in monte, c. 9, beatitudines donis Spiritus sancti adaptans, ait: Scientia convenit lugentibus, qui didicerunt quibus malis victi sunt, quæ quasi bona petierunt.

653. Supposito quod anima contemplativa dono scientiæ illustrata creaturas contempletur, eas ad Deum ultimum finem ordinat; contemplando Deum sponsum suum, ejus pulchritudinem commendat; Cantic. I: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus; cap. V: Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, caput ejus aurum optimum, comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus; oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima; genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis, labia ejus distillantia myrrham primam, manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, etc. Audite D. Thomam: Tu es fons totius pulchritudinis. Pulcher autem et decorus dicitur quia et divinitatis perpetuitate, et etiam susceptæ humanitatis dignitate mirabilis est. — Dilectus meus candidus et rubicundus: candidus virginitate, rubicundus passione; candidus, quia sine peccato natus est, et sine peccato est conversatus; rubicundus, quia lavit nos a peccatis nostris sanguine

suo. — Electus ex millibus: singulari enim gratia homo Christus in humani generis massa refulsit, quia per illum proposuit Deus salvare genus humanum, et ipse est mediator Dei et hominum Jesus Christus; Exodi v: Virum de mille reperi unum, idest Christum. — Caput ejus aurum optimum. Caput sponsi Deus est, juxta quod Apostolus dicit, I. Cor. xi: Caput Christi Deus, qui auro optimo comparatur, quia sicut aurum omnibus metallis est pretiosius, ita omnipotens Deus omnibus a se factis bonis præcellit et supereminet. — Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Comæ sponsi sunt multitudines fidelium propter fidem et dilectionem Deo adhærentes, quæ elatis palmarum comparantur. Elatæ palmarum sunt rami provectiores et excellentiores, interdum aureo colore crispantes, et semper ad excelsa tendentes, et nunquam virorem suum amittentes. Tales ergo dicit comas sponsi sui, crispas videlicet et rutilas. Comæ ergo sponsi elatis palmarum comparantur, quia fidelium multitudines et virore fidei gaudent, et æterna præmia desiderando extolluntur, atque supernæ suavitatis dulcedinem degustant. — Nigræ quasi corvus, quia despecti et contemptibiles sunt pressuris hujus sæculi. — Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. Oculi sponsi sunt dona Spiritus sancti, quod ostendit Joannes, Apoc. v, dicens: Vidi agnum tamquam occisum habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei. — Quæ lacte sunt lotæ: lactis nomine gratia Dei intelligitur. — Et resident juxta fluenta plenissima, quia resident juxta copiosam sancti Evangelii doctrinam. — Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Genæ sponsi modestia Christi, pietas vel sanctitas. Hæ vero sponsi genæ areolis aromatum comparantur. Sicut enim areolæ aromatum optime compositæ et ordinatæ aspectum intuentium delectant, et ad sui dilectionem provocant, ita Christi mansuetudo et absentes sanat, et præsentes delectat. — Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Per labia sponsi verba Domini Jesu Christi accipiuntur, quæ liliis comparantur, quia candoris æterni præmia annuntiant. — Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. In manibus sponsi operatio Salvatoris exprimitur. Sicut enim quis facile torno operatur, nec regula ulla indiget, sic operatio Redemptoris facilis erat: quidquid enim volebat, illico perficiebat, quia dixit et facta sunt. Aureæ autem erant,

quia operatio illius divinitatis peragebatur potentia. — Plenæ hyacinthis. Hyacinthus lapis est aerei coloris: quid ergo ex hyacinthis manibus nisi spes et desiderium cœleste accipitur? Et manus Domini plenæ sunt hyacinthis, quia omnes ejus operationes ad spem et desiderium supernorum excitant. Hanc pulchritudinem sponsi contemplatur anima per donum scientiæ, dum ex creaturis ad ejus pulchritudinem ascendit.

ARTICULUS II.

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum sapientiæ.

654. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Coloss. III: Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, dicit sic: Verbum Christi monet ad sapientiam, et primo docet sapientiæ originem, secundo sapientiæ usum. Ideo dicit: " Verbum Christi; „ Eccli. I: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis: ergo ex verbo Christi hauriatis eam; Deuter. IV: Hæc est sapientia vestra, et intellectus coram populis, etc.; I. Cor. I: Qui factus est nobis sapientia a Deo, etc. — Sed aliqui non habent verbum, ideo nec sapientiam. Et ideo dicit: " Habitet; „ Prov. III: Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui. — Aliquibus sufficit modicum quid de verbo Christi, sed Apostolus vult quod habeamus multum. Et ideo dicit: " Abundanter; „ II. Cor. IX: Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum; Prov. II: Sicut thesauros effoderis eam. — Et addit: " In omni sapientia, „ idest in omnibus pertinentibus ad sapientiam Christi, debetis studere scire; Actor. XX: Non subterfugi, quominus annunciarem vobis omne consilium Dei; Eccli. XXI: Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. — Triplex est usus hujus sapientiæ, scilicet instructionis, devotionis et directionis. Instructio duplex, scilicet ad cognoscendum vera: unde dicit: " Docentes, „ quasi dicat: Habitet ita abundanter in vobis, ut de omnibus sitis instructi per ipsum; II. Tim. III: Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum et arguendum. Item ad cognoscendum bona, ideo dicit: " Et

commonentes nosmetipsos, „ idest exhortantes vos ad opera bona; II. Pet. I: Suscitare vos in commonitione. — Secundo ponit usum devotionis; unde dicit: " In psalmis et hymnis. „ In psalmis, qui designant jucunditatem bonæ operationis; Ps. CXLVIII: Laudate eum in voce exultationis. Hymnus est laus cum cantico; Psal. CXLVIII: Hymnus omnibus sanctis ejus. " Et canticis spiritualibus, „ quia quidquid nos facimus debemus referre ad bona spiritualia, ad promissa æterna, et ad reverentiam Dei. Et ideo dicit: " In cordibus, „ et non in labiis tantum; I. Corinth. XIV: Psallam spiritu, psallam et mente; Isa. XXIX: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. — Tertio ponit usum directionis in opere, dicens: " Omne quodcumque facitis, „ quia etiam locutio opus quoddam est; I. Corinth. X: Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hæc ille. Datur ergo sapientia quæ originatur a Christo ad cognoscendam primam veritatem supernaturalem, et ad cognoscendum primam bonitatem: ac per consequens est principium elicitivum contemplationis supernaturalis, et ad devotionem, quia sapientia est sapida scientia de rebus supernaturalibus per experientiam et devotionem.

655. D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 1, loquens de sapientia, in corpore articuli dicit: Ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas divinas omnia potest judicare et ordinare. Hujusmodi autem judicium consequitur homo per Spiritum sanctum, secundum illud I. Cor. II: Spiritualis judicat omnia, quia, sicut ibidem dicitur, spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Unde manifestum est quod sapientia est donum Spiritus sancti, et datur ad judicandum de rebus divinis. Idem D. Thomas explicans auctoritatem a se allegatam, I. ad Cor. II: Spiritualis autem judicat omnia, assignat rationem quare spiritualia sunt tradenda spiritualibus. Primo, ponit rationem; secundo manifestat causam: " Quis enim novit. „ — Assignat autem talem rationem. Illi tradenda sunt spiritualia qui potest judicare, secundum illud Job XII: Auris verba dijudicat; sed spiritualis est hujusmodi: ergo ei spiritualia sunt tradenda, et hoc est quod dicit: " Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. „ — Ubi primo videndum est quis homo dicatur spiritualis. Est autem notandum quod spiritus nominare

consuevimus substantias incorporeas; quia igitur aliqua pars animæ est quæ non est alicujus organi corporei actus, scilicet pars intellectiva comprehendens intellectum et voluntatem, hujusmodi pars animæ spiritus hominis dicitur, quæ tamen a spiritu Dei et illuminatur secundum intellectum, et inflammatur secundum affectum et voluntatem. Dupliciter ergo dicitur homo spiritualis. Uno modo ex parte intellectus, spiritu Dei illustrante; et secundum hoc in Glossa dicitur quod homo spiritualis est qui spiritui Dei subjectus, certissime ac fideliter spiritualia cognoscit. Alio modo ex parte voluntatis, spiritu Dei inflammante; et hoc modo dicit Glossa quod spiritualis vita est, qua spiritum Dei habens, rectorem animam regit, idest animales vires; Galat. ult.: Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi. — Secundo considerandum est quare " spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. „ Ubi notandum est quod ille qui recte se habet in omnibus, rectum judicium habet circa singula. Ille autem qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in judicando: vigilans enim recte judicat et se vigilare, et alium dormire; sed dormiens non habet rectum judicium de se, nec de vigilante. Unde non sunt tales quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem est ratio de sano et infirmo circa judicium saporum, et de debili et forti circa judicium ponderum, et de virtuoso et vitioso circa agibilia. Et sic Apostolus dicit " quod spiritualis judicat omnia, „ quia scilicet homo habens et intellectum illustratum et affectum ordinatum per Spiritum sanctum, de singulis quæ pertinent ad salutem rectum judicium habet. Bene ergo concludit D. Thomas, loco allegato, 2 2, quod sapientia est donum, et quod datur a Spiritu sancto ad judicandum de rebus divinis.

656. Sapientia igitur, quæ est primum Spiritus sancti donum, confert intellectui cognitionem altissimam et simplicissimam Dei, et rerum divinarum et cœlestium, ac earum quibus ad omnem sanctitatem promovemur, cum quadam mirabili suavitate et sapore, atque dulcedine. Neque tam dulce est mel et saccharum palato carnis, quam dulcis est divina veritas ratione hujus doni palato mentis. Claritas hæc major in cognitione noscitur ex ipsa sapientia quæ fidem perficit et elevat, et modo possibili huic vitæ clarificat. Et sicut in cubiculo ubi erat parva

lucerna, si fax accendatur, mirum in modum omnia quæcumque in illo existunt illuminantur: ita dum in nocte hujus vitæ ante lucernam fidei in corde justi sapientia accenditur, res fidei multo clarius manifestantur, sapor vero et dulcedo noscitur ex charitate, cui conjuncta est sapientia: quæ charitas primo palatum mentis sanat, ut illi divina dulcescant; et Deo mentem unit, ut illi quæ Dei sunt, tamquam sibi congrua sapiant. De illa sanitate palati animæ dicit Bernardus: Et forte sapientia a sapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimentum, sapida reddat quæ per se insulsa quodammodo et aspera sentiebantur. Nec duxerim reprehendendum si quis sapientiam saporem boni definiat. Hunc saporem perdidimus ex ipso pene exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalescente infecit virus serpentis antiqui, cœpit anima non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare: sed recuperatur per infusionem charitatis, in qua continetur sapientia habitualiter. At ut eam habeamus secundum hunc supremum actum contemplationis, est a nobis postulanda. Nam scriptum est Jacobi I: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat.

657. D. Thomas in III, dist. 35, quæst. 2, art. 1, solutione ad 1: Procedit enim sapientiæ donum ad quamdam deiformem contemplationem, et quodammodo explicitam articulorum, quæ fides sub quodam modo involuto tenet secundum humanum modum. Et ideo sapientia est donum, et dum Deum concipit bonum, judicat ipsum esse bonum supra modum quo concipit ex creatura; et similiter dum concipit sapientem, justum, misericordem, aut quid simile. Unde judicat non solum excellentissimum esse in qualibet perfectione, quia superlativum gradum hujusmodi perfectionum a limitata creaturæ sumit excellentia: sed etiam judicat illum superexcellentissimum, quasi transcendentem omnem gradum cujuscumque perfectionis imaginabilem ac intelligibilem; imaginatio namque et intellectus corrigendi sunt tamquam defectuosi in sua conceptione, dum Deum speculantur.

658. D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 4, quærit utrum sapientia possit esse sine gratia, et respondet negative. Hoc probat primo in argumento Sed contra, ex illo Sap. I: In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito pec-

catis. In corpore sic probat: Sapientia quæ est donum Spiritus sancti, facit rectitudinem judicii circa res divinas, vel per regulas divinas de aliis ex quadam connaturalitate, sive unione ad divina, quæ quidem est per charitatem, ut dictum est. Et ideo sapientia de qua loquimur, præsupponit charitatem; charitas autem non potest esse cum peccato mortali: unde relinquitur quod sapientia, de qua loquimur, non potest esse cum peccato mortali.

659. D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 3, quærit utrum sapientia sit speculativa tantum, an etiam practica. Respondet in corpore articuli dicens quod, sicut Augustinus dicit in XII De Trinitate, superior pars rationis sapientiæ deputatur, inferior autem scientiæ. Superior autem ratio, ut ipse in eodem libro dicit, intendit rationibus supremis, scilicet divinis, et conspiciendis et consulendis: conspiciendis quidem secundum quod divina in se ipsis contemplatur; consulendis autem secundum quod per divina judicat de humanis actibus, et per divinas regulas dirigit actus humanos. Sic ergo sapientia, secundum quod est donum, non solum est speculativa, sed etiam practica. — In argumento Sed contra adducit auctoritatem Apostoli ad Coloss. IV: In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Hoc autem pertinet ad actionem: ergo sapientia non solum est speculativa, sed etiam practica. Et idem divus Thomas explicans istam auctoritatem in commentario ad Colossenses, dicit sic: Ostendit quomodo se habeat ad extraneos, et primo in conversatione, secundo quomodo in locutione. Dicit ergo: " In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, „ idest infideles, " in sapientia, „ idest sapienter; Sap. VII: Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat. Et hujus causa est: " Redimentes tempus. „ Redimit vexationem suam, quando quis dimittit quod est de jure suo, ut vitet eam. Isti vexabantur ab eis, ideo vult quod redimant eam per sapientiam; I. Pet. II: Conversationem vestram inter gentes habentes bonam. — Item docet secundo, quomodo se habeant loquendo. Et primo ut sermo sit gratus, idest in gratia et sale conditus. Et solutione ad Primum dicit Sanctus quod quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plura se extendit, ut habetur in Libris de causis. Unde ex hoc ipso quod sapientia quæ est donum, est excellentior quam sapientia quæ est virtus intellectualis, utpote magis de propinquo Deum

attingens per quamdam unionem animæ ad ipsum, habet quod non solum dirigat in contemplatione, sed etiam in actione. Et in solutione ad Tertium dicit: Ad sapientiam prius pertinet contemplatio divinorum, quæ est visio principii, et posterius dirigere actus humanos secundum rationes divinas.

660. D. Thomas, Opusc. LXIX, in principio, loquens de sapientia in hæc prorumpit verba: Habet hoc privilegium sapientiæ studium, quod operi suo prosequendo magis ipsa sibi sufficiat. In exterioribus enim operibus indiget homo plurimorum auxilio. Sed in contemplatione sapientiæ tanto aliquis efficacius operatur, quanto magis solitarius secum commoratur. Et ideo sapiens, Eccli. XXXII: Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas. — Præcurre prior in domum tuam, idest in mentem tuam ab exterioribus sollicite redeas, antequam ab alio occupetur, per cujus sollicitudinem distrahatur; unde dicitur Sap. VIII: Intrans in domum meam conquiescam cum illa, idest cum sapientia. — Sicut autem requiritur ad contemplationem sapientiæ quod mentem suam aliquis præoccupet, ut totam domum suam contemplatione sapientiæ suæ impleat, ita etiam requiritur quod ipse totus per intentionem interius adsit, ne scilicet ejus intentio ad diversa trahatur, et ideo subdit: Et illuc avocare, idest totam intentionem tuam ibi congrega. Sic igitur interiore domo totaliter evacuata, et homine totaliter per intentionem in ea existente, quid agendum sit exponit subdens: Et illic lude. — Ubi considerandum est quod sapientiæ contemplatio convenienter ludo comparatur, propter duo quæ in ludo inveniuntur. Primo quidem quia ludus delectabilis est, et contemplatio sapientiæ maximam delectationem habet; unde Eccli. XXIV dicitur ex ore Sapientiæ: Spiritus meus super mel dulcis. Secundo, quia operationes ludi non ordinantur ad aliud, sed propter se quæruntur. Et hoc quidem competit in delectationibus sapientiæ. Contingit enim quandoque quod aliquis apud se ipsum delectatur in consideratione eorum quæ concupiscit vel quæ agere proponit. Sed hæc delectatio ordinatur ad aliquid exterius, ad quod nititur pervenire: quod si deficiat vel tardetur, delectationi hujusmodi adjungitur non minor afflictio, secundum illud Prov. XIV: Risus dolore miscebitur. Sed delectatio contemplationis sapientiæ in se ipsa habet delectationis causam,

unde nullam anxietatem patitur, quasi expectans aliquid quod desit. Propterea quod dicitur Sap. VIII: Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius. Et ideo divina sapientia ludo comparatur: Prov. VIII: Delectabar per singulos dies, ludens coram eo. Hæc ille.

ARTICULUS III.

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum intellectus.

661. D. Thomas, 2 2, qu. 8, art. 1 in corpore, dicit quod nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat. Dicitur enim intelligere quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores, cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Objectum autem intellectus est quod quid est, ut dicitur in tertio De anima. — Sunt autem multa genera eorum quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis, quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata. Res autem intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilium quæ exterius sentiuntur; et in causis latent effectus, et e converso. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus. Sed cum cognitio hominis a sensu incipiat, quasi ab exteriori, manifestum est quod quanto lumen intellectus est fortius, tanto potest magis ad intima penetrare. Lumen autem naturale nostri intellectus est finitæ virtutis, unde usque ad determinatum aliquid pertingere potest. Indiget ergo homo supernaturali lumine, ut ulterius penetret ad cognoscendum quædam quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Et illud lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus. Hæc ille. — Et in solutione ad 1 docet quod per lumen naturale nobis inditum, statim cognoscuntur quædam principia communia, quæ sunt naturaliter nota. Sed quia homo ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, necesse est quod homo ulterius pertingat ad quædam altiora: et ad hoc requiritur donum intellectus. Et

in solutione ad 2: Ita se habet lumen superadditum ad ea quæ nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea quæ primordialiter cognoscimus. Et sicut ex primis principiis naturalibus, cognitis per habitum intelligentiæ seu primorum principiorum, originem ducit sapientia et scientia, quia ex illis suas conclusiones inferunt: si principia sunt prima et altissima, sapientia; si principia sunt secunda et inferiora, scientia; ita donum intellectus, qui est habitus supernaturalis, attingit prima principia fidei, non assentiendo sicut fides, sed ea penetrando.

662. In eadem q. 8, art. 2, quærit D. Thomas utrum donum intellectus possit esse simul cum fide. Respondet duplici distinctione. Una quidem ex parte fidei, alia autem ex parte intellectus. Ex parte quidem fidei distinguendum est quod quædam per se et directe cadunt sub fide, quæ naturalem rationem excedunt, sicut Deum esse trinum et unum, Filium Dei esse incarnatum; quædam vero cadunt sub fide quasi ordinata ad ista secundum aliquem modum, sicut omnia quæ in Scriptura divina continentur. — Ex parte vero intellectus distinguendum est quod dupliciter possumus aliqua intelligere. Uno modo perfecte, quando scilicet pertingimus ad cognoscendum essentiam rei intellectæ, et ipsam veritatem enuntiabilis intellecti, secundum quod in se est. Et hoc modo ea quæ directe cadunt sub fide intelligere non possumus durante statu fidei. Sed quædam alia ad fidem ordinata etiam hoc modo intelligi possunt. Alio modo contingit aliquid intelligi imperfecte, quando scilicet ipsa essentia rei vel veritas propositionis non cognoscitur quid sit aut quomodo sit; sed tamen cognoscitur secundum quod ea quæ exterius apparent, veritati non contrariantur: in quantum scilicet homo intelligit quod propter ea quæ exterius apparent, non est recedendum ab his quæ sunt fidei. Et secundum hoc nihil prohibet durante statu fidei intelligere etiam ea quæ per se sub fide cadunt.

663. In articulo tertio ejusdem quæstionis definit D. Thomas donum intellectus non solum esse speculativum, sed etiam practicum. Et probat sic, quia donum intellectus non solum se habet ad ea quæ primo et principaliter cadunt sub fide, sed etiam ad omnia quæ ad fidem ordinantur. Operationes autem bonæ quemdam ordinem ad fidem habent: nam fides per dile-

cuionem operatur, ut Apostolus dicit ad Galat. v. Et ideo donum intellectus etiam ad quædam operabilia se extendit: non quidem ut circa ea principaliter versetur, sed in quantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conspiciendis et consulendis, secundum Augustinum, XII De Trinitate, inhæret superior ratio, quæ dono intellectus perficitur. In solutione ad 1 dicit quod operabilia humana, secundum quod in se considerantur, non habent aliquam excellentiæ altitudinem; sed secundum quod referuntur ad regulam legis æternæ et ad finem beatitudinis divinæ, sic altitudinem habent, ut circa ea possit esse intellectus. In solutione ad 3 dicit quod cognitio humanorum actuum, secundum quod regulatur a lege æterna, excedit naturalem rationem, et indiget supernaturali lumine doni Spiritus sancti. Hæc ille.

664. Donum intellectus, ex D. Thoma, art. 4 ejusdem quæstionis, omnibus habentibus gratiam inest, et non reperitur in non habentibus gratiam gratum facientem, ut probat D. Thomas, art. 5, hac ratione: Dona Spiritus sancti perficiunt animam, secundum quod est bene mobilis a Spiritu sancto. Sic ergo intellectuale lumen gratiæ ponitur donum intellectus, in quantum intellectus hominis est bene mobilis a Spiritu sancto. Hujusmodi autem motus consideratio in hoc est, quod homo apprehendat veritatem circa finem. Unde nisi usque ad hoc moveatur a Spiritu sancto intellectus humanus, ut rectam æstimationem de fine habeat, nondum consecutus est donum intellectus, quantumcumque ex illustratione Spiritus sancti alia quædam præambula cognoscat: rectam autem æstimationem de ultimo fine non habet, nisi ille qui circa finem non errat, sed ei firmiter inhæret tamquam optimo: quod est solum habentis gratiam gratum facientem. Hæc ille. Hoc dono justus se ipsum intime cognoscit, et ad sui despicientiam provocat, Deum ac divina purius ac profundius intelligit, et ad admirationem ac amorem excitat. De hoc dono forte locutus est auctor De spiritu et anima, dicens: Intellectus sine intelligentia ea vis animæ est, qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. Quod de suprema parte intellectus nostri dici non posset, nisi quatenus alio supernaturali lumine adjuvatur. Videantur omnia quæ diximus de dono intellectus in articulo particulari De dono intellectus.

ARTICULUS IV.

Principium formale et elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est altius donis Spiritus sancti.

665. D. Thomas, 2 2, q. 45, art. 5, in corpore: Quidam autem altiori gradu percipiunt sapientiæ donum. Et quantum ad contemplationem divinorum, in quantum scilicet altiora quædam mysteria et cognoscunt, et aliis manifestare possunt; et etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas divinas, in quantum possunt secundum eas non solum seipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus sanctus distribuit prout vult, secundum illud I. Cor. XII: Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ. Hæc ille. Idem D. Thomas, I. Cor. XII, lect. 2, loquitur de gratiis gratis datis, de quibus loquitur Apostolus in hoc capite; et cum materia hujus articuli præcipue de eis esse debeat, dicemus quæ dicit D. Thomas de eis, antequam ad singulas in particulari descendamus. — Pertinet autem ad gratiam gratum facientem quod per eam Spiritus sanctus inhabitet: quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, sed solum ut per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Unde Joan. III dicitur: Vocem ejus audis; et Psal. XCVII: Notum fecit Dominus salutare suum. — Manifestatur autem per hujusmodi gratias Spiritus sanctus dupliciter. Uno modo ut habitans Ecclesiam, et docens, et sanctificans eam, puta cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus sanctus, facit miracula ad ostendendum quod fides Ecclesiæ, quam ipse prædicat, sit vera: unde dicitur Hebr. II: Contestante Deo signis, et prodigiis, et variis Spiritus sancti distributionibus. Alio modo manifestatur per hujusmodi gratias Spiritus sanctus ut habitans eum cui tales gratiæ conceduntur. Unde dicitur Actor. VI, quod Stephanus, plenus gratia, faciebat prodigia et signa multa, quem Spiritu sancto plenum elegerunt: sic autem non conceduntur hujusmodi gratiæ nisi Sanctis.

— Et ne hujusmodi manifestatio vana videatur, subdit: " Ad utilitatem, „ scilicet communem. In quo designatur finis harum, et hoc vel dum probatur vera doctrina Ecclesiæ, et sic fideles confirmantur, et infideles convertuntur; vel dum sanitas alicujus proponitur aliis in exemplum. Ponit distinctionem gratiarum, quæ quidem, ut dictum est, dantur ad utilitatem communem. — Ad hoc quidem tria requiruntur. Primo quidem facultas persuadendi; secundo, facultas persuasionem confirmandi; tertio, persuasionem intelligibiliter proponendi. — Ad facultatem autem persuadendi, requiritur quod homo habeat peritiam conclusionum et certitudinem principiorum circa ea in quibus debeamus persuadere. Conclusiones autem in his quæ pertinent ad salutem quædam sunt principales, scilicet res divinæ: et ad hoc pertinet sapientia, quæ est cognitio divinarum rerum; et quantum ad hoc dicitur: " Alii quidem per Spiritum datur, „ scilicet sanctum, " sermo sapientiæ, „ ut possit persuadere ea quæ ad cognitionem divinorum pertinent. Luc. XXI: Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. — Secundariæ conclusiones sunt quæ pertinent ad notitiam creaturarum, quarum cognitio dicitur scientia. Et quantum ad hoc subdit: " Alii autem, „ scilicet datur " sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, „ ut scilicet per creaturas ea quæ sunt Dei manifestare possit. Huic enim scientiæ attribuitur illud quo pia fides defenditur et roboratur, non autem quidquid curiositatis in humanis scientiis invenitur, ut Augustinus dicit Sap. X: Dedit illi scientiam sanctorum. Isa. XXXIII: Divitiæ salutis sapientia et scientia. — Est autem notandum quod sapientia et scientia inter septem dona Spiritus sancti computantur, sicut habetur Isa. XI. Unde Apostolus signanter inter gratias gratis datas non ponit sapientiam et scientiam, sed sermonem sapientiæ et scientiæ, quæ pertinent ad hoc ut homo aliis persuadere valeat per sermonem ea quæ sunt sapientiæ et scientiæ. Hæc ille. Et per hoc distinguuntur dona sapientiæ et scientiæ, a sapientia et scientia gratis data. Et hoc confirmat etiam locus adductus D. Thomæ ex 2 2, in principio articuli.

666. Advertendum tamen est quod quando in Titulo ponitur principium formale et elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est altius donis Spiritus sancti, non est intel-

ligendum quod gratiæ gratis datæ, de quibus in hoc articulo disputatur, sint aliquid altius et perfectius donis Spiritus sancti, quia, ut docet D. Thomas, 1 2, qu. 111, art. 5, gratia gratis data non est dignior quam gratia gratum faciens, quia unaquæque virtus tanto excellentior est quanto ad altius bonum ordinatur: semper autem finis potior est his quæ sunt ad finem: gratia enim gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis: gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam, et miracula, et alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc quod ultimo fini conjungantur. Et ideo gratia gratum faciens est multo excellentior quam gratia gratis data. Sed est intelligendus titulus in sensu quo loquitur D. Thomas in eodem articulo, solutione ad 1, quod gratiæ gratis datæ sunt altiores et digniores quam dona Spiritus sancti, quia ordinantur ad bonum commune Ecclesiæ, quod est ordo ecclesiasticus. Et nomine " altius „ intelligitur extraordinarium lumen; et dona Spiritus sancti, quamvis supernaturalia, sunt tamen justis ordinaria, et eorum irradiatio in justis perfectis non rara. Et etiam dicitur altius, quia clarius est in manifestando, et efficacius in penetrando.

667. Hoc autem principium altius, quod ordinatur ad bonum commune Ecclesiæ, et dicitur altius, quia extraordinarium, et altius in manifestando, et in penetrando, est multiplex. Hoc probat D. Thomas, 1 2, q. 111, art. 4, ubi quærit utrum gratiæ gratis datæ convenienter ab Apostolo dividantur. Respondet affirmative, et probat hac ratione. Gratiæ gratis datæ ordinantur ad hoc quod homo alteri cooperetur, ut reducatur in Deum: homo autem ad hoc operari non potest interius movendo (hoc enim solius Dei est), sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis quæ sunt supra rationem. — Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut in hoc instruere alios possit. Secundo, ut possit confirmare vel probare ea quæ dicit: alias non esset efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea quæ concipit, possit convenienter auditoribus proferre. — Quantum igitur ad primum, tria sunt necessaria, sicut etiam apparet in magisterio humano. Oportet enim

quod illi, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem principia illius scientiæ sint certissima: et quantum ad hoc ponitur fides, quæ est certitudo de rebus invisibilibus, quæ supponuntur principia in catholica doctrina. Secundo, oportet quod doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ, et sic ponitur sermo sapientiæ, quæ est cognitio divinorum. Tertio, oportet ut etiam abundet exemplis et cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas: quantum ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum, quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Confirmatio autem in his quæ subduntur rationi est per argumenta; in his autem quæ sunt supra rationem, divinitus revelata, confirmatio est per ea quæ sunt divinæ virtuti propria: et hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut doctor sacræ doctrinæ faciat quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis, sive sint ad salutem corporum: et quantum ad hoc ponitur gratia sanitatum; sive ordinantur ad solam divinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, quod mare dividatur: et quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo, ut possit manifestare ea quæ solius Dei est scire, et hæc sunt contingentia futura: et quantum ad hoc ponitur prophetia; et etiam occulta cordium, et quantum ad hoc ponitur discretio spirituum. Facultas pronunciandi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis potest intelligi: et secundum hoc ponitur genera linguarum; vel quantum ad sensum eorum quæ sunt proferenda: et quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum. Hæc ille. Ergo hoc principium altius, est multiplex.

668. Probabiliter potest dici quod lumen illud, quod Deus primo parenti communicavit ad sui contemplationem, fuit altius donis Spiritus sancti; de quo lumine loquitur D. Thomas, p. p., q. 94, art. 1 in corp. Cognoscebat, puta, Adam Deum quadam altiori cognitione quam nos cognosceremus. Et sic quodammodo ejus cognitio media erat inter cognitionem præsentis status et cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur. Ad cujus evidentiam considerandum est quod visio Dei per essentiam dividitur contra visionem Dei per creaturam. Quanto autem aliqua creatura est altior et Deo similior, tanto per eam Deus clarius videtur: sicut homo perfectius videtur

per speculum, in quo expressius imago ejus resultat. Et sic patet quod multo eminentius videtur Deus per intelligibiles effectus, quam per sensibiles et corporeos. A consideratione autem plena et lucida intelligibilium effectuum impeditur homo in statu præsenti per hoc quod distrahitur a sensibilibus, et circa ea occupatur. Sed, sicut dicitur Eccle. VII, Deus fecit hominem rectum. Hæc autem fuit rectitudo hominis divinitus instituti, ut inferiora superioribus subderentur, et superiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediebatur per res exteriores a clara et firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, sive naturali cognitione, sive gratuita. Unde dicit Augustinus in XI super Gen. ad litteram, quod fortassis Deus primis hominibus antea loquebatur, sicut cum angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non tanta participatione divinæ essentiæ quantum capiunt angeli. Sic igitur per hujusmodi intelligibiles effectus Dei Deum clarius cognoscebant, quam modo cognoscamus. Hæc ille. Et in solutione ad 1 docet D. Thomas quod homo in paradiso beatus fuit: non illa perfecta beatitudine in quam transferendus erat, quæ in divinæ essentiæ visione consistit; habebat autem beatam vitam secundum quemdam modum, ut Augustinus dicit XI super Gen. ad litteram, in quantum habebat integritatem et perfectionem quamdam naturalem.

669. Probabiliter etiam potest dici quod qui vident per habitum scientiæ infusæ vel inditæ qui est lumen clarissimum et perfectissimum, vident per lumen altius donis Spiritus sancti. Qui habitus concessus fuit Christo Domino, ut docet D. Thomas, 3 p., q. 11. Pie creditur quod concessus etiam fuit beatissimæ Virgini Mariæ Dei genitrici. Christo Domino fuit concessus ab instanti suæ conceptionis. Per hanc scientiam cognovit Christus, ut docet D. Thomas, quæst. citata, art. 1, omnia illa quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus sancti. Omnia enim ista abundantius et plenius cæteris cognovit anima Christi. — Hic habitus scientiæ infusæ nunquam fuit otiosus in Christo; nunc enim istud, nunc illud objectum successive diversis actibus considerabat, secundum quod diversis speciebus ad hoc infusis utebatur. Hic habitus supernatu-

ralis est multo perfectior omni alio habitu scientifico, ut dicit D. Thomas, quæst. citata, art. 4, ubi sic ait: Scientia indita animæ Christi fuit multo excellentior quam angelorum scientia, et quantum ad multitudinem cognitorum, et quantum ad scientiæ certitudinem: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam.

ARTICULUS V.

Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est lumen gloriæ.

670. D. Thomas, 2 2, quæst. 175, art. 3, sic habet: Quidam dixerunt Paulum in raptu non vidisse ipsam Dei essentiam, sed quamdam refulgentiam claritatis ipsius. Sed contrarium manifeste Augustinus determinat non solum in lib. De videndo Deum, sed etiam XII super Gen. ad litt., et habetur in Glossa, II. Cor. XII. Et hoc etiam ipsa verba Apostoli designant. Dicit enim, se audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hujusmodi autem videntur ea quæ pertinent ad visionem beatorum, quæ excedit statum viæ, secundum illud Isaiæ LXIV: Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Et ideo convenientius dicitur quod Deum per essentiam vidit. Hæc ille. Et D. Thomas qu. 10, De veritate, art. 11, solutione ad 1, dicendum quod secundum Augustinum, XII super Gen. ad litteram, et ad Paulinam De videndo Deum, ex verbis illis Moyses ostenditur Deum per essentiam vidisse in quodam raptu, sicut et de Paulo dicitur II. Cor. XII, ut in hoc Judæorum legifer et doctor gentium æquarentur: ergo in doctrina D. Thomæ Moyses et Paulus in via viderunt divinam essentiam, quamvis per modum transitus.

671. Doctrina hæc de visione clara divinæ essentiæ magis apud mysticos doctores protracta est. Aliqui enim illorum indicare videntur in omni ætate viris dono contemplationis eximie cumulatis hanc gratiam a Domino fuisse concessam, ut aliquoties ipsum clare et intuitive conspexerint. Docet id divus Bonaventura, qui sic ait: Intelligentia per raptum in Deum

absorpta respondet sextæ diei. De hoc raptu dicit Apostolus: Scio hominem ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi. Hic raptus facit animam similem Deo, quantum esse potest in statu viæ. Rapti autem non habent habitum gloriæ, sed actum. Et sicut raptus est in confinio viæ et patriæ, ita est in confinio unionis et separationis a corpore. Dionysius Richelius hæc habet verba: Hoc autem pensandum, quod quamvis ex Scriptura canonica non pateat, quemcumque purum hominem Deum per speciem in vita conspexisse præsenti, præter Moysen et Paulum, an tamen ipsis dumtaxat tantum concessum sit culmen perfectionis, non constat. Neque enim putandum est Virgini Dei genitrici esse negatum, quod servis scribitur condonatum. Quidam demum Sanctorum sic loqui et sentire videntur, quasi aliquando ineffabiliter, raptim quibusdam amantissimis Dei ad purum hujusmodi contemplatio in vita hac concedatur. De qua re ego cæcutiens loqui amplius non præsumo. Prætereo nunc Henricum Herpium et Joannem Rusbrochium, qui verba proferunt, quibus in hanc sententiam manibus et pedibus ire existimantur.

672. Ad videndam divinam essentiam est necessarium lumen gloriæ, ut propheta regius affirmat: In lumine tuo videbimus lumen, idest hujus luminis virtute nostrum intellectum confortantis, videbimus te solem justitiæ, lumen verum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Et istud lumen est tota ratio videndi Deum, quia in visione beatifica, licet intellectus concurrat tamquam principium vere vitale et vere influens, tamen ratio influendi est unica, scilicet desumpta ex lumine gloriæ, quæ ita intellectum perficit et elevat, quod non concurrit per propriam virtutem naturalem, ut in suo naturali ordine manentem, sed ut elevatam. Et ipsamet vitalitas intellectus, quæ reducitur in animam tamquam in principium et radicem operandi vitaliter, non influit proxime in actum visionis, nisi ut elevata ad vivendum vita supernaturali in elicientia illius visionis, non tamen vita naturali. Non enim intellectus ratione suæ naturalis activitatis influit in visionem beatificam, quasi habeat specialem influxum in talem visionem. Sed intellectus concurrit ad visionem, et visio procedit ab ipso vitaliter: sed tamen tota ratio formalis et virtutis influendi est

elevata, et talem elevationem habere ab ipso lumine gloriæ, et excludere omnem aliam rationem formalem activam et proximam, etiam partialem.

673. Actus supernaturales habent vitalitatem et libertatem a potentiis supernaturaliter, et elevatis ad vivendum vita supernaturali. Nam etiam in quantum supernaturalis est ille actus, debet procedere intrinsece a potentia, et vitaliter, et consequenter sub ratione vitæ elevatæ, non autem vitæ ut operantis per facultatem naturalem. Et vis activa influens vitalitatem debet esse ab intrinseco, et radicata in ipsa substantia animæ: non tamen influere per virtutem ordinis naturalis tamquam per virtutem proximam; et illa elevatio conducit ad vitalitatem quantum ad rationem proportionandi et habilitandi proxime ipsam potentiam vitalem ad operandum. Et quando D. Thomas, in II Sent., dist. 5, art. 1 ad 1, dicit quod quamvis liberum arbitrium de se possit in substantiam actus, intelligendus est de potentia elevabili et proportionanda per formam supernaturalem, non autem sine illa: de se enim solum potest ad genus actus, v. gr. ad intellectionem, vel volitionem, abstrahendo ab omni eo quod naturale est vel supernaturale determinate: vel ad substantiam supernaturalis actus non potest, nisi secundum potentiam obedientialem, non secundum potentiam proximam et proportionatam etiam partialiter.

674. Quæ dicta sunt de vitalitate, pari modo observanda sunt in libertate respectu actuum supernaturalium procedentium a voluntate in hac vita. Et notate istam doctrinam pro multis. quæ in hoc libro dicuntur loquendo de habitibus supernaturalibus, de donis Spiritus sancti, de gratiis gratis datis et de aliquibus aliis perfectionibus supernaturalibus. Est enim commune omni habitui determinare voluntatem ex parte principii operandi, non determinatione necessitatis et coactionis, sed inclinationis, quæ nullo modo tollit indifferentiam dominii, quæ est in libertate: imo talis inclinatio manet subjecta quoad suum usum voluntati, nam de ipsa etiam prophetia dicit Apostolus quod spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, I. Cor. XIV: scilicet quantum ad usum esternæ manifestationis. Quare determinatio ista habituum neque in habitibus virtuosis, neque in pravis, neque in naturalibus, neque in supernaturalibus quicquam obest libertati, quia determinat eam inclinando so-

lum juxta modum suum. — Ulterius autem habitus supernaturalis reddit libertatem elevatam ad hoc ut actus ille fiat liber, non libertate ordinis naturalis, sed supernaturalizata et elevata, sicut de vitalitate dictum est. Ita enim habitus relinquit voluntatem in suo modo operandi libere, ut possit oppositum facere, vel cessare ab operatione: non quidem per ipsum habitum faciendo oppositum, sed per ipsam voluntatem, non impediente et repugnante habitu. Sed si voluerit per ipsum operari, producit actum sub vitalitate et libertate elevata, eo quod actus ille dicitur liber per respectum ad voluntatem non nudam, sed elevatam ad operandum modo supernaturali, vel omittendum, ex sua natura. Et quia libertas in actu non est aliud quam respectus ad potentiam liberam, nihil etiam aliud est dari in actu libertatem elevatam, quam dari in eo respectum ad potentiam indutam forma supernaturali, et elevatam ad operandum libere in ordine supernaturali, per modum inclinationis supernaturalis, quæ liberum modum relinquit, non tollit.

675. Ad vitalitatem actuum duo præ oculis habenda sunt. Primum sufficere quod procedant a principio intrinseco se movente, non tamen requiri quod hoc principium constituatur proportionatum et proxime activum per virtutem ab intrinseco provenientem, sed potest provenire ab extrinseco, et elevare ac proportionare principium vitale, dummodo non tollat a tali principio quod possit esse se movens, etiam ut subjicitur tali virtuti: sicut libertas potest operari per virtutem superadditam, et determinationem ab extrinseco derivatam, dummodo talis sit quod non tollat modum operandi libere a voluntate, ut subjicitur tali determinationi et virtuti. Secundum, quod qualitas activa seu virtus superveniens alicui tripliciter potest se habere ad illud. Primo modo, ut qualitas pure recepta in subjecto, non tamen supponens aliquod principium activum quod crescat et elevetur per talem qualitatem superadditam, sicut calor recipitur in ferro vel in aqua, et mediante calore operantur, non quia aliqua activitas eorum præsupposita a calore perficiatur et crescat, sed præcise quia qualitatem activam recipiunt. Unde quasi per accidens dicuntur agere per calorem, quia videlicet et sustentant qualitatem quæ activa est: subjecto autem recipienti per accidens est quod recipiat qualitatem quæ activa sit; nec recipit illam ut activitatem, sed ut formam

informantem se. Quæ vero recipiunt aliquam activitatem seu virtutem non præcise quia forma informans est, sed quia activitas est, non se habent ut præcise recipientia: sed quia activa sunt, imperfecta tamen, vel improportionata, petunt majorem illam activitatem, ut activa reddantur. Et talia dicuntur ratione activitatis superadditæ per se agere, quia in ratione activi principii illam respiciunt, et non in ratione pure receptivi tantum illa informantur, nec sicut aqua informatur calore, quæ ratione sustentationis et receptionis qualitatis activæ præcise agere dicitur. — Alio modo ut forma superaddita ad agendum se habet ut motio, non quidem elevativa virtutis ut reddatur elevatior in agendo et movendo se, sed elevativa operationis, ut scilicet cooperando aliquid ex se, attingat aliud ut mota et deserviens superiori moventi. Et hoc est proprium instrumentorum, quæ operantur ut præcise mota ab alio, et ut deservientia superiori agenti deferendo ejus motionem. — Tertio modo qualitas activa impressa ab extrinseco habet se ut elevans non solum ipsam operationem, sed elevans et habilitans aliquod principium activum de se, et non pure receptivum, sed tantum improportionatum et remotum respectu alicujus actus, seu effectus, proportionabile autem et elevabile per supervenientem virtutem. Et hoc modo elevantur potentiæ vitales ad actus supernaturales non solum ut actus fiant in entitate supernaturali, sed etiam in vitalitate, quia ad vitam æternam, seu ad vivendum modo æterno et supernaturali elevatur.

676. Intellectus etiam elevatus lumine gloriæ ad videndum Deum, non concurrit instrumentaliter, sed principaliter et ut causa principalis. Ratio est quia de ratione instrumenti est ut operetur quidem aliquid ultra propriam virtutem quam habet ex natura sua, sed non sufficit hoc: sed debet etiam operari ultra virtutem quæ sibi facta sit propria ex proportione alterius, ita ut non sit ista virtus subjecta proprio motui et usui, sed alterius cui deservit et ministrat: si enim causa illa ita participat aliquam virtutem ab alio, quod potest uti ea et movere se ipsam cum ea, aut (ut uno verbo dicam) ita operari cum illa ac si esset ex propriis naturæ orta, parum interest quod sit ultra proportionem propriæ seu nativæ virtutis, dummodo non sit ultra hanc quam habet participatam et subjectam

suo usui. Et ratio est clara, quia si habet illam virtutem ita suam et sibi subjectam, ut uti possit illa ut voluerit, et perinde ac si esset orta ex propriis, in operatione illius sibi et non alteri deservit et ministrat: ergo habet rationem causæ principalis, et non ministerialis seu instrumentalis, quia hæc desumitur necessario per ordinem ad alterum cui deservit et ministrat, non in ordine ad se et ad agendum pro se: ita enim sibi datur altior illa virtus quod ut propria illa utitur, et assimilat sibi effectum, non alio ut principaliori cui deservit. — Ad hæc, in ratione instrumenti, maxime essentiale est ut condistinguatur contra causam principalem tamquam aliquid ei inferius, et non sufficit quod sit inferius quantum ad dependentiam in causando et diversitatem ordinis, sic enim causa secunda est inferior ad primam, dependetque ab ea: nec tamen instrumentalis est, sed principalis. Ergo oportet specialem modum inferioritatis et ministrationis in instrumento assignare; non est autem alius nisi quod respiciat alterum cui ut principaliter deserviat, et cui assimiletur effectus, et a quo moveatur: quod totum repugnat causæ vitali et liberæ in operando, cum moveat se et assimilet sibi effectum, idest actum vitalem faciat vitalitate elevata, et sibi assimilata in quantum elevata est; sicut de facto contingit in visione beata, quæ procedit ut similis intellectui elevato et supernaturalizato in vitalitate et supernaturalitate, et consequenter procedit ex concursu Dei connaturali et debito intellectui sic elevato, quia ille concursus tribuitur ad assimilandum sibi effectum: ergo non est concursus tamquam cum instrumento, sed tamquam cum causa principali.

677. Nec obstat quod respectu intellectus in sua activitate naturali considerati, se habet ut virtus elevans, et sic videtur uti illo ut instrumento, quia virtus illa elevans non utitur virtute activa intellectus ut præcise mota, sed ut movente se, etiam in usu talis virtutis elevatæ; nec recipit illam virtutem ut effectus assimiletur alteri agenti, et ut ministret, sed ut assimilet sibi et vivat in se per illam: ergo non utitur intellectus ut instrumento, sed causam principalem constituit, licet elevatam; tum etiam quia intellectus non agit per aliam activitatem quam per elevatam et supernaturalem in elicienda visione: si autem virtus activa naturalis concurrit respectu

alicujus formalitatis relucentis in effectu, respectu illius non instrumentaliter se habet, sed principaliter, cum sit proportionata.

ARTICULUS VI.

Multiplex est medium in quo supernaturalis contemplatio perficitur.

678. In isto articulo solum loquimur de medio tenente se ex parte objecti, sive sit revera medium ab objecto distinctum, ut ordinarie contingit; sive sit ipsummet objectum, quod in se ipso videtur, ut aliquando contingit, ut dum angelus se ipsum cognoscit. Et non loquimur de medio tenente se ex parte potentiæ, quia de isto jam disputatum est articulis præcedentibus. Medium contemplationis supernaturalis ordinarie sunt species, tam intentionales quam intelligibiles, in potentiis præexistentes, vel tunc de novo acquisitæ. Et cum dictum sit, quod ad contemplationem concurrit per se tam intellectus quam imaginatio; intellectui autem deserviunt species intelligibiles, et imaginationi species intentionales, et ambæ sunt formales objectorum repræsentationes, de his agendum est.

679. D. Thomas, qu. 12 De veritate, art. 7, dicit: Judicium igitur supernaturale prophetæ datur secundum lumen ei infusum, ex quo intellectus roboratur ad judicandum: et quantum ad hoc nullæ species præexiguntur; sed quantum ad acceptionem requiritur nova formatio specierum, sive ut fiant in mente species quæ prius non fuerunt, utpote si alicui cæco nato imprimerentur species colorum, sive ut species præexistentes ordinentur et componantur divinitus tali modo qui competat significationi rerum quæ debent prophetæ ostendi, et per hunc modum concedendum est quod prophetæ revelatio non solum fit secundum lumen, sed secundum species, quandoque vero secundum lumen tantum. Et solutione ad 1, dicit: Non autem sola visio intellectualis ad prophetiam pertinet, sed imaginaria, in qua species formari possunt, convenientes etiam ad singularium repræsentationem. Et in solutione ad 3 dicit quod illarum rerum quas propheta vidit, non oportet ut ei

denuo species infundantur: sed ex speciebus reservatis in thesauro virtutis imaginativæ, fiat quædam aggregatio ordinata, conveniens designationi rei prophetandæ. Et solutione ad 5: Quamvis igitur homo quilibet possit quaslibet imaginationes formare naturali virtute, tamen quod formentur convenienter rei figuratæ significandæ, non potest fieri, nisi ab eo qui rerum illarum cognitionem habet, et secundum hoc formatio imaginariæ visionis in propheta supernaturalis existit. Et in solutione ad 6 dicit quod species illæ quæ præexistunt in vi imaginativa prophetæ, prout existunt, non sufficiunt ad significationem rerum futurarum: et ideo oportet quod divinitus aliter transformentur.

680. Facile est cognoscere ea quæ habent propriam speciem. Sed audite admirabilem doctrinam D. Thomæ quomodo cognoscantur charitas et alia dona supernaturalia, et quomodo cognoscantur habitus naturales. Et istam doctrinam adducit præcipue Quodlibet 8, art. 4, et etiam q. 10 De veritate, art. 9. Duplex est cognitio charitatis: una cognoscit quid est charitas; alia qua charitas percipitur, ut cum aliquis cognoscit se habere charitatem, quod pertinet ad cognitionem an est. Prima quidem cognitio charitatis eodem modo competit habenti et non habenti charitatem. Nam intellectus humanus natus est rerum quidditatem comprehendere, in quibus cognoscendis naturaliter procedit, sicut in cognoscendis conclusionibus complexis. Insunt enim nobis naturaliter quædam principia prima complexa ab omnibus nota, ex quibus ratio procedit ad cognoscendum in actu conclusiones, quæ in prædictis principiis potentialiter continentur, sive per inventionem propriam, sive per doctrinam alienam, sive per revelationem divinam, in quibus omnibus modis cognoscendis homo juvatur ex principiis naturaliter cognitis. Vel ita quod ipsa principia cognita ad cognitionem acquirendam sufficiant adminiculantibus sensu et imaginatione, sicut cum aliquam cognitionem acquirimus per inventionem vel doctrinam. Et quia species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, et est quodammodo ipsa quidditas et natura rei secundum esse intelligibile, non secundum esse naturale, prout est in rebus: ideo omnia quæ non cadunt sub sensu et imaginatione, sed sub solo intellectu, cognoscuntur per hoc quod essentiæ vel quidditates eorum sunt

aliquo modo in intellectu. Et hic est modus quo charitas cognoscitur cognitione quidem tam ab habente charitatem quam a non habente. Sed secundum alium modum cognoscendi charitatem, neque charitas neque aliquis habitus, sive potentia percipitur a nostro intellectu, nisi per hoc quod actus percipiuntur, ut patet per Philosophum X. Ethic. Actus autem charitatis, vel alterius habitus eliciuntur ab ipsa charitate vel ab habitu, per propriam essentiam charitatis, vel alterius habitus: et per hunc modum dicitur aliquis se cognoscere habere charitatem, vel alium habitum, per ipsam essentiam habitus secundum esse naturale quod habet in rerum natura, et non solum in intellectu. Sicut autem nullus potest cognoscere charitatem nisi charitatem habens, quia actus charitatis et aliarum virtutum præcipue consistunt in motibus interioribus, qui non possunt esse cogniti nisi operanti, nisi quatenus manifestantur ex actibus exterioribus, et sic per quamdam conjecturam aliquis non habens charitatem potest percipere alium charitatem habere. Hoc autem dico supponendo quod aliquis possit scire se habere charitatem, quod tamen non puto esse verum. Hæc ille.

681. D. Thomas, p. p., qu. 10, art. 3, in quo quærit utrum Deus moveat immediate intellectum creatum, respondet: Sicut in motibus corporalibus movens dicitur quod dat formam, quæ est principium motus: ita dicitur movere intellectum quod causat formam, quæ est principium intellectualis operationis, quæ dicitur motus intellectus. Operationis autem intellectus est duplex principium in intelligente, unum scilicet quod est ipsa virtus intellectualis, quod quidem principium est etiam in intelligente in potentia. Aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ. Dicitur ergo aliquid movere intellectum, sive det intelligenti virtutem ad intelligendum, sive imprimat ei similitudinem rei intellectæ. Utroque autem modo Deus movet intellectum creatum. Ipse enim est ipsum primum ens immateriale. Et quia intellectualitas consequitur immaterialitatem, sequitur quod ipse sit primum intelligens. Similiter cum ipse sit primum ens, et omnia entia præexistant in ipso sicut in prima causa, oportet quod sint in eo intelligibiliter secundum modum ejus. Sic ergo Deus movet intellectum, in quantum dat ei virtutem ad intelligen-

dum, vel naturalem, vel superadditam, et in quantum imprimit ei species intelligibiles: et utrumque tenet et conservat in esse. Hæc ille.

682. Et ut intelligamus per quas species intelligit anima separata a corpore, videndum est id quod subtiliter affirmat D. Thomas in IV, dist. 50, art. 1, in corp. Intelligit per influentiam a substantiis superioribus, scilicet Deo, vel angelis, et loquor de naturali influentia, et per hujusmodi influentiam, cognitionem habet majorem, vel minorem, secundum modum naturalis capacitatis ipsius animæ. Intellectus enim noster est medius inter substantias intelligibiles et res corporales: unde anima intellectiva dicitur esse creata in horizonte æternitatis in libro De causis, et hoc ideo quia ipsa per intellectum attingit ad substantias intelligibiles; in quantum vero est actus corporis, contingit res corporales. Omne autem medium quanto magis appropinquat uni extremorum, tanto magis recedit ab alio; et quanto magis recedit ab uno, tanto magis alteri appropinquat. Unde cum anima nostra in statu viæ maxime ad corpus accedat, utpote actus ejus existens, non habet respectum ad res intelligibiles, nisi aliquo modo contingendo corpus, et propter hoc anima in statu viæ non recipit influentiam a superioribus substantiis: et quanto magis anima a corpore abstrahitur, tanto magis a substantiis spiritualibus influxum cognitionis recipit. Hæc ille.

683. D. Thomas in IV, dist. 50, art. 2, dicit quod formæ intelligibiles a sensibus acceptæ non sunt omnino unius rationis cum illis formis quæ immediate ex influentia divina proveniunt, quia ex diversis imprimentibus diversæ impressiones relinquuntur. Et quando contemplatio est elevatior, sicut dum pertingit ad divinam caliginem, Deus novas animæ species infundit. Idem dico de cognitione quæ habetur per scientiam inditam vel infusam. Utrum autem istæ species sint naturales vel supernaturales, dico: melius et aptius dicendæ sunt præternaturales, quia sunt naturales quoad substantiam, et supernaturales quoad modum. Hinc colligitur disparitas inter species infusas et habitus infusos per se; quod tales habitus sunt supernaturales quoad substantiam, non autem species. Hæc ille.

684. Advertendum est id quod docet D. Thomas in multis locis suorum operum, præsertim p. p., q. 114, art. 4 ad 2; in II,

dist. 8, art. 5 ad 4; De potentia, q. 6, art. 5; De malo, q. 16, art. 12 ad 2, et ad Galat. III, lect. 1: quod angeli tam boni quam mali possunt interius quodammodo disponere et ordinare species imaginarias, secundum quod competit ad aliquod intelligibile apprehendendum. Quod quidem angeli boni ordinant ad hominis bonum, dæmones autem ad hominis malum; vel quantum ad effectum peccati, prout scilicet homo ex his quæ apprehendit movetur ad superbiam vel ad aliquod aliud peccatum, vel ad impediendam ipsam intelligentiam veritatis, secundum quod per aliqua apprehensa inducitur homo in dubitationem quam solvere non scit, et sic trahitur in errorem. Unde Augustinus dicit, lib. 83 quæst., quod dæmon quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos pendere lumen rationis mentis solet. Hæc ille.

DISPUTATIO V.

DE DIVINIS VISIONIBUS, REVELATIONIBUS, LOCUTIONIBUS ET ALIIS.

ARTICULUS I.

De visione corporali rerum cœlestium.

685. Tres species visionis adducit D. Thomas, p. p., q. 93, art. 6 ad 4; et 2 2, q. 174, art. 2 ad 3; De veritate, q. 8, art. 7. Super cap. 1 Isaiæ facit mentionem harum visionum. Et II. Cor. XII, lect. 1: Nempe corporalem, imaginariam et intellectivam. Corporalis visio est quando exteriori sensu aliquid videtur, in quo latet significatio mystica, hoc est quod non sua virtute videri, vel manifestari potest, sed superiori virtute opus est ad illud cognoscendum: hoc modo Abraham vidit tres angelos in Mambre, Moyses rubum, etc. Et visio primo, et proprie dicitur de visione corporali, quia omnis nostra cognitio est a sensibus, inter quos visus potior est et subtilitate et uni-

versalitate, quia plures rerum differentias ostendit. Ex visione corporali facta est extensio ad omnes sensus exteriores. Ad auditum, Exod. xx: Cunctus autem populus videbat voces et lampades, cum tamen voces nonnisi auditu percipiuntur, et ideo visus ad auditum transfertur, ut reperiantur locutiones corporales, imaginativæ et intellectuales, et de his, ut infra dicetur, simile est judicium et definitio sicut de visione dictum est.

686. D. Thomas, II. Cor. xii, lect. 1, constituit differentiam inter visionem et revelationem. Nam revelatio includit visionem, et non e converso. Nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus et significatio est occulta videnti, et tunc est visio solum. Sicut fuit visio Pharaonis et Nabuchodonosor, Genes. xli et Daniel. ii. Sed quando cum visione habetur significatio intellectus eorum quæ videntur, tunc est revelatio. Unde quantum ad Pharaonem et Nabuchodonosor, visio de spicis et de statua fuit solum visio: sed quantum ad Joseph et Danielem, qui significationem visorum habuerunt, fuit revelatio et prophetia. Utrumque tamen, scilicet visio et revelatio, quandoque quidem fit a Deo; Daniel. ii: Est Deus in cœlo revelans mysteria; Oseæ xii: Ego visiones multiplicavi eis; Psal. cxviii: Revela oculos meos. Quandoque vero a malo spiritu; Jer. xxiii: Prophetæ prophetabant in Baal. Apostolo autem facta est visio et revelatio, quia secreta quæ vidit plene intellexit a Domino, non a malo spiritu. Unde dicit: Veniam autem ad visiones et revelationes Domini. Consequenter visiones et revelationes hujusmodi manifestat Apostolus in speciali de se tamquam de alio. Hæc ille.

687. D. Thomas in i, dist. 16, art. 1 ad 4: De ratione apparitionis non est nisi quod aliquod divinum in signo visibili manifestetur; non autem quod manifestetur origo unius personæ ab alia, nec inhabitatio secundum specialem modum essendi in eo cui fit apparitio, vel in aliquo alio, sicut patet in apparitione facta Abrahæ. Et ideo D. Thomas, p. p., qu. 43, art. 7 ad 6, dicit: Manifestatio visibilis spiritus, idest per signum visibile, datur alicui ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ. Quæ quidem utilitas est ut per hujusmodi visibilia signa fides confirmetur et propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum et per Apostolos, secundum illud Hebr. ii: Cum

initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus sancti ad Christum, ad Apostolos et ad aliquos primitivos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur, ita tamen quod visibilis missio facta ad Christum demonstraret missionem invisibilem, non tunc, sed in principio suæ conceptionis ad eum factam. Facta autem est missio visibilis ad Christum in baptismo quidem sub specie columbæ, ad ostendendam in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem generationem, unde vox Patris intonuit: Hic est filius meus dilectus, ut ad similitudinem Unigeniti alii regenerarentur. In transfiguratione vero sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ, unde dictum est: Ipsum audite. Ad Apostolos autem sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum, unde dictum est eis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ, unde dicitur quod cœperunt loqui variis linguis. Ad Patres autem veteris Testamenti missio visibilis Spiritus sancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filii quam Spiritus sancti, cum Spiritus sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem. Fuerunt autem factæ visibiles apparitiones divinarum personarum Patribus veteris Testamenti. Quæ quidem missiones visibiles dici non possunt, quia non fuerunt factæ, secundum Augustinum, ad designandam inhabitationem divinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum Hæc ille.

688. Apparitiones visibiles Christi semper sunt ad bonum. D. Thomas 3 p., q. 55, art. 3 ad 3: Ideo prima die frequentius apparuit, quia per plura indicia erant admonendi, ut a principio fidem resurrectionis reciperent. Postquam autem jam eam receperunt, non oportebat eos jam certificatos, tam frequentibus apparitionibus instrui. Unde in Evangelio non legitur quod post primum diem eis apparuerit nisi quinquies; ut enim dicit Augustinus, lib. De consensu Evangelistarum, post primas quinque apparitiones sexto eis apparuit, ubi vidit eum Thomas; septimo ad mare Tiberiadis, in captione piscium; octavo, in monte Galilææ, secundum Matthæum; nono, quod dicit Marcus, Novissime recumbentibus, quia jam non erant in terra cum

illo convivaturi; decimo, in ipso die Ascensionis, non jam in terra, sed elevatus in nube cum in cœlum ascenderet. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fatetur. Crebra enim erat ejus cum eis conversatio, priusquam ascendisset in cœlum, et hoc ad consolationem ipsorum. Unde et I. Cor. xv dicitur quod visus est plusquam quingentis fratribus simul; deinde visus est Jacobo, de quibus apparitionibus in Evangelio non habetur mentio. Hæc ille.

689. D. Thomas explicans illud Matthæi xxviii: Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus, dicit sic: Supra auditum est quomodo notitia resurrectionis pervenit ad discipulos ex revelatione mulierum; hic quomodo ex ejus visione. Et primo ponitur Christi apparitio, secundo apparentis instructio. " Undecim autem discipuli, „ quia obedientes Christo abierunt in Galilæam. Quod dicit undecim, intelligendum quod Judas abierat. Joan. vi: Duodecim elegi vos, et unus ex vobis diabolus est. Sed duo sunt notanda: quod Christus videtur in Galilæa, et quod in monte. Galilæa interpretatur transmigratio: per hoc signatur quod nullus potest videre Deum, nisi ex duplici transmigratione transferatur, scilicet a vitio ad virtutem; Matth. v: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; item, a mortalitate ad immortalitatem, unde dicit Apostolus, Philipp. i: Coarctor autem a duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. Item visus est in monte ad signandum quod qui vult videre Deum, oportet quod tendat ad celsitudinem justitiæ; Psal. lxxxiii: Ibunt de virtute in virtutem. Item quod in monte significat excellentiam illam ad quam exaltatus est per resurrectionem: quia dum fuit in mundo, fuit in valle mortalitatis, et ascendit in montem immortalitatis per resurrectionem; Is. ii: Elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. — Et notate quod apparet eis " in loco ubi constituerat, „ in quo signatur obedientia, quia soli obedientes veniunt ad visionem divinam, Joan. xiii: Si diligitis me, mandata mea servate; et sequitur: Et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum; Psal. cxviii: A mandatis tuis intellexi, idest ab observatione mandatorum, unde in veteri lege nemo poterat ascendere in montem. Nova lex supplet, et necessarium fuit quod eis apparuerit, quia testes debebant ad tantum opus dari: sed ipse de-

dit testes non solum de auditu, sed etiam de visu; Joan. 1: Quod vidimus et audivimus, hoc testamur. Hæc ille.

690. D. Thomas in 1, dist. 16, art. 4, innuit quod omnes apparitiones corporales veteris Testamenti fuerunt factæ ministerio angelorum. Et advertit Sanctus quod in apparitione et missione visibili est duo considerare, scilicet illud quod exterius apparet, et aliquid quod interius efficitur, vel factum significatur: sed tamen diversimode, quia in apparitione veteris Testamenti illud exterius apparens non refertur ut signum ad illud quod interius est, sed ad aliquid aliud, sicut ad signandum Trinitatem, vel aliquid hujusmodi; unde illud quod interius est, nihil aliud est quam ipsa cognitio, vel illuminatio animæ de rebus quæ per signa exteriora significantur. Et quia illuminationes divinæ descendunt in nos, secundum Dionysium, per angelos, ideo ministerio angelorum in illis apparitionibus utrumque factum est, scilicet et quod exterius est, et quod interius. Et ideo nullo modo est ibi missio divinæ personæ, quæ tantum attenditur secundum immediatum effectum ipsius personæ divinæ. In missione autem visibili, illud quod exterius apparet est signum ejus quod interius est factum, vel tunc, vel prius: unde interius non ponitur tantum aliqua cognitio, sed aliquis effectus gratiæ gratum facientis, qui est immediate a divina persona, ratione cujus divina persona mitti dicitur. Unde in missione visibili illud quod est interius, immediate sine ministerio angelorum effectum est: propter quod ratione illius effectus persona divina mitti dicitur; sed quantum ad id quod est exterius angeli ministerium habent, ut Gregorius dicit. Hæc ille.

691. Infinitæ referuntur apparitiones Christi in lege gratiæ, et D. Thomas solum concedit, 3 p., q. 57, art. 6 ad 3, exponens verba Pauli: Novissime tamquam abortivo visus est mihi, quod ista solum fuit vera et realis apparitio, aliæ vero sunt factæ ministerio angelorum. Et D. Thomas, 3 p., q. 76, art. 8, negat quod quando Christus Dominus apparet in Eucharistia in forma pueri, sit vera, et realis, et propria apparitio: sed solum est facta ministerio angelorum, sive apparitio contingat ex parte videntis, cujus oculi immutantur; sive ex parte speciei, quæ videtur realiter exterius existere. Et non desinit ibi esse corpus Christi per hujusmodi apparitiones et mutationes, manentibus

tamen et perseverantibus speciebus aliis sacramentalibus; si enim istæ dissolvantur, non erit ibi corpus Christi. Advertendum tamen est quod quando apparitio contingit ex specie realiter existente in ipsis dimensionibus remanentibus, se immiscere non potest dæmon; tamen cum contingit immutatio ex parte videntium, facilius potest dæmon in his se insinuare formando species in organo visus. Eodem modo dicendum est de gustu ut de visu: multoties enim quibusdam concessa est dulcedo sensibilis in receptione sanctissimæ Eucharistiæ. Cum apparent angeli boni, licitum est cum eis familiares miscere sermones, sed debitis honoribus et reverentiis, non ob curiositatem, ne sciscitantes ea quæ possumus edoceri a magistris Ecclesiarum in periculosissimas tentationes incidamus, illustrari tamen ab illis circa ea ad quæ destinantur, possumus appetere et sciscitari, non ut humana temeritas se extendat ad sciendum quæ Dei dispositioni et secretis reservantur, quæ neque angelo semper revelantur, sed quæ intra propriam mensuram nobis continentibus expedit de præfatis et hujusmodi edoceri. Cum spiritibus vero malis non licet amicabilia miscere colloquia, ut docet D. Thomas, 2 2, qu. 90, art. 2. Quæ enim conventio lucis ad tenebras?

692. Animæ existentes in cœlo, et damnatorum existentes in inferno, et illæ quæ in purgatorio pœnis expiantur, corporali specie videntur. Anima Samuelis humana specie apparuit, ut habetur ex I. lib. Regum, cap. VIII. Onias sacerdos et Jeremias visibili specie Judæ Machabæo apparuerunt, et Moyses jam mortuus cum Elia vivente in monte Thabor sub corporali specie visi sunt loquentes de excessu cum Christo Domino. Quando autem corpora assumunt humanam speciem præferentia, non a propria et naturali sua virtute animæ illa efformant, sed potius angelorum ministerio id fieri (*constat*). Damnatorum autem spiritus, cum sint destinati carceri a quo regressus non datur, non vi naturali, sed ex divina dispositione possunt ad nos transmitti, ut fatebatur illius divitis anima, quæ rogabat Abraham ut ad suos fratres admonendos mitteret Lazarum, ne et ipsi venirent in eum locum tormentorum: erat autem anima Lazari in limbo Patrum. Et eadem ratio recurrit de aliis animabus in inferno, ut naturalis non sit possibilis regressus, nisi divina permissione et jussione. Sic explicat D. Thomas illum locum

Job, cap. VII: Sicut qui descendit ad inferos non ascendet nec revertetur ultra: Locutum esse secundum cursum naturæ, non de eo quod agitur miraculose.

693. Animæ purgatorii frequentissime apparent ad petenda suffragia. Multa exempla in Gregorio et aliis Sanctis legimus, plenæ sunt his historiæ ecclesiasticæ. Insignis visio illa est S. Nicolai Tolentinatis, cui apparuit latissimus campus animarum in igne degentium plenus, et supplicabatur ab anima illius peregrini ut ad sacrificia celebranda se accingeret, ad relevandas et mitigandas purgatorii flammas. Sed quæ est harum apparitionum utilitas? et quam ob causam vult Deus ut ejus cœlestes et invisibiles spiritus hominibus in forma visibili se manifestent? Hujus multæ possunt causæ signari. Prima, ut homo, ad quem apparitio destinatur, connaturalissimo sibi modo proficiat. Nam sic cœlestia per sensus haurit, et oculis atque auribus ea videt et audit, quibus in sanctis affectibus incalescit. — Secunda, ut sic angeli et cœlestes cives naturam humanam nobilitent et honore afficiant, dum ejus effigiem induunt, et ac si essent homines hujus regionis cum hominibus conversantur. — Tertia, ut homines futuræ cum angelis societatis æternæ, quæ utrisque in illa beata vita communis esse debet, pignus accipiant, dum vident eos quasi hujus vitæ conditionem subire, et ad nostram parvitatem inclinari. — Quarta, ut Deus his signis visibilibus sinceram pietatem et veram religionem provehat, et per sensus in nos influat quo ad ejus venerationem accendat. — Quinta, ut ostendat quam chara sit illi nostra salus, cujus causa, ut rebus nostris consulat, quasi naturæ ordinem interturbat, et cœlestes substantias ad corporum abjectionem humiliat. — Sexta, ut homo benignitatem angelorum et sanctorum erga se, et amorem, et misericordiæ viscera cernat, et in visibili illo corpore, atque in his quæ in illo geruntur, apparentis sibi splendorem internum et majestatem agnoscat. — Septima demum ut ipse homo minus sibi tribuat, et humilitas cordi illi sit, dum considerat se, non solum exterioribus instinctibus, quos forte sibi adscriberet, sed externis quoque hisce adjumentis ad virtutem et sæculi despicientiam impelli.

694. Ista apparitio visibilis est omnium infima et illusioni diaboli magis exposita. Est quidem omnium infima ex eo quod sensibus exterioribus percipitur, qui imaginatione et intelli-

gentia longe sunt imperfectiores, nisi forte huic visioni corporali visio intellectualis adjungatur, ut in apparitione angeli Gabrielis conceptum divini Verbi annunciantis B. Virgini factum est. — Est insuper illusioni dæmonis multum exposita, quoniam virtute naturali potest corpus ex aere formare, sicut possunt angeli boni, et in illo Christum Dominum aut Virginem Mariam, aut sanctum aliquem exhibere, vel se ipsum angelum lucis esse mentiri. — Sciant etiam has apparitiones ad veram sanctitatem non spectare: quia eas habens propter illas non est sanctior, et illis carens propterea quod sibi non suppetunt, non est imperfectior. Dantur hæ occulto et justo judicio Domini tum bonis, tum malis: nam et Pharao et Balaam visum viderunt; et Nabuchodonosor, et Balthasar, et alii multi, et propter hæc insueta visa meliores facti non sunt. — Sæpe etiam visiones istæ sunt falsæ et illusoriæ, juxta illud Ezechielis: Vident mala, et divinant mendacium. Et: Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? — Sæpe ex vehementi apprehensione et ex melancholia proveniunt, et sunt initia quædam insaniæ. Dato autem quod sint veræ, per se meritoriæ non sunt, sed bonus earum usus inspiciendus est, ut quis ex illis aliquid mereatur.

695. Sciant deinde apparitiones istas nec appetendas esse, neque postulandas: sed si inciderent, humiliter fugiendas; rogandusque Dominus ne nos his insuetis rationibus, sed mediis ordinariis et solidioribus, si ita suæ majestati visum fuerit, nostram salutem promoveat. Hoc ergo desiderium apparitionum, excessuum et raptuum, et aliorum hujusmodi, cohibendum et omnino rejiciendum est. Nam et indicium est superbiæ occultæ, aut saltem vanæ curiositatis, velle has res extraordinarias experiri. Et sic aditus dæmoni aperitur, cujus est superbos adoriri, et curiosas animas in errorem inducere. — Ad hoc pulchra est sententia Nili abbatis docentis hæc desideria ex inani gloria procedere. Sic enim ait: Cum jam deinceps mens pure et sine perturbatione orat, non amplius dæmones a sinistris adoriuntur, sed a dextris; subjiciunt enim illi splendorem Dei et imaginem quamdam eorum quæ sunt amica sui, ut videatur sibi finem ac propositum orationis perfectæ adeptus; hoc autem quidam vir multa actione exercitatus exposuit a vana gloria proficisci, simulque a dæmone locum cerebri attrectante. Et rursus: Existimo dæmonem

qui locum quem dixi, attrectat, lumen menti circumfusum, ut ei libet, vertere; atque ita passionem vanæ gloriæ excitare, ita cogitatione mentem informando, ut ipsa mens conjecturam faciat divinæ et substantialis cognitionis: itaque cum iste carnalibus et fœdis passionibus non agitetur, imo pure in oratione exstet, non amplius putat aliquid in se ab adversario fieri. Unde suspicatur quod sibi apparet id esse divinum, dum dæmon vehementer vi ingenii sui utitur, ac per cerebrum lumen conjunctum immutat, et mentem, ut ante diximus, infirmat. Deinde, quia illa desideranda, et postulanda, et procuranda sunt, quibus Deo placemus, in virtute proficimus, ad perfectionem tendimus, et æternam salutem assequimur; hæc autem sunt amor Dei et proximi, custodia exacta legis ejus, solida virtus, abnegatio nostra, contemptus sæculi et alia hujus generis, non vero apparitiones ac revelationes, in quibus multum solet esse periculi et non multum utilitatis: nequaquam ergo ad hæc desideria nostra aut orationes ferantur. Apparitiones vero istas fugere non est divinis donis impedimentum apponere, sed solidioribus donis aditum aperire, et ad hæc et alia animum præparare. Humilitas enim est via regia ad dona Dei. Ille autem se per humilitatem dejicit, qui hæc dona insueta et periculorum plena, tamquam indignus refugit.

696. S. Vincentius Ferrerius putat optimum remedium contra illusiones diaboli hujus temporis, quod illi qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem vel contemplationem, vel per alia opera perfectionis, visiones vel revelationes, vel sentimenta quæ sunt supra naturam et supra omnem cursum eorum qui diligunt Deum et timent per verissimum amorem: quia prædictum desiderium non potest esse desiderium sine radice et fundamento superbiæ et præsumptionis, vel intentionis alicujus vanæ curiositatis circa Deum, vel sine fragilitate fidei. Et per hunc defectum justitia Dei dimittit animam, quæ habet antedictum desiderium, et permittit venire in talem illusionem et tentationem diaboli per falsas visiones et revelationes, et falsas seductiones, per quem modum seminat majorem partem tentationum spiritualium hujus temporis, et radicat eas in cordibus illorum qui sunt nuntii antichristi, secundum quod poteris videre per subsequentia. Debes enim scire quod veræ revelationes et sentimenta spiritualia secretorum Dei non

veniunt per antedictum desiderium, neque per aliquem conatum, seu studium quod anima habeat in se, sed tantum veniunt pura bonitate Dei in animam quæ est in magna humilitate, et in magno desiderio Dei et reverentia. Nec etiam exercitet se homo in magna humilitate et timore Dei propter hoc ut habeat visiones, et revelationes, et sentimenta supradicta: quia in idem delictum caderet, in quod per supradictum desiderium. Hæc Vincentius.

697. Sed qui eas non appetit, nec petit, potius vero metuit, et simpliciter ob gloriam Dei et propriam perfectionem orationi vacare cupit, si aliquid videat, quid tandem faciat? Tria illi facienda sunt. Primo, Christum sibi apparentem vel Virginem Mariam, vel aliquem ex sanctis aut angelis reverenter et devote suscipiat, et congrua adoratione vel cultu se illi submittat. Nam quamvis ille esset diabolus, nullum est in hac adoratione periculum, ex quo ipse diabolum non adorat, nec veneratur, sed Christi aut sanctorum imaginem sibi ostensam: quæ adoratio non in diabolum fertur, sed in Christum repræsentatum terminatur. Sic etiam ad Domini et sanctorum amorem afficiatur, et quidquid boni et utilis sibi dicatur, quisque sit finis illius revelationis, attendat: an ipsum in tribulatione consolari, an tepidum excitare, an strenue se gerentem magis ac magis animare, an arrham quamdam futuræ vitæ præbere, an tenerrimum et fidelissimum Domini erga se amorem ostendere.

698. Secundo, convenienti tempore hanc apparitionem magistro spiritus vel alii viro prudenti manifestabit, ut ab eodem de veritate apparitionis doceatur, et in omnibus dirigatur. Si autem hominem ad hoc sufficientem non habet, ipse prudenter per se expendat: ac cogitabit qualis sit ista salutatio; ad quod lumen et discretionem spiritus obtinere petat, et consideret an apparitio sit divinæ Scripturæ et sensui Ecclesiæ consona. Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas: nec Christum in sua clarificatione recipio, si non assistant ei Moyses et Elias. Et in valle, et in montis ascensione Christum sæpe recipio sine teste, nunquam autem in montis vertice, vel in sua clarificatione. Si Christus docet me de rebus exterioribus vel de intimis meis, facile recipio, utpote in his quæ comprobare possum proprio experimento. Verum ubi ad alta mens ducitur, quando de cœlestibus quæstio

ventilatur, ubi de profundis rebus agitur, in tantæ sublimitatis vertice, non recipio Christum sine teste, nec rata poterit esse quælibet verisimilis revelatio sine attestatione Moysis et Eliæ, sine Scripturarum auctoritate. Tandem expendat an ad charitatem et omnem virtutem se sentiat excitari: quia hoc est proprium divinarum consolationum. Si autem hæc habuerit, poterit de divina miseratione sperare quod ab adversario non fallitur.

699. Tertio demum quandoquidem ad cœlestium conversationem admittitur, curet vitam cœlestem æmulari, et ita vivere ut mundo mortuus, Deo vero vivus sit, et appareat, et per omnimodam sui abnegationem magis ac magis ad cœlestia dona se disponat. Sic fit ut apparitiones istæ, et intuitiones rerum divinarum, quæ in illis contingunt, animæ utiles efficiantur. Tandem sciendum est alio etiam modo has apparitiones exteriores fieri posse, scilicet per immutationem sensuum nostrorum: ita scilicet ut angelus apparens nullum corpus assumat, sed solum oculum videntis immutet, et similitudinem aliquam inferat rei quam videri vult. Et hac ratione fieri solent apparitiones in Eucharistia, quando in hostia videtur puerulus, vel caro, ut illa apparitione veritas corporis Christi latentis efficacius ostendatur.

ARTICULUS II.

De visione imaginaria.

700. Visionem imaginariam definit D. Thomas in expositione super caput 1 Isaiæ: Cognitionem habitam per speciem receptam in imaginatione, repræsentantem aliquid divinum et cœleste, non minus clare quam si corporeis oculis cerneretur. Potentia imaginativa est perfectior sensitiva exteriori, quia percipit res præsentes, præteritas et futuras, quod potentiæ exteriores non faciunt: imo, et aliquas nunquam futuras et impossibiles fingit. Et ideo visio imaginaria est media inter sensitivam et intellectivam. Fit autem hæc apparitio per species seu figuras et imagines rerum quas jam habemus, et sensibus exterioribus hausimus; vel vi alicuius objecti, non prius

quidem in se ipso corporaliter visi, sed visi in aliquo sibi simili et per partes; et tunc in imaginatione coordinantur species acquisitæ, quibus divinitus coordinatis, ipsum objectum adæquate repræsentatur; vel per novas imagines a Deo immissas.

701. D. Thomas explicans illud divi Pauli ad Rom. XIII: Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt, dicit sic: Quia Deus omnia per suam sapientiam facit, secundum illud Psal. CII: Omnia in sapientia fecisti. Est autem proprium sapientiæ ordinate omnia disponere. Sap. VIII: Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Et ideo oportet effectus divinos ordinatos esse. Job XXXVIII: Numquid nosti ordinem cœli et ponis rationem ejus in terra? Duplicem autem ordinem Deus in suis effectibus instituit. Unum quidem quo omnia ordinantur in ipsum; Prov. XVI: Universa propter semetipsum operatus est Deus. Alium vero quo effectus divini ordinantur ad invicem, sicut dicitur, Deuter. IV, de sole, luna et stellis, quod fecit ea in ministerium cunctis gentibus. Sic Deus volens animam a sua conditione infima ad sublimem divinitatis unionem exaltare, disposuit omnia ordinate, suaviter et juxta modum ipsius animæ: primo, per visionem corporalem; secundo, per imaginariam; tertio, per intellectualem. D. Thomas explicans illud D. Pauli, I. Cor. XIII: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, dicit sic: Et videtur Apostolus ordine præpostero hæc tria ponere. Nam locutio præexigit judicium sapientiæ: judicium vero præsupponit cogitationes rationis. Et hoc satis congruit imperfectioni puerili, in qua est locutio sine judicio, et judicium sine deliberatione. Potest autem referri quod dicit: " loquebar ut parvulus " ad donum linguarum; cum dicit: " sapiebam ut parvulus " ad donum prophetiæ, quæ est visio imaginaria; " Cogitabam ut parvulus " ad donum scientiæ. Sic Deus in istis visionibus, primo visiones sanctorum corporeas. odores suavissimos communicat; secundo, visiones imaginarias; ultimo, visiones intellectuales. Et sic Deus animam per gradus elevat ac dirigit ad sublimiora, ad magis spiritualia et pura, et ad magis interiora: non quod prædictus ordo sic regulariter ac indispensabiliter observetur ut Deus non aliquando immutet, cum alio modo procedendum esse ad bonum animæ judicaverit.

702. Duplex ergo genus esse potest in hujusmodi visionibus imaginariis: quoddam quod vigilantibus sese offert; quoddam quod dormientibus exhibetur: utroque enim modo instrui possunt homines vigilando et dormiendo. Unde D. Thomas, 2 2, qu. 83, art. 3, ait: Cum veritas supernaturalis manifestatur per imaginariam visionem, attenditur diversificatio secundum definitionem somnii quod fit in dormiendo, et visionis quæ fit in vigilando, maxime cum utroque modo videt aliquem sibi alloquentem, aut aliquid demonstrantem, in specie hominis, vel angeli, vel Dei. Hæc ille. Visiones imaginariæ Danielis fuerunt ipso vigilante. Antiquus, ait, dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Apparuit antiquus ad denotandam æternitatem; vestimento candido amictus, propter sanctitatem; capillis mundissimis ornatus, propter judiciorum summam æquitatem; throno insidens, propter majestatem; igne circumdatus, propter operandi efficacitatem; fluvium igneum et rapidum emanans, ob beneficiorum copiam et subveniendi celeritatem. Solet etiam apparere Christus Dominus in ista visione imaginaria et vigilantibus, secundum diversam dispositionem quam habuit in diversis mysteriis, ut si apparcat infans ut erat in præsepio, puer ut in reversione ex Ægypto, vir in munere prædicatorio, lætus in resurrectione, afflictus in cruce. Sic apparuit Dominus sæpe Joanni, ut ipse narrat in sua Apocalypsi. — De visione imaginaria quæ fit in dormiente loquitur D. Thomas, 2 2, quæst. 95, art. 6: Spiritualis autem causa somniorum quandoquidem est a Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somnis, secundum illud Numer. XII: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Et Tertullianus, cap. 47, De anima: Gratiam Spiritus sancti in omnem carnem, et sicut prophetaturos, ita somniaturos, servos suos et ancillas suas, et deputabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, revelatoria, ædificatoria, vocatoria, etc. Et Joannes Taulerius, serm. I de solemnitate paschali; et D. Bonaventura, de profectu Relig., lib. II, cap. 76: Si hujusmodi bonum quod consulunt, pietatem, non curiositatem promovet et hujusmodi; quæ enim desursum est sapientia, pudica

est et pacifica, et hæc in somnis divina instructio attestatur divinam providentiam, vel elevantem hominem ad intelligendum divina mysteria, vel dirigentem hominem circa futura prosequenda vel vitanda, flagellis minando, bonorum promissione invitando: unde Pharaoni revelata est penuria et ubertas, Joseph sua exaltatio, Gedeoni victoria de hostibus, Sponso Virginis Deiparæ Herodis sævitiæ ut in Ægyptum declinaret, revelatio in somnis facta est.

703. Considerandum tamen est ex D. Thoma, in Job cap. IV, lect. 3, in ejusmodi visionibus imaginariis et somniis, quod veriora solent esse et certiora cum vigilantibus apparent quam cum dormientibus: eo quod in vigilando est ratio magis libera, et quia in somno spirituales visiones minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis. Ideo Job, ad ostendendam quamdam revelationem, non tantum sibi dormienti, sed vigilanti factam esse, ait: Stetit quidam cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis; per quod, ait D. Thomas, significat se hoc vidisse cum oculis per vigiliam apertis, quando sopor solet occupare homines, per hanc adversativam, nempe " oculis apertis „ innuentis sese sopore occupatum non fuisse. Legendus est D. Thomas, 2 2, q. 174, art. 3.

704. Etsi autem ex hoc capite veriores sint visiones imaginariæ factæ vigilantibus, tamen tempus nocturnum propter quietem est magis congruum divinis revelationibus percipiendis: inde enim a tumultibus hominum, et occupationibus sensuum, mens quemdam strepitum patitur, ita ut susurrium verbi percipere nequeat. Notanter appositum hoc verbum: percipere nequeat; nam, ex eodem D. Thoma, p. p., q. 12, art. 11, si non quantum ad acceptionem specierum, quoad judicium exceditur visio in somnis a visione vigilantium. Hæc ex D. Thoma. Accedit quod dum vigilamus, parvi sunt motus, ut experimur in sensibus nostris, et illorum sensus non attendimus, etsi sint fortiores; quæ in oculis formantur, alio intendimus; unde fit ut ad quietem compositis imagines quæ ab humoribus frequenter agitantur, ab imaginativa magis apprehenduntur. Experimento didicimus quod parva, quæ nos vigilantes movent, magis per somnum sentiamus: exigui strepitus magnorum tonitruorum efformant imagines; exiguus humor pituitæ, mellis gustum, et largas epulas, et diffluentes aquas, et hujusmodi repræsentat;

et pro diversitate humorum, etiam diversimode simulacra moventur intensius, vel remissius. Unde medici vel complexionem conjectant, vel morbos, vel cibi et potus conditionem et qualitatem. Hæc autem ad dispositionem pertinent, ut fortior et firmior sit impressio imaginum, etiam in divinis revelationibus: gratia enim quæ supponit naturam, ipsam perficit, præsertim cum minus obsistentem reperit complexionem, ut aptior sit ad percipiendum spiritualium substantiarum influxus. D. Thomas, 2 2, qu. 172, art. 1 ad 1. Et in hunc sensum exponendus est D. Hieronymus, in cap. I Dan., dicens Danielem sagaci mente vidisse futura, ut non de naturali, sed de supernaturali facultate sit locutus, et de præsuppositis ad eam, ut est semotio omnis impedimenti, ut hebetudo sensus, et hujusmodi.

705. Si apparitio imaginaria fiat in somnis, ut in plurimum fit, effectus ex hac visione secuti meritorii esse non possunt. Ita D. Thomas, 1 2, q. 113, art. 3 ad 2, ubi dicit quod Salomon dormiendo non meruit sapientiam nec accepit: sed in somno declaratum est ei quod propter præcedens desiderium ei a Deo sapientia infunderetur. Unde de ejus persona dicitur Sap. VII: Optavi, et datus est mihi sensus. Vel potest dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Numer. XII: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum; in quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet. Et tamen sciendum est quod non est eadem ratio de dono sapientiæ et de dono gratiæ justificantis: nam donum gratiæ justificantis præcipue ordinat hominem ad bonum, quod est objectum voluntatis, et ideo ad ipsum movetur homo per motum voluntatis, qui est motus liberi arbitrii; sed sapientia perficit intellectum, qui præcedit voluntatem. Unde absque completo motu liberi arbitrii potest intellectus dono sapientiæ illuminari: sicut etiam videmus, quod in dormiendo aliqua hominibus revelantur, sicut dicitur Job XXXIII: Quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos, instruit disciplina. Hæc ille.

706. Sed quo fine Deus hoc genere revelationis seu visionis imaginariæ hominem in contemplatione promovet? Facit hoc, quemadmodum in præcedenti apparitione diximus, ut conditioni humanæ naturæ se accommodet, quæ sensibus ducitur, et ad

perfectiorem notionem veritatis adjuvetur; ut etiam imago Domini nostri Jesu Christi, et sanctissimæ Virginis, et sanctorum in mente orantis tenacius hæreat, cujus præsidio illum ad ferventiorem et magis assiduum amorem alliciat; ut denique non solum cor hominis, idest mens, sed etiam caro ejus in Dominum vehementer exultet: nam appetitus in hac visione sensibili amore Dei mirum in modum accenditur, et totus homo interior et exterior hoc igne charitatis absumitur, et ab amore rerum visibilium abstrahitur. Quare et hæc visio licet brevis sit, suavissimos ac pretiosissimos fructus relinquit.

707. Vera visio imaginaria facile discernitur ab imaginationis fictione: fictio siquidem imaginationis ab ipsa imaginatione discurrente fabricatur, et quamvis anima propter potentiæ vivacitatem credat esse verum quod finxit, remanet tamen absque ullo pietatis fructu, et multo frigidior quam si depictam aut sculptam imaginem exterius intueretur. Vera visio imaginaria procedens a Deo non est hujusmodi, nam accidit animæ vix aliquid cogitanti; subito quippe divinitus objectum potentiæ manifestatur, ipsam prædicto timore prius turbat, ut postmodum in felici et suavissima pace relinquat: sicut enim cum Christus apparuit Saulo quamdam e cœlo tempestatem excitavit, quæ ipsum ex equo dejecit: sic accidit in hoc interiori mundo; magnus enim in apparitione fit motus, sed statim in momento sedatur tempestas, et anima remanet quieta, ac de veritate sibi manifestata sic edocta quod non alio indiget ad ejus intelligentiam magistro. Si quis diu Dominum imaginationis actu contemplaretur, non vere esset imaginaria visio, sed tantum vehemens quædam consideratio in imaginatione fabricata; aut saltem non erit imago viva ad instar prioris, sed quædam figura mortua, si cum illa comparetur.

708. Certum est quod non semper est æque perfecta, nec tam viva visio imaginaria, qualis superior descripta est; maxime dum in animabus non ita depuratis contingit, et aliquid aliud ab humanitate Christi manifestatur, ut ipsa constat experientia: superior enim descripta aliquibus sanctis tamquam pignus amoris Christi in eas specialis, et in suorum laborum præmium fuit concessa; pluribus autem animabus non ita puris, nec sic bene meritis, visiones imaginariæ non tanti pretii, nec sic sublimes conceduntur; nec semper sunt humanitatis Christi, sed

aliquando sunt vel angelorum, vel alicujus sancti, quibus paulatim ad majores disponuntur, et postea dispositæ ad illas elevantur.

709. Hoc modo contingit visio imaginaria si sit alicujus objecti prius in se ipso visi: species ejus acquisita divinitus excitatur ad illud repræsentandum in ordine ad effectus supernaturales intentos a Deo media tali visione. Puta si quis prius corporaliter vidit B. Ludovicum Bertrandum adhuc in carne mortali viventem, et post ejus mortem in visione imaginaria ipsum intuetur. — Si vero sit alicujus objecti, non quidem prius in se ipso corporaliter visi, sed visi in aliquo sibi simili, vel per partes; tunc in imaginatione coordinantur species acquisitæ, quibus divinitus coordinatis ipsum objectum adæquate repræsentatur. Puta si quis viderit aliquem virum sanctum, et alibi viderit martyrium alterius, si Deus voluerit illi nescienti quidquam de novo prædicti sancti martyrio, ipsum martyrem repræsentare in visione imaginaria, coordinat illas species quasi partiales ad hoc totum repræsentandum. — Sed si visio sit alicujus objecti nunquam visi, vel si debeat esse tam perfecta qualis est illa superius descripta, tunc debet species objecti in imaginatione divinitus infundi: ratione quidem primi, quia nulla præsupponitur alia species in imaginatione repræsentans objectum, sine qua non potest objectum videri; ratione vero secundi, quia non apparet possibile quod aliqua species acquisita possit tam perfecte, cum tanta majestate et cum aliis tam excellentibus circumstantiis ac conditionibus objectum repræsentare, ut ad vivum sic exprimat, et cum tanta vivacitate et efficacia, ut talem sui reverentiam et alios tam mirabiles in anima videntis causet effectus. Et quia in visione imaginaria, et in præcedenti corporea facile potest operatio dæmonis immisceri, ideo anima indiget doctore et directore.

710. Quantum attinet ad directorem, qui similium animarum curam suscipit, debet imprimis multum timere, et prudenter in earum directione se gerere, donec successu temporis singula notando videat quem fructum ex hujusmodi visionibus percipiant; consideret quam humilitatem, quem in virtutum exercitio profectum faciant; si prudens et doctus, aut expertus fuerit, et maxime si donum discretionis spirituum habuerit, facile colliget et cognoscet qualis sit arbor, utrum bona an mala,

utrum visiones sint a Deo, vel a dæmone, vel ab imaginatione fictæ. Si fuerint a Deo, præter alia signa, videbit animam humilem, virtutis amatricem, et in verbis sinceram ac in relationibus veracem. Si fuerint a dæmone, videbit e contra eamdem animam superbam, potius virtutis umbram quam verum ejus exercitium sequentem, et in suis relationibus mendacem. Si fuerint ab imaginatione propria fictæ, videbit animam vanam, curiosam, nec in virtute fundatam, et in dictis suis inconstantem.

711. Quidquid sit, et undequaque visiones hujusmodi procedant, debet director de illis sic sobrie judicare, maxime coram ipsis animabus quas dirigit, ut sua jactantia et inconsideratis laudibus eas ad illarum desiderium, vanam curiositatem et superbiam non inducat. Si director seu magister spiritualis sit novitatum amator, et in audiendis illis nimium affectus, quamvis a Deo procedant, multum tamen damni et sibi et animabus quas dirigit afferet, ut in multis experientia docet, qui ex veris incipiendo visionibus, in pœnam curiositatis ac superbiæ latentis, justo Dei judicio permittente, delusi sunt a dæmone se in angelum lucis transfigurante, unde et magister et discipulus simul erraverunt, juxta sententiam Christi Domini apud Matthæum XV: Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. — *Adde Append.*, nn. 327-328.

ARTICULUS III.

De visione intellectuali.

712. Visionem intellectualem definit D. Thomas multis in locis. In expositione super cap. I Isaiæ; super cap. I Joan., lect. 11, et qu. 12 de veritate: Manifestissima quædam rerum divinarum, aut cœlestium ostensio, quæ soli intellectui inspicienda objiciuntur. De ista visione loquitur D. Thomas, p. p., q. 105, quando affirmat quod Deus movet immediate intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem vel superadditam, et in quantum imprimit ei species intelligibiles. De eadem sermonem facit D. Thomas in II, dist. 23, qu. 2, art. 1 in corpore, dum dicit: Modus quo Adam Deum cognovit, medius fuit inter cognitionem viæ qua

nunc Deum videmus, et cognitionem patriæ, qua sancti eum in gloria videbunt. De eadem loquitur 2 2, q. 173, art. 2 ad 2: Visio intellectualis non fit secundum aliquas similitudines corporales et individuales: fit tamen secundum aliquam similitudinem intelligibilem. Unde Augustinus dicit, IX. de Trinitate, quod habet animus nonnullam speciei notæ similitudinem. Quæ quidem similitudo intelligibilis in revelatione prophetica quandoque immediate a Deo imprimitur, quandoque a formis imaginatis resultat secundum adjutorium prophetici luminis, quia ex eisdem formis imaginatis subtilior conspicitur veritas secundum illustrationem altioris luminis. Hæc ille.

713. Duobus modis Christus Salvator noster (et idem dico de beata Virgine aut de alio sancto) visione intellectuali videtur. Primo quidem obscure et quasi confuse, cum anima nullam imaginem, nullamque aut faciei, aut staturæ corporis Christi figuram videns, eum prope se vel ad latus dextrum, vel intus in corde esse cognoscit majori certitudine, quam si corporeis oculis illum videret. Ex qua visione in ipsa anima resultat maxima reverentia et ardentissimus amor erga illum, magnumque desiderium placendi ipsi, et exactissima cura in nullo, quantumvis minimo, a voluntate ejus deviandi. Quæ visio non solet esse brevis, et quasi in transitu, ut imaginaria, sed permanens, et multis diebus et mensibus cum modica interruptione durans. De hac visione disserit S. Theresia cap. 21 et 27 libri Vitæ suæ; tum Mansione 6, c. 8 et 10, dicens quod aliquando accidit animæ, cum antea de recipiendo tanto favore nunquam cogitasset, nec credidisset se eum meruisse, ut vicinum sibi ac præsentem sentiat Christum Dominum, quamvis eum oculis corporeis aut visione imaginaria non videat. Ibi Dominus instruit animam, loquitur subtiliter absque verbis sensibilibus, imprimens in intima ejus portione cœlestem suam doctrinam. Et eadem Sancta loquens sub alterius persona, describens hanc visionem, ait: Videbatur ipsi se in suo latere dextro Deum habere, velut omnium suarum actionum testem: nunquam autem collecta in se, vel a distractionibus erat libera, quin ipsum sibi adstantem perciperet, nesciens sub qua forma, cum visio non esset imaginaria. Hoc magnum in principio timorem causabat, cum non posset capere quid esset; nihil enim videns distincte ac sensibiliter, certo tamen sciebat

ibi Christum adesse, quod ex effectibus demonstrabatur. Cum de tali visione foret timida, suum adit confessarium cunctaque manifestat, dicens quod etsi nihil distincte videret, certo tamen sciebat ibi Christum adesse, maxime dum ipsi diceret: Ego sum, noli timere. Servus quidam Dei Angelum Custodem sæpe videbat, et sibi adstantem concipiebat tanta claritate, ut maxima reverentia et amore repletus, non posset se continere, quin ante illum devotissime procumberet, et cum illo colloquia dulcia misceret.

714. Secundo, apparet Christus Dominus animæ contemplanti per visionem intellectualem clare et distincte, ita ut quasi intuitive videatur. Sicut enim datur in visionibus intellectualibus Dei una quidem obscura, quæ habetur per fidem; altera vero penitus clara, quæ habetur in patria per lumen gloriæ; tertia vero media, ad donum sapientiæ, vel ad specialem gratiam luminis cujusdam supernaturalis pertinens, quæ nec ita obscura est sicut cognitio fidei, nec ita clara sicut intuitio patriæ, sed satis lucide et mirabiliter Deum manifestans. Sic in visionibus intellectualibus rerum corporearum distinguenda est triplex visio: una obscura, quam diximus; alia omnino clara et intuitiva repræsentans rem prout in se est, et alia media, quæ neque in obscuritate prioris manet, neque ad claritatem posterioris pervenit. De ista forsitan loquuntur aliqui mystici quando affirmant: Aliquando solet hujusmodi visio esse multo sublimior: contingit enim, cum ita disponit Dominus, animæ in oratione mentali constitutæ ac in se ipsa collectæ, quædam subita suspensio, in qua benignus Dominus tam clare divina manifestat arcana, ut ea in ipsomet Deo videre sibi videatur, et tunc cognoscit qualiter omnia in Deo continentur et in ipso videantur. Quod maximam animæ causat utilitatem, et licet in momento transeat, alte tamen ac profunde hujusmodi visio cum re visa manet animæ impressa: unde tanta succedit ipsi confusio, quod humanam satis mirari non potest malitiam qua Deum offendimus in ipso manentes.

715. Contingit enim aliquando mirabili et inenarrabili modo quod mediante hac visione Deus in se ipso quamdam detegit veritatem, quæ cæteras in creaturis alias relucentes offuscat; quo declarat se solum esse veritatem, quæ falli aut fallere non potest: unde tunc perfecte capitur quam juste David dixerit:

Omnis homo mendax, quod vix alias capi posset. Differt plurimum hæc visio intellectualis ab ordinaria Dei præsentia, quæ vel in oratione quietis, vel in oratione unionis percipitur; quamvis enim hæc Dei præsentia sit magnum ipsius beneficium, non tamen est hæc visio intellectualis: ibi namque Deus solum per effectus percipitur, hic autem adesse clare videtur; ibi quædam divinitatis influentiæ manifestantur, hic autem ultra prædictas cœlestes influentias præsentia sacratissimæ humanitatis demonstratur. — Hæc visio intellectualis diverso contingit medio, ut docet D. Thomas de veritate, q. 12, art. 7. In infimo sui gradu fit per species acquisitas in intellectu præexistentes, divinitus tamen applicatas cum reali aliquando præsentia rei visæ. In sublimiori gradu fit per species novas divinitus infusas, cum eadem aliquando reali præsentia. In supremo gradu compossibili cum fide videtur fieri in ipso Deo, non tamen clare viso. Quodcumque tamen sit medium in quo perficitur hæc visio, medium *quo* semper est aliquod lumen spirituale, quo facile, clare ac suaviter percipit anima quæ Deus ei manifestat, sive sint cœlestia, sive terrestria, cui nihil obstat aliquando realis præsentia.

716. Effectus hujus visionis sunt plurimi ac pretiosi: quies animæ, mentis illuminatio, gaudium gloriosum, suavitas, puritas, amor Dei, humilitas, inclinatio seu elevatio spiritus in Deum: qui omnes effectus aliquando magis, aliquando minus percipiuntur; quandoque singuli æqualiter, quandoque inæqualiter, prout Deus voluerit, et juxta diversam animæ dispositionem. Quamvis hæc visio intellectualis tutior appareat, ac magis ab illusione dæmonis immunis; potest tamen a dæmone fingi. Potest autem hujusmodi fictio contingere per hoc quod dæmon phantasmata coordinando, media imaginationis operatione excitat intellectum ad aliquid considerandum tam distincte, ut videre dicatur. Hoc modo credunt aliqui doctores quod dæmon Christo Domino ostendit omnia regna mundi, et gloriam eorum. Sed talis visio a dæmone ficta multum differt a vera, et contrarios prædictis habet effectus: causat enim aridítatem spiritus in exercitio orationis, inclinationem propriæ æstimationis, vanam gloriam et non tranquillam humilitatem; nec diu durat memoria illius, sicut durat memoria prioris, sed statim ut fumus evanescit, nisi ex ipsa animæ complacentia

firmius imprimatur memoriæ; sed quamvis hac via duret amplius ejus memoria, est tamen admodum sicca et sterilis, nec optimos fructus enumeratos charitatis, humilitatis, internæ pacis ac suavitatis producit. Qui similem a Deo consequuntur favorem, non turbentur, sed tamen timeant in virtutis exercitio deficere. Si cum debita humilitate in hujus visionis communicatione se habeant, certo et tute procedent, sive visio fuerit vera a Deo procedens, sive falsa a dæmone ficta. Cumque illam directori pio, prudenti et docto exposuerint, juxta consilium ejus ambulent, securi et certi quod Deus in præmium hujus candidæ fidelitatis eos non permittet errare. Non credant se meliores aliis, quibus similes Deus favores non communicat; imo judicent se pejores illis, cum illi absque stipendio tam ferventer, ipsi vero cum tot auxiliis tam tepide serviant Domino.

ARTICULUS IV.

De revelationibus supernaturalibus.

717. D. Thomas, II. Cor. cap. XII, lect. 1, tradit etymologiam revelationis, ut revelatio idem sonet ac amotio velamenti. Duplex autem in corporalibus potest esse velamen: unum ex parte videntis, aliud ex parte rei visæ. Ex parte videntis, si objectum quidem visibile est atque conspicuum, et ex indispositione subjecti vel organi non videatur. Ex parte rei visæ, ut etiamsi sit intra sphæram sui objecti, quia tamen est improportionatum, non possit videri, nisi potentia confortetur et velamen auferatur. Habitare asseritur in Scripturis divina essentia lucem inaccessibilem: ponit tamen tenebras, respectu nostri, latibulum suum, usquequo rationalis creatura pertingat ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, et velamen penitus auferatur ab oculis nostris. Interim quia divinus radius variis figuris circumvelatus, ut loquitur D. Dionysius, nobis illucescit, adhuc Deus absconditus et velatus exhibetur, etiam ex parte rei visæ, quia proponitur in figuris et sub velaminibus tectus. Quomodocumque ergo impedimentum vel velamen auferri contingat, revelari dicitur, et secundum hanc phrasim gloria revelari dicitur ex Apostolo, Rom. VIII: Tum Deus vi-

debitur non amplius in ænigmate, sed facie ad faciem. Et in hac vita species et figuræ (quibus Deus videtur, sed circumvelatus inspicitur) revelari dicuntur: id autem fit cum visioni adjungitur intelligentia, tunc enim divina mysteria innotescunt, et revelari subinde dicuntur.

718. Visionis etymologia ab eo quod primo impositum est significandum (nempe actum visus) et extensum postea est ad alios actus sensus, derivatur, et ad spiritualem notitiam denotandam transfertur. D. Thomas p. p., q. 67, art. 1: Et hæc naturalis esse potest, et supernaturalis. Quamvis autem sæpissime visio cum revelatione confundatur, et pro eodem usurpetur, tamen ex eodem D. Thoma, loco citato, differentia est inter visionem et revelationem; revelatio enim supponit visionem, non e contra. Revelatio divina diffinitur: Manifestatio divinorum mysteriorum, et secretorum Dei, divina dispensatione hominibus facta, supra totius naturæ cursum, ad communem Ecclesiæ vel privatam personarum particularium, quibus fit revelatio, utilitatem.

719. D. Thomas explicans illud Job cap. xxxvi: In manibus suis abscondit lucem, et præcipit ei ut rursum adveniat; annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere, dicit quod apud Deum sit quædam lux spiritualis, quam Deus in præmium virtutis amicis reservet, et quod ad eam possit ascendere per opera virtutum ipsam promerendo, et ad ipsam promerendam Dei ope se præparando. Ad nostrum autem propositum hanc quoque possunt habere intelligentiam eadem verba: quod divinam lucem mysteriorum et arcanorum suorum, quam abscondit Deus ab aliis, tunc revelat cum vult et quando vult, (*his*) quos prophetas et amicos suos constituit, judicando quod hæc lux possessio Dei sit, qui est lucis plenitudo, et ad eam ex participatione divini luminis quis potest ascendere, secundum quam ascensionem perfectior est gradus revelationis, secundum majorem et majorem approximationem ad hanc lucem inaccessibilem primæ veritatis.

720. Fuit autem in omni differentia temporis providentiæ divinæ conditio instruere homines, nedum quantum ad cognitionem revelando divina mysteria, quæ per fidem, sed etiam secundum revelationem particularium rerum privatis personis factam, accepta sunt, hoc est quantum ad ea quæ agenda per-

tinent ad humanam conversationem, ut docet D. Thomas 2 2, q. 174, art. 3, sive ad publicam instructionem totius communitatis, sive particularem privati hominis pertinentia. Adamo in exstasi et somno revelatio Incarnationis mysterii facta est. Noe tamquam publico præconi justitiæ divinæ aliquæ veritates revelatæ sunt, ut instrueret homines de agibilibus quæ ad statum communem religionis concernebant. Nec putandum est sub hoc tempore legis naturæ defuisse particulares revelationes ad particularem instructionem, tam de cognoscendis quam de agendis.

721. In lege scripta frequenter legimus revelationes et responsa edita quantum ad directionem agibilium, sive particulares personas respicientium. Multis autem modis hæc fieri contingebant: primus per visionem, et somnia, secundus per sanctam inspirationem, tertius per sacerdotes et prophetas, quartus per voces, ultimus modus cum per sacerdotes fundebantur oracula; nec id omnium erat, sed summi sacerdotis, qui de magnis negotiis consultus, lineam tunicam induebat. Omnia ista passim reperiuntur in veteri Testamento.

722. In lege quoque gratiæ visiones, revelationes insigniter commendantur: his Christi divinitas probatur, ut legislatio ejus firmaretur; similiter et Apostolorum ministerium: illi namque fuerunt ministri sermonis et doctrinæ evangelicæ. Illustre testimonium datum est Christo Domino in Jordane, Spiritu sancto apparente super caput ejus; et in transfiguratione ex voce Patris, nube, collocutione cum Moyse et Elia: et licet cum Apostolis ea visio silentio sit demandata, donec Filius hominis a mortuis resurgeret, luculentissime tamen postea sanctus Petrus eam promulgavit. Ad veritatem dominicæ resurrectionis adstruendam, ipse Salvator in sua, vel aliena specie peregrini, hortulani, emptoris piscium confirmabat. Ad contestationem officii Apostolatus S. Petrus Apostolorum Princeps Joelis testimonio visionum contemptores confundebat: Et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia somniabunt. In Testamento novo reperiuntur quamplurimæ revelationes. Et revelationes factæ sanctis particularibus sunt veluti infinitæ, ut constat ex annalibus. Et multæ sunt approbatæ ab Ecclesia.

723. Revelationem propheticam diffinit D. Thomas 2 2, q. 171, art. 3: Inspiratio rerum futurarum immobili veritate denun-

cians ; et prophetia diffinitur: Divina vis Dei munere certis hominibus collata, qua sublimia et divina arcana cognosci possunt, et futuri eventus aliis enarrandi et denunciandi. — Triplex est species prophetiæ. S. Thomas 2 2, q. 174, art. 1: Quædam enim præcognoscit Deus in se ipsis, vel ut fienda ab ipso, et horum est prophetia, quæ dicitur prædestinationis, qua prædestinantur ea, quæ non sunt in nobis, ait Damascenus: nam et electio ad gloriam, et præparatio mediorum a Deo fit sine nobis; qui etiam in nobis operatur et facit ut velimus et cooperemur vocationi, etc., et est bonorum tantum. Quædam sunt, de quibus non est prædestinatio, sed tantum præscientia, ut sunt mala culpæ quæ præsciuntur, non prædestinantur, et horum vocatur prophetia præscientiæ. Quædam sunt futura prout sunt in suis causis, prout prænunciatur ordo causæ ad effectus, qui quandoque est impedibilis ex aliarum causarum concursu; et horum est prophetia quæ dicitur comminationis. Exemplum primi, cum dicitur: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; exemplum secundi est, ut cum dicitur: Delicta mea a te non sunt abscondita, et Psal. L: Malum coram te feci; exemplum tertii cum dictum est: Dispone domui tuæ, quia morieris, et non vives. Et sub hac specie comprehenditur prophetia promissionis. I. Reg. II: Loquens locutus sum ut domus tua et patris tui ministraret mihi usque in sempiternum; quod non est impletum: erat enim conditionalis promissio facta Heli, licet non apponeretur. Bimembrem quoque facit D. Thomas secundum alios divisionem prophetiæ, præscientiæ, et comminationis propter reverentiam sanctorum, ait Cajetanus, quos ad concordiam redigere conatur.

724. Dantur falsæ revelationes, quæ omnes reducuntur ad tria capita, nempe ad oracula, raptus, et exstases. Omnis diaboli apparitio, aut realiter exercetur, aut præstigiis absolvitur; realiter, cum revera effectus reales producuntur; præstigiosi sunt cum apparentes effectus fiunt. Per suam naturam potest ingentia corpora velocissime impellere. Augustinus, III. de Trinitate, cap. 7, humana corpora per aera evehere Simoni Mago id contigisse testatur. Hæc enim inferiora subduntur naturæ Angelicæ quantum ad motum localem, ut docet D. Thomas, p. p., q. 100, art. 2; Quodl. 9, art. 5, (*ut possit*) subtrahere corpora a tali situ, et alia eorum loco substituere: sic sublatis

virgis, veri serpentes apparuerunt, ut spectatores viderent, vel putarent virgas in serpentes conversas. Quæ vero non realiter fiunt, sed illusione simulantur, præstigiosa dicuntur; quando enim in veritate dæmon reales effectus producere non potest, ad præstigiosas actiones et ludificativas sensuum recurrit; quod facit primo ex quadam agilitate et dexteritate, ut faciunt circulatores. Secundo, adhibitis quibusdam rebus naturalibus, ut suffitu, et hujusmodi, ut intrantes domum aliquam, videre sibi videantur homines asinina capita habentes, et hujusmodi. In ludificatione sensus, quandoque utitur rebus existentibus, et eas alterat, colores, vel formas, vel magnitudinem immutando. Tertio obscurat et alterat medium, ut objectum non videatur. Quarto, percutit oculos acrisia, ut nihil videre possint, vel per aliam visus immutationem, auferendo objectum, ne emittat species. Quinto, imagines et species impressas sic potest a sensibus interioribus ad exteriores sensus evocare, ut quasi præsentia hæc omnia habeantur. His præstigiis usi sunt passim a dæmone seducti, Apollonius Thyanæus ex Philostrato, lege 4, cap. 5, Numas Pomp., Plutar. in Numa de Minippo adolescentulo.

725. Quamvis gratiam et supernaturalia dona amiserint dæmones, multa tamen eos scire non est dubitandum: sed num futura cognoscant, inquirendum est. Et quidem futura quædam sunt, quæ necessarias causas habent, ut eclipses. Quædam sunt quæ habent determinatas causas, sed cum impediri possint, non necessario sequitur effectus. Prioris generis effectus certo prædici possunt, nam id potest astrologus prædicere. Secundi generis item prænunciari possunt, sicut nauta de tempestate, medicus de pulsu. Sed et quædam tandem futura sunt alterius generis, quæ a libera Dei voluntate dependent, vel ex innata hominis libertate, et hæc abdita sunt, et abscondita ab oculis dæmonis, ut ea penetrare non possit ex vi ejus sagacissimæ mentis. Quod si quædam futura annuncient, id multis modis potest accidere: vel quia celeriter quidquid agitur in orbe ante certum nuncium potest dæmon prius annunciare. Divinare potest dæmon futura, si jubeatur perdere et vastare regiones, et alia flagella immittere; unde prædixit Saulem postridie moriturum: erat enim factus mancipium et peculium diaboli. Divinare possunt dæmones ea quæ audiunt, cum intersunt divinis con-

ciliis, ut cum accepit dæmon potestatem vexandi, et agitandi Job, aut cum se exhibuit in fallendo Achab.

726. Oracula responsa sunt dæmonis, quæ ad ipsum consulendum recurrentibus dantur. Juxta Dodonam Chaoniæ civitatem nemus erat Jovi sacrum; ibi quercus loquebatur, et columbæ consulentibus responsum dabant, licet, secundum alios, arbores vocales eran·. Æs erat Dodonæum lebetibus æneis ubique cinctum; uno pulsato vicissim resonabant cætera, sonitu ab aliis ad alia permeante. Pythia quæ sacerdos erat Apollinis, apud Delphum consulentibus dabat responsa. Castalius fons in Phocide ad radices Parnassi positus, venas fatidicas habebat, quem Hadrianus mole ingenti saxorum occludere voluit. Apollo vero vaticiniorum præses est habitus. De templo Apollinis Daphnæi multa Chrysostomus hom. de S. Babyla Martyre. Dicta est Daphnæi arbor, cui vim divinatricem inesse antiqui fabulati sunt. S. Gregorius Nazianz. Oratione secunda: Non jam quercus loquitur: cessarunt jam oracula in Christi Domini adventu, non jam lebes vaticinatur, non jam Pythia impletur haud scio quibus fabulis et deliramentis. Rursus Castalia siletur et silet, atque unda est non vaticinia edens, sed risum excitans. Rursus muta statua Apollo, rursus Daphnæ arbor est fabulis defiorata.

727. Sed quia cum dæmone ipso colloqui, et ejus oracula excipere meticulosi homines eosque adire exhorrescunt, ad dæmonum vates et pseudoprophetas confugiunt consulendos, hi qui inierunt fœdus cum morte, et pactum cum inferno. Sicut autem dæmones multa cognoscunt cognitione naturali, et multa prædicere, imo et agere possunt quæ non excedunt naturalem cognitionem; vel si excedunt, multa vaticinari possunt, quæ ministerio Angelorum addiscunt, vel quæ per eorumdem intimationem, per ipsos agenda sunt, ut docet D. Thomas, 2 2, q. 172, art. 5: ita et de Magis falsisque prophetis asserendum est, quod etsi multa possint cognoscere futura, quæ cognitione naturali nosci possunt, ut medici et astrologi possunt, multaque efficere per magiam naturalem, multa quoque loquuntur ex dæmonum revelatione, et ex magia dæmoniaca multa operantur. Permittit autem Deus ut sua naturali utantur facultate et cognitione, sicut et omnium rerum cursus suos agere. Verum concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate confirmet. Et dicit D. Thomas, q. 172, art. 6

ad 1, quod prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina, sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus, Numer. XXII, licet esset propheta dæmonum: quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Hinc nedum illicitum est a dæmone et suis pseudoprophetis oracula falsa postulare, sed etiam vera expectare, nedum propter familiaritatem et amicabilitatem, quæ oritur ex hujus generis prædictione, sed etiam propter periculum, ut dum veris credunt, ad falsa oracula credenda homines assuescant. Ad hæc autem cavenda non tantum oportet dicta, sed et dicentem attendere.

728. Multa signa ponuntur ad distinguendum veros Prophetas a pseudoprophetis. Primum ponitur a D. Paulo I. Corinth. XII. Quia pseudoprophetæ ducebantur, et dæmon eos adducebat tamquam captivos et ligatos: veri prophetæ prophetabant ut decebat, et prudenter, et libere; et dicendorum, et tacendorum erant domini: non enim necessitate detinebantur, sed potestate in honore habebantur. Et ideo dicit D. Thomas 2 2, q. 174, art. 3 ad 4: Spiritus Prophetarum dicuntur subjecti Prophetis quantum ad propheticam enuntiationem, sicut etiam ad judicium de acceptis. — Secundum signum insinuatur a D. Paulo, et ponitur a D. Chrysostomo. Cum videris quempiam nomen Jesu non appellantem, vel anathematizantem, vatem non esse tibi persuadeas. At contra quum in nomine Jesu omnia loquentem, spiritualem esse intellige. — Tertium signum ponit D. Thomas 2 2, q. 172, art. 6 ad 2: Verus Propheta semper inspiratur a Spiritu veritatis, in quo nihil est falsitatis, et ideo nunquam dicit falsum; propheta autem falsitatis non semper instruitur a spiritu falsitatis, sed quandoque etiam inspiratur a spiritu veritatis; ipse etiam spiritus falsitatis quandoque enunciat vera, quandoque falsa. — Quartum signum ponitur Deuteron. XVIII, illiusque meminit D. Thomas 2 2, q. 172, art. 5 ad 3: Si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, et idcirco non timebit eum. — Quintum signum, ut Prophetæ veri habeant legitimam missionem; falsi se ipsos introducunt. Habetur hæc regula ex sacra Scriptura. Jere-

miæ XXIII: Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant. — Sextum signum, quando legitime missi ordinaria vocatione a Christo Domino instituta, id student ut populum ad virtutes et bona opera excitent, et eorum utilitati serviant, non propriis commoditatibus. Hoc signo deprehensi sunt pseudoprophetæ in veteri Testamento. Ezechiel. XXII: Conjuratio prophetarum in medio ejus sicut leo rugiens, rapiensque prædam: animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt.

ARTICULUS V.

In quo ponuntur regulæ ad discernendum veras revelationes a falsis.

729. Tot sunt circumstantiæ ponderandarum visionum, ut dicemus, ut una detracta, vel apposita, possit judicium variare. Quare difficile est ex variatione circumstantiarum, vel supervenientium indiciorum formare irrefragabile judicium: propterea casus morales in individuo difficilem habent terminationem; etsi regulæ traditæ a DD. pro hujusmodi discretione multum præstent ad harum rerum notitiam, non plenam subministrant resolutionem. Istæ ponuntur regulæ. D. Thomas, in expositione epistolæ D. Pauli II. Corinth. XI, habet hæc verba: Transfigurat se in Angelum lucis: Notandum, quod Satanas transfigurat se aliquando visibiliter, sicut B. Martino, ut deciperet eum: et hoc modo multos decipit; sed ad hoc multum valet discretio spirituum, quam specialiter Deus contulit B. Antonio. In hoc tamen potest cognosci quod Satanas sit, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, et perseverat in eis. Sed malus in principio quidem prætendit bona, sed postmodum volens explere desiderium suum, et quod intendit, scilicet decipere, instigat ad mala; I. Joan. IV: Omni spiritui nolite credere. Et idèo Josue cum videret Angelum in campo suo, dixit, Judic. V: Noster es, an adversariorum? — Aliud signum est quod bonus Angelus, etsi terreat in principio, tamen statim consolatur et confortat, sicut Zachariam; Lucæ I: Ne timeas, Zacharia. Et ad B. Virginem dixit: Ne timeas, Maria, etc. Malus autem Angelus stupefacit, et desolatum dimittit, et hoc ideo, ut stupe-

factus facilius decipiatur, et persuadeat sibi. Aliquando autem transfigurat se invisibiliter, et hoc quando ea quæ in se mala sunt, facit apparere bona, pervertendo sensus hominis, et inflammando concupiscentiam. Proverb. XIV: Est via quæ videtur homini recta. Sic decepit monachum quemdam, qui cum proposuisset in animo suo nunquam exire cella, suggessit ei diabolus quod bonum esset quod exiret in ecclesiam, et reciperet corpus Christi: cui suggestioni consentiens propositum mutavit, vadens in Ecclesiam. Postmodum cognoscens eum fuisse diabolum, gloriatus est monachus quod non deceperit eum, quia ad bona iverat: et tamen jam removit eum a primo proposito continue standi in cella. Postmodum vero iterum suggessit ei quod pater suus fuisset mortuus, et dimiserat sibi multas divitias ad distribuendum inter pauperes, quod iret ad civitatem; ad quam cum iret, nunquam rediit ad cellam, et mortuus est in peccato. Unde valde difficile est quod homo caveat sibi, et ideo recurrendum est ad adjutorium divinum. Job XLI: Quis revelabit faciem indumenti ejus? quasi dicat: Nullus nisi Deus. Hæc ille.

730. Idem D. Thomas in cap. IV Job, lect. 3, sic dicit: Considerandum est quod hujusmodi apparitiones aliquando fiunt a spiritu bono, aliquando a malo: utroque autem modo in principio timorem patitur homo propter insolitam visionem; sed cum a bono spiritu apparitio procedit, timor in consolatione finitur, sicut patet de Angelo confortante Danielem, Dan. X; et de Gabriele confortante Zachariam et Mariam: sed malus spiritus hominem perturbatum relinquit. Propter hoc ergo quod dicit Job IV: Vocem quasi auræ lenis audivi, consolationem quamdam sedantem pavorem præteritum demonstrat, ut per hoc visio demonstretur esse a spiritu bono, non a malo, a quo frequenter visiones mendaces ostenduntur, secundum illud III. Reg. XXII: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Per hunc etiam modum III. Reg. cap. XIX legitur de apparitione facta Heliæ, quod post commotionem tenuis auræ sibilus ubi Dominus auditus est. — Sciendum tamen est quod etiam in visionibus quæ a bono spiritu procedunt, interdum commotiones magnæ, et voces horribiles audiuntur, ut patet Ezech. I, ubi dicitur: Et vidi, et ecce ventus veniebat ab Aquilone; et post multa subditur: Et audiebam sonum alarum

quasi sonum aquarum multarum. Et Apoc. I dicitur: Audivi post me vocem magnam, tamquam tubæ. Sed hoc est ad significandum comminationes, aut alia gravia pericula, quæ in hujusmodi revelationibus continentur; sed quia hoc ad consolandum ordinabatur, ideo inducitur loquentis vox similis auræ leni. Hæc ille.

731. Divus Thomas explicans illud D. Pauli, I. Corinth. XIV: Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? (*ibi*) ... docet, lectione 2, quod illustratio mentis ad cognoscendum est una de gratiis gratis datis: quia vel est de divinis, et hæc illustratio ad donum sapientiæ pertinet, per cujus revelationem divina cognoscimus; aut est de terrenis, non quibuscumque, sed quæ pertinent ad ædificationem, et hoc est scientia quæ est sanctorum (nempe Theologia); vel est de eventibus futurorum, et hoc pertinet ad donum prophetiæ; vel est de agibilibus, et pertinet ad doctrinam. — Per ista certo cognosci possunt revelationes, quia nulla moralis regula ingenio et industria ita parta est, quæ in particulari non suas habeat exceptiones, propter singularium, circa quæ consideratio versatur, variationem aliasque circumstantias, quas in infinitum quoque variari contingit, ut firmitatem judicii præpediant; et sæpe etiam a verisimilitudine veritas discerni nequeat. Et divus Thomas 2 2, quæst. 173, art. 3, in corp., loquens de prophetia quæ fit secundum visionem imaginariam cum abstractione a sensibus, ait quod non referuntur phantasmata illa ad ea quæ exterius sentiuntur, vel cum ordinantur species imaginariæ perceptæ a sensu ad veritatem revelandam: unde prophetæ similitudinibus utuntur secundum quod eas visu perceperunt, ut in Amos de uncino pomorum; quare cum ex divina providentia vel inquiruntur species imaginariæ, vel jam acceptæ ordinantur, quia jam phantasmatibus istis Deus utitur ad perducendum ad intelligentiam, non possunt quicquam Prophetæ conari ad ea delenda, vel renuntiando ejusmodi imaginariis similitudinibus, quamvis non sit necesse ut his gradibus procedat Deus, ut post imaginarias species, intelligibiles similitudines tradat.

732. Confirmatur præcedens doctrina ex illo quod dicit idem

Sanctus in eodem art. citato, perfectum esse prophetam quando non solum propheta videt signa verborum vel factorum, sed etiam videt in vigilando aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem, quia per hoc ostenditur quod verus propheta magis appropinquat ad causam revelantem: quæ omnia possent excludi, videlicet tam dicta quam facta, quam persona revelans, si phantasmatibus et formis imaginariis factorum vel dictorum et ipsius dicentis vel colloquentis persona excluderetur. Imo in ipso raptu non semper renunciatur phantasmatibus. Idem sanctus Doctor, 2 2, q. 175, art. 3 ad 1, loquens de raptu ait, hominem rapi ad contemplandum veritatem tripliciter: uno modo ut contempletur eam per similitudines quasdam imaginarias, et talis fuit excessus mentis qui cecidit supra Petrum; alio modo per intelligibiles effectus, sicut fuit excessus David; tertio modo cum videtur in sua essentia, ut in raptu Pauli, ubi manente tali sensu, ablata est actualis conversio ad phantasmata in id quod excedit omnia phantasmata, non autem habitudo conversionis ejusdem, quia non est mutatus status hominis viatoris. D. Thomas, 2 2, q. 175, art. 5.

733. Optima regula est ut paulatim contemplativi se assuescant et se disponant ad excessus superiores; et ne sint illis impedimento, debent phantasmatibus quæ ipsi formant, et secum adducunt, et in his mirifice delectantur et afficiuntur, valedicere; et ne deceptionis fomitem sibi ipsis subministrent, putantes se Spiritu Dei videre, cum propriis oculis externis, vel internis imaginariis, per sua simulacra quæ fabricantur, videant: et taliter cæci sunt, ut videntes non videant, et fiunt incapaces; ut audientes non intelligant: sed his commissa misera anima dæmoni se illudendam tradit, dum per easdem formas sculptilium suorum in alia transit phantasmata efformanda. Sic decepit hæreticos de quibus Augustinus, lib. 3 Contra Donatum, cap. 19: Qui ad imagines phantasmatum suorum, cum quibus veluti animo delectatur, convertit omnia sacramenta, et verba librorum sanctorum, juxta illud Ezech.: Et protulisti de vasis gloriæ tuæ, de auro meo, et de argento meo (librorum scilicet sacrorum), ex quibus dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis. Sic et decipit visionarios multos, dum abutentes divinis inspirationibus, et benedictionibus dulcedinis, faciunt sibi imagines ad quas afficiuntur et fornicantur

cum eis, illis inhærentes, cum illis colludentes, ex illis fornicarios fœtus excipientes inanis complacentiæ extollentiæ super alios: qui sunt characteres bestiæ, quibus anima his dedita inuritur. Legendus est B. Henricus Suson, qui multa præclara dicit in Append. sublimi q. 9., cap. 16.

734. Circa visiones intellectuales duplex genus notitiarum in intelligendis veritatibus supernaturalibus per visionem intellectualem distinguere possumus: quædam versantur circa Deum, quædam circa creaturas. Primi generis sunt contemplatio divinæ naturæ, vel attributorum; quæ adeo notitiam nostram excellunt, ut verbis generalibus exprimenda potius quam particularibus amoris lingua dictet, cum sicuti sunt in se ipsis aliter declarari non possint: vera enim sunt, justificata in se ipsis, propterea a nobis inexplicabilia. In hac notitia cum Deus intelligatur, et non per lumen gloriæ, sed supernaturali notitia quæ intima intellectus et animæ penetrat, eam innovando, variis affectibus et moribus afficiendo, nullo modo ipsius animæ sensibus, discursibus, conatu comparatis, sed divinitus a Deo immissis ad solam cogitationem Dilecti, vel ejus memoriam excitatam a consideratione creaturæ, vel alicujus verbi ex lectione Scripturæ, et hujusmodi, repente et subito pauperem animam divitem efficiat: eo enim visitationem percipere habilior est, quo humilis, mansueta, tremens sermones Dei, nullo modo affectans, nec cupiens eas visitationes, et quasi aliud agens, in illa impletur: Super quem requiescam? super humilem, et mansuetum, sponte trementem sermones meos. Cum hæc omnia deprehenduntur in anima contemplativa, rectus usus est contemplationis intellectualis, et nulla intervenit deceptio. Potest tamen dæmon animæ repræsentare grandia et fastuosa, ut suadeat hæc Dei esse: sed id imaginarias partes non transcendit, quæ cum non reddant animam humilem, nec amantem, et hujusmodi, quis sit loquens vel apparens deprehenditur, juxta illud Joan. XIV: Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum; ne credant Spiritum ipsum fore, sed phantasmata.

735. Secundum genus notitiæ respicit agibilia circa creaturas; ea præditus fuit Salomon, ut dicitur Sapient. VII: Dedit mihi Deus scientiam veram ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, et cogitationes hominum. Sic

etiam multa dona dedit Spiritus sanctus hominibus prophetandi, cognoscendi, et discernendi spiritus, et hujusmodi. Sic Eliseus, IV. Reg. v, in spiritu cognovit Giezi pecuniam accepisse a Naaman Syro; et, cap. vi, quidquid Rex Syriæ tractaret cum suis principibus. Et similiter ex visione et locutione intellectuali, animæ contemplativæ hæc revelantur. — Verum circa hæc dæmon potest suas tenebras effundere: potest enim hic sensus corporales immutare, et formare species adeo sibi cohærentes, ut quidquid velit, repræsentet, maxime ubi sensus infirmi sunt et lassati. Diligentissime tamen præ oculis observanda sunt circa mysteria revelata, quæ primum genus intellectualis notitiæ concernunt, et ad fidei objectum pertinent, ne aliquis revelationes novas adversas, vel diversas, vel adiaphoras admittat, nec facile his aurem præbeat, docente Apostolo, Galat. i, etiam si fuerit Angelus de cœlo, nullo modo recipiendas, sed anathematizandas. Sub specie subtilitatis intrat velut seta, ut errores introducat, et calceas construat quas humana curiositas induat. Et optimum remedium est (*ut*) eas supervacuas servet, et nox sit illuminatio nostra dum videmus per speculum in ænigmate.

ARTICULUS VI.

Multæ sunt aliæ circumstantiæ examinandæ in revelationibus.

736. Tres sunt præcipuæ circumstantiæ examinandæ. Prima est persona cui fit revelatio; secunda res quæ revelantur, et quis revelare dicitur; tertia locus et tempus revelationis. — Tripliciter possumus personam considerare cui fit revelatio: physice, ethice vel politice quantum ad mores vel statum, theologice quantum ad virtutes theologicas et christianas. — Quantum ad naturam possumus personam considerare, vel quantum ad sexum, hoc est an habens revelationem, vel patiens extasim, sit mas vel fœmina; vel quantum ad complexionem, si sit ab intrinseco fortis, vel debilis visus, vel vehementis imaginationis, melancholicæ temperaturæ: ab extrinseco vero, an sit hilaris, vel lætæ conversationis; an sit sani capitis, vel phrenetica, an arreptitia; vel quantum ad inclinationem, ad quæ vitia, vel virtutes, vel studia sit prona.

737. Quantum ad mores, vel statum, inquirendum primo, si sit bonis moribus prædita; secundo, quibus studiis et officiis delectetur, præsertim an utiles, vel inutiles, et vitiosas artes sectetur; tertio, quibus præceptoribus imbuatur, vel dirigatur, vel directa, vel imbuta sit, et cum quibus personis quantum ad convictum delectetur; quarto, si veritatis sit amatrix, an mendaciis delectetur; quinto, an dives sit, vel pauper; sexto, num virgo, vel conjugata, vel vidua sit. — Quantum ad ultimum, primo examinandum est an talis persona sit ornata virtutibus theologicis: fide, spe, et charitate, et hæ sint conjunctæ cum aliis virtutibus christianis, præsertim humilitate; secundo, an sit sæcularis vel religiosa; tertio, an sit tyro in via et schola perfectionis, an miles veteranus et provectus; quarto, an vita gratuitis istis donis concordet, præsertim in mortificationibus amplectendis, et persecutionibus sustinendis, et an hæ præcesserint dona, vel subsecutæ fuerint; quinto, an hujusmodi dona cupiantur, postulentur, affectentur, et habita publicentur; sexto, an unquam hæc divina patiens, ut asserit, fuerit alias illusa.

738. De sexu cui fit revelatio attendendum est an hujusmodi revelationes patiens vir sit, aut fœmina. — Causa potest esse intrinseca, vel ex parte animæ, vel ex parte corporis; quandoque extrinseca, a dæmone, aut ab Angelo, vel Deo. Ex parte corporis possunt causari hujusmodi visa ex complexione fœminea, quia, ut dicit noster sapientissimus frater Joannes Nider in suo Præceptorio, fœmina ex sui natura cum sit mollis flexibilitatem habet complexionis, et facile potest multis phantasiis ejus imaginatio sigillari. Et, ut dicit Cajetanus, 1 2, q. 17, art 7, ut sciamus causam hujusmodi revelationum agnoscere, an sit naturalis, vel supernaturalis; an ope dæmonis, vel divinitus; an vero ex causa naturali dispositionis corporis, phantasiæ, etc., cum hæc (ait) aspexeris, videbis quod pluries accidentia personis patientibus exstasim, et hujusmodi (dices revelationes etiam, et visiones) causantur ex sua imaginativa originaliter, quamvis forte consuetudo mutata sit in naturam, ut invitas postmodum afficiat. Cujus signum est quod si diutius ad oppositos mentis actus sese toto conatu transferunt, ab hujusmodi accidentibus deseruntur, ut experientia digna fide didici. Quo remedio passim uti debent confessarii et animarum directores. Cum ex parte animæ, nempe ex passionibus quibus afficitur

lætitiæ, tristitiæ, odii, amoris, alterari possit imaginatio, et ista efformari in phantasia, mulieres frequentius ex hac causa visiones magis pati contingit: cum enim sint teneræ complexionis, passionibus maxime, præsertim amatoriis, subjiciuntur. Ex parte extrinseca potest fieri hæc immutatio a substantiis separatis, ut docet D. Thomas, p. p., q. 111, art. 2, et nos diximus in articulis de visione corporali, imaginativa et intellectuali.

739. Complexio quoque ejusdem videntis tam oculo corporali, vel imaginario, quam oculo mentali diligentissime rimanda est. Nempe an ex sua temperie, vel ex aliquo accidente, oculus corporalis sit fortis vel debilis visus, an sit vehementis imaginationis, ut esse solent maxime laborantes melancholia, vel nigra cholera. Similiter an sint sani capitis, an cerebro turbato. Opus etiam est examine præter complexionem, ut persona discutienda sit, si sit sani capitis, si phrenitide laboret, et num sit arreptitia: qui enim capite læsi sunt, ex cellularum dispositione, et alia nativa læsione, vel ab extrinseco alio accidenti, similia visa experiri possunt, prout imagines phantasiæ imprimuntur, ut dictum est; quod idem epilepticis et phreneticis accidit. Turbato ergo cerebro, turbatur et rationis judicium, ut tot modis ludificetur, quot modis falsa visa repræsentantur; idem senio confectis accidere potest, qui nisi regulis prudentiæ et documentis sanctorum regulentur, in insaniam terminarent. — Nec infimum tenet locum inclinatio, qua ejus, cui fit revelatio, exacta cognitione affectus metiri possumus inde emanantes: ex affectu enim exercitia metimur, et media ad finem perveniendi, et ex inclinatione, ut experientia notum est. Ex inclinationibus variis, ut egregie D. Thomas scripsit, IV Sent., dist. 29, divina providentia homines ad diversos fines, et hos ad se unicum et supremum omnium finem destinat. Hos ad matrimonium, illos ad cælibem vitam inclinari videas; istos ad arma et castra sequenda, alios ad academias; hos contemplationi et theoriis addictos; hos ad virtutes, illos ad vitia ex vitio pravæ voluntatis affici. Et D. Thomas IV cont. Gentes, cap. 19: Cum aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus si adest, et tristamur cum ab eo impedimur, et odimus quæ nos ab amato impediunt, sed irascimur contra ea. Quid? nedum possibilia, sed impossibilia quandoque moraliter aggredimur: tanta est rei obtinendæ cupido.

740. Moralis quoque status est considerandus ejusmodi personarum quibus fit revelatio, scilicet an bonis moribus, vel virtutibus moralibus præditæ sint; inter eas quæ principalem et cardinalem locum habent, sunt justitia, prudentia, fortitudo, temperantia. Justitia elucet, cum inspicitur ejus natura, quæ unicuique jus suum reddit; prudentia, si recta ratio agibilium appareat; fortitudo, si quis ita ad opera honesta sit promptus, ut omne a se timoris abjiciat impedimentum; temperantia, quæ mollitiem, omnemque noxiam delectationem tam circa cibos, quam venerea prorsus repellit. Considerandum si sit præditus omnibus virtutibus moralibus, quæ sunt inter se connexæ, si habeat passiones sedatas. Et sic prudens confessarius, quando tractatur an aliquis sit dono revelationis præditus, mores intuebitur, et ubi viderit hos vel illos malis moribus imbutos, præsertim vitiis carnalibus subditos, et sollicitudinibus et curis superfluis irretitos, jam habet regulam in sacra Scriptura quomodo sinistre de talibus sit pronunciandum, esse scilicet deceptos, vel illusos, vel illusores. — Considerandum est etiam quantum attinet ad mores, quibus studiis persona cui fit revelatio delectetur, et an curiosas artes didicerit. Ex curiositatibus nascuntur illicita, vel pacta explicita vel implicita cum dæmone. — Deinde considerandum est quibus præceptoribus usa sit, et utatur, et cum quibus, et quomodo convivat. — Examinanda est quoque vita ejusmodi quæ revelationes se habere profert, num veritatis sit amans, an vero mendaciis delectetur. Valde etiam necessarium est inquirere, ut plena morum informatio habeatur, cognoscere statum, an dives sit an pauper. Si sit pauper, distinguendum est an sit pauper ex indigentia necessaria bonorum fortunæ, an ex electione propter votum, vel statum: utriusque paupertas potest esse virtutis instrumentum, et ad meritum prodesse. Et nota quod primi generis homines avaritia, secundi generis superbia infestari solent.

741. Theologice quoque consideranda est et examinanda etiam persona cui fit revelatio, si fide, spe et charitate polleat cum aliis virtutibus. Simulatio in hæreticis cernitur quorum multi exterius in publico se catholicos mentiuntur, interius vero, et in conventiculis, cum simul sunt, obscœnis maxime vitiis implicantur. Et sic examinanda est fides uniuscujusque, et spes si sperat solum in Deo, an in suis viribus. Examinanda est cha-

ritas tam erga Deum, quam proximum. — Examinandum etiam est an cui fit revelatio sit persona sæcularis vel religiosa. In donis Dei recipiendis non possumus primam radicem ad statum nostrum reducere; non enim acceptor personarum Deus, sed dives est in omnibus qui invocant illum, et nemo est qui se abscondat a calore ejus, quare tam sæcularis quam religiosus his donis poterit illustrari, et facile est Deo in oculis suis honestare pauperem. Verum negari non potest quod ad suscipiendas has anagogicas visiones, et hujusmodi, habilior sit cæteris paribus religiosus, quam sit sæcularis: sic enim ad contemplationem etiam naturalem habiliores sunt qui magis a mundanis negotiis et impedimentis sunt expediti; unde et ille Philosophus in mare projecit divitias: tunc enim putavit se expeditum ad contemplandum, cum onus illud a se abdicavit; et qui in agone contendunt, ab omnibus quoque se abstinent, ut ad cursum sint expeditiores. Certe magis expediti sunt religiosi quam sæculares, unde et status eorum est ad perfectionem tendentium.

742. Examinandum est, an sit tyro in via perfectionis, an miles veteranus, qui has gratias adstruit. Habet suos gradus spiritualis vita, ut ascensiones quoque suas habeat, unde proficiant ejus vitæ professores, de virtute in virtutem progrediendo, ad videndum Deum deorum in Sion. — Ex doctrina D. Dionysii triplex via distincta est: purgativa, illuminativa et unitiva, ut his veluti ordinatis gradibus ascendamus ad Deum; et hic regularis modus est traditus a Deo, nullo tamen modo ex hac constitutione suas arctans manus, quin possit subito evehere animam ex imo ad contemplationis fastigium, ut in Paulo contigit. Quare qui non est exercitatus in prima via, quomodo ad illuminativam poterit festinare? Et qui nec de limine scholam illuminativæ salutaverit, quomodo prætendet unitivam facile consequi? Bernardus, Sermone quarto in Cantica, triplex osculum distinguit: pedum, manus et oris sponsi. Primo, ad pedes per viam purgativam ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secundo, manum quærimus sublevantis, et roborantis genua dissoluta. Postremo, cum ista multis precibus et lacrymis obtinemus, tum audemus forsan ad ipsum os gloriæ caput attollere. Multi sunt vix peccata plangentes, virtutum exercitationes fugientes, libentissimo disputantes et diffinientes de visionibus, raptibus, excessibus, ac

si Moysen comitantes ad montem conscendissent ad loquendum cum Domino: et tamen a profectu et progressu Moysi longe absunt; primum enim veluti tyro in leviori palæstra exercitatus est, quam se in schola spiritus perfectum ostenderet ex Dei familiaritate. Nullus putet in montem thuris, idest contemplationis et orationis ascendisse, prætereundo montem myrrhæ mortificationis. Quando talis deprehenditur qui putat se in montem Thabor ascendisse, mendacium loquitur. Discutiendum etiam est, an hæc dona et charismata cum mortificatione et cruce sint conjuncta: nam si nec antecedenter, vel concomitanter, aut saltem subsequenter sint hæc ad invicem connexa, valde suspectæ sunt tales revelationes et prophetiæ. Fundamentum, quia hæc dona dantur ad manifestationem fidei, et utilitatem Ecclesiæ; fides autem maxime ostenditur super omnia alia signa in mortificatione et patientia christiana: his enim crevit maxime christiana religio.

ARTICULUS VII.

Optima praxis tam ex parte directoris et doctoris, quam ex parte addiscentis.

743. Ubi ergo director ab anima erudienda secreta cordis acceperit, ad ejus informationem procedere debet. Insistendum primo est, ut vitia curentur, et extirpentur, deinde virtutes plantentur in anima ascetæ, juxta illud Jerem. 1: Posui te ut evellas et dissipes, ædifices et plantes. Propterea præter exactam confessionem peccatorum, quam generalem oportet esse si invalidæ aliæ fuerunt, vel de consilio in assumptione alicujus status, vel mutationis vitæ ad perfectionem tendendo, omnes quoque inclinationes debet director spiritus agnoscere. Dirigere quoque debet discipulum ut exerceatur in schola mortificationis, et exercitationibus vitæ activæ, et ubi hæc omnia quæ ad vitam purgativam spectant intercesserint, ad contemplativam excitet, in ferventibus desideriis et orationibus instruendo, donec post illuminationes has perveniat ad unitivam, in qua est summus contemplationis gradus.

744. Hinc memoriæ mandandum est documentum cardinalis

Cajetani, 2 2, q. 182, art. 1, in quadam responsione ad tertiam objectionem, ubi hæc aurea verba ponit: Notent tamen qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, et diligenter efficiant ut prius in vita activa exerceri faciant quos edocent, seu instruunt, quam contemplationis fastigium suadeant: oportet siquidem prius passiones domare, habitibus mansuetudinis, patientiæ, liberalitatis, et humilitatis, etc. se dare quam ad contemplativam ascendere; et ob defectum hujus, multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitæ suæ contemplationi dederunt, vacui virtutibus inveniuntur impatientes, iracundi, si in hujusmodi tangantur: et propterea tales nec activam, nec contemplativam, nec ex utroque compositam habuerunt, sed super arenam fabricaverunt, et utinam non sit frequens defectus iste! Hæc ille. A tectis enim, et non a fundamentis cœperunt ædificare, et propterea non potuerunt consummare. Unde vigilent confessarii, nec omni vento assertæ visionis et hujusmodi moveantur, nisi viderint suum ascetam mortificatum, et passionibus sedatis per viam purgativam incessisse, et non per saltum ad contemplationis montem accessisse. Instruendorum quoque voluntatem frangere curet, et ut sententiæ cedant propriæ, et nihil sine obedientia agant in his quæ tam præcepta, quam consilia, et perfectionem juxta regulas traditas a sanctis spectant.

745. His præceptis affine est aliud, ut cum quibus convivit mulier maxime providus instructor agnoscat. Facillime ex convictu et conversatione sodalium, malæ vel bonæ formæ virtutum, vel vitiorum mentibus humanis imprimuntur. Præclare Seneca: Hærebit tibi avaritia quamdiu avaro sordidoque convixeris, hærebit tumor quamdiu cum superbo conversaberis; nunquam sævitiam in tortoris contubernio pones, incendent libidines tuas adulterorum sodalitia: si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Avarus, corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri si procul a te fuissent, intra te sunt. Ad meliores transi, cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone; quod si convivere cum Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone versare aliter te decebit, si necesse erit. Vive cum Chrysippo, cum Possidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam. Hæc ille Gentilis. Quid non est inculcandum a directore spirituali animæ, præsertim mulieris? Vive, dicere

debet, imitando sanctorum exempla Benedicti, Dominici, Francisci, et aliorum sanctorum, si est in monasterio claustralis. Ad hoc tendit oratio (dicebat Hieronymus, opusc. ad Rusticum monachum) ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum; sed vivere debere in monasterio sub una disciplina patris, consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem; non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiare quod acceperis, operis tui pensum persolvas, subjiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias ambulansque dormites, et nondum expleto somno surgere compellaris. Et paulo post: Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Credas tibi salutare quidquid ille præceperit, ne de majorum sententia dubites, cujus officii est obedire, et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse: Audi, Israel, et tace. Tantis negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus, et dum ab uno transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris.

746. Subtilis grandisque tentatio in communi viventes vexare solet, ut in cœnobio privatam, vel eremiticam vitam eligere velint, communitatem bene ordinatam refugiant. Certe parum, vel nihil prodest solitudo corporis, ait Gregorius, si solitudo defuerit cordis. Gregorius, XXX. Moralium, cap. 23. Socialis namque vita necessaria est ad exitum perfectionis. Solitudo autem competit jam perfectis, ait divus Thomas, 2 2, q. 188, art. 8. Unde in responsione ad quintum dicit quod homo solitarius potest dupliciter vivere: uno modo quasi societatem humanam non ferens propter animi sævitiam, et hoc est bestiale. Alio modo per hoc quod totaliter rebus divinis inhæret, et hoc supra hominem est, et ideo dixit Arist. 1. Polit., quod ille qui aliis non communicat, est bestia, aut Deus, idest divinus vir. Et ne aliquis putaret D. Thomam taxare vitam solitariam, respondet loco citato in corpore: Quid igitur? solitariam vitam reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudavimus; sed de ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint. Sicut ergo id quod jam perfectum est præeminet ei quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumeretur, est pericu-

losissima, nisi per divinam gratiam suppleatur quod in aliis per exercitium acquiritur, sicut patet in beato Antonio et Benedicto. Hæc ille.

747. Ab omni specie mala cavere debent directores, avaritiæ, lucri, ut intelligat instruendus eos imitari Apostolum qui dicebat: Nolo vestra, sed vos. Multo periculosius est, si director vitæ spiritualis ita rei familiaris et personæ curam susciperet ut a matre, fratre sejungeret, etiam sub specie orationis, vel aptioris vel quietioris vitæ ad contemplationem, etc. Etiam si mulier instruenda pudicitiæ et omnium virtutum choro vallata sit, fugienda semper est. Hoc sit in istis directoribus documentum quod a S. Ambrosio, 1 Officior., scribitur: Si pudicitiam quæris, fœminam quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali accessu frequentes: nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Et alibi: Fœminarum cum clericis nullo pacto conjuncta permittitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio novumque genus est fœmina; cum proximat, ignem accendit. Bene dicebat Hieronymus ad Lætam de institutione filiæ: Venena non dantur nisi melle circumlita, et vitia non decipiunt nisi sub specie umbraque virtutum. Nam quamvis verum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum: quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur; non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius a principio non mittit sagittas venenatas, sed solum aliqualiter vulnerantes, et amorem augmentantes. Merito dicebat S. Augustinus: Quo sanctiores sunt, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis. Crede mihi: Episcopus sum, episcopum loquor, non mentior. Cedros Libani, idest contemplationis altissimæ homines, et gregum arietes, idest magnos prælatos, sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam quam Hieronymi et Ambrosii. Abjiciendi sunt isti occulti recessus, privata hæc contubernia quantumcumque spiritualibus exercitiis colorentur; et si fieri necesse sit, in ecclesia propter tot inconvenientia, a confessore discreto petantur consilia et directiones ejusmodi, cum sobrietate tamen et prudentia, et cavendum ne sub specie confes-

sionis, vel prolixæ narrationis visionum suarum superfluæ inducantur fabulationes, orationisque inordinatus affectus eliminetur.

ARTICULUS VIII.

De divinis locutionibus.

748. Advertendum est locutionem a visione nullo pacto secundum rem discerni: per utramque enim Deus revelat divina mysteria; differunt tamen ratione, per analogiam ad visionem et auditionem externam. In nobis quatuor distinguimus: loqui, audire, rem repræsentare ut videndam, et videre. Loqui corporaliter nihil aliud est quam voce mentis conceptus exprimere ut quis ab alio audiatur, et per correlativorum naturam non est aliud audire quam conceptus ejusmodi manifestationem percipere; utriusque exemplum est in sacra Scriptura, ut cum dicitur: Loquere, Domine, quia audit servus tuus; et iterum: Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Proponere rem ut videndam, est aliquod visibile objectum oculis proponere, et præsens eidem illud objectum facere visivæ potentiæ sine alio signo medio, e conceptu vel affectu proponentis. Videre autem est visum applicare objecto, eam rem aspiciendo. Exempla sunt in sacra Scriptura. Nam quantum ad propositionem visibilis scriptum est: Quid tu vides, Jeremia? Et ex parte videntis dicitur: Ollam succensam ego video. Unde duo sunt ex parte Dei, duo alia ex parte hominis: ex parte Dei est locutio et propositio objecti videndi, auditio et visio se tenent ex parte hominis. Dicitur autem Deus loqui ad prophetam, quando explicat mentem suam, vel sententiam de re revelata, et audiens non solum certificatur de revelatione quod sit divina, sed etiam quod loquens non sit alia creatura, sed Deus. Unde Gregorius id eleganter explicavit, XXVIII. Moralium, dicendo Spiritum Dei quasi quædam nobis verba docere, et occulta vi ea quæ agenda sunt intimare, et cor hominis ignarum, non adhibito strepitu et tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Non quia auditus ea quæ ad se ipsum fiunt, non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui et causas per verba, et particulatim verba per syl-

labas percipit; visus autem noster in quod se dirigit, totum subito et simul apprehendit: Dei locutio ad nos interius facta videtur potius quam auditur.

749. Visio autem ex parte Dei se tenet, quando subito rem videndam præsto facit intellectui, ut absque medio et impedimento in illam figat obtutum, et propheta, qui et videns, sine ulla alia difficultate et obstaculo, perspicaci oculo eam intuetur ac si eam, etiam si absens esset, præsentialiter videret: et id arguit distinctionem quamdam modalem; nam etsi sit differentia inter utrumque, quod audire pertinet ad immutationem quamdam cum successione et mora, quod non accidit in visu, hoc est in corporalibus: nam in spiritualibus utrumque fit subito, et quæcumque perfectiones sunt in auditu, transferuntur ad visum et e contra, seclusis hinc inde imperfectionibus; quare ad eam tam eximiam rem denotandam, modo visus, modo auditus pro eodem usurpantur.

750. Locutio Dei triplex est. Altera vocibus exterioribus formata, quam aures corporis audiunt, et per eam intellectus audientis illustratur et affectus accenditur. Talis fuit vox quæ in baptismo Salvatoris intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et alia similis, quæ in transfiguratione discipulos ad illud mysterium admissos docuit: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Item et illa qua ad petitionem Domini: Pater, clarifica nomen tuum, responsum est, omni turba audiente: Et clarificavi, et iterum clarificabo. Atque etiam illa Angeli ad Virginem: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Ac tandem illa multorum Angelorum in corporibus visibilibus ex aere formatis in nativitate Domini pastoribus apparentium atque dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Voces hæ ad consolationem justorum formantur in aere Angelorum ministerio, et videntur exire a corporibus aereis, quæ Angeli, ad repræsentandum se ipsos vel alios sanctos, formant, vel a sanctis imaginibus, vel ab Eucharistiæ sacramento, vel ab aliis creaturis per quas Deus nos docet.

751. Altera Dei locutio non aure corporis auditur, sed imaginatione concipitur, dum Dominus per se ipsum, vel per aliquem Angelum format in imaginatione hominis ea verba, easque

sententias quas vult ab ipso intelligi, quibusque oportet eum de rebus utilibus edoceri. Quod enim homo facit verbis prolatis ad alterum, ut sensum ejus interiorem moveat, ut ea scilicet verba et eorum significationem concipiat, potest Deus facere et similiter Angelus sine verbis quæ ipse proferat, solum similitudines verborum disponendo, quæ sunt in imaginatione hominis ad quem loquitur, vel alias novas imprimendo, et sic quod intendit manifestando. — Id autem fit multis modis. Nam aliquando verba distincte et clare interius audiuntur non minus quam si corporeis auribus perciperentur; quæ autem persona loquatur, minime homini audienti panditur. Unde Cyprianus: Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus quæ efferre non sufficis, ut dubitare non possis quia juxta te est immo intra te, qui te sollicitat: nec tamen sicuti est se tibi videndum concedat. — Aliquando persona loquens, ut Christus, vel beata Virgo, vel aliquis sanctus, se ipsam manifestat, dum figura ejus per aliquem Angelum imaginationi imprimitur, ita ut audiens a quo audiat nullo modo possit dubitare. Et quidem hæc manifestatio non fit semper eodem modo, sed variis rationibus secundum aliquam dispositionem loquentis, quam in uno vel alio tempore habuit, ut si se ostendat Dominus vel ut infans in præsepio, vel ut patiens in cruce. — Aliquando tandem is qui loquitur, et se ipsum loquentem manifestat, est purus spiritus, ut Deus, vel Angelus, vel anima sancta. Purus autem hic spiritus formam corpoream imaginationi imprimens, et quasi illa se vestiens, suas mirabiles perfectiones pandit, ut verbis a se dictis majorem credulitatem conciliet. Sed hæc verba licet a Deo, vel Angelo in ipsa hominis orantis vel contemplantis imaginatione formentur, tamen ita disponuntur ut interdum videantur e cœlo descendere, interdum juxta audientem, vel a longe proferri, interdum ex ipso penetrali cordis assurgere. Cognoscuntur autem esse divina, vel angelica, et non propria hominis industria elaborata, in hoc quod non est in audientis potestate ea verba respuere, aut non audire, aut ab illis diverti et alia cogitare. Audit autem anima hæc verba aliquando quidem in somnis, quando est curis exterioribus, et sensuum externorum operatione soluta. Unde ait Dominus ad Aaron et Mariam sororem ejus: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Et Job:

Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplina. Aliquando audiuntur verba Dei in vigilia, cum scilicet homo orationi et divinæ communicationi se tradit. Hoc modo audivit Zacharias Angelum loquentem in se, idest intra se verba formantem. Et Petrus in extasim raptus audivit illam vocem.

752. Tertia locutio Dei non sonat in aure corporis, nec percipitur imaginatione capitis, sed pure spiritualiter intellectu mentis. In qua intellectuali locutione tria formari possunt verba. Quædam quæ naturaliter ipse spiritus humanus format, quæ vocantur ab aliquibus verba successiva circa materiam quam actu contemplatur, et cum tanta facilitate ac distinctione, tamque consequenter varias invenit et deducit rationes, quas antea nesciebat, ac texit discursus non prævisos, ut non ipsa sola hujusmodi facere videatur, sed ab alia persona secum interius colloquente, respondente ac influente procedere credat: et hoc cum aliquo fundamento, nam tunc anima secum loquitur, se ipsam interrogat, sibique respondet, non secus ac si cum alia persona discurreret, et huic interlocutioni sæpius assistens Spiritus Sanctus, adjuvat eam in formandis hujusmodi conceptibus, verbis ac rationibus veris; cum enim intellectus humanus sit collectus ac unitus veritati quam contemplatur, et similiter ei sit unitus spiritus divinus, inde est quod intellectus ipse spiritui divino communicans, ex prima veritate per lucem a cœlesti illo veritatis magistro derivatam multas alias deducit veritates. Unde credit anima se cum alio successivis verbis discurrere. — Quamvis autem in hac intellectuali communicatione, ac illustratione pure spirituali, secundum se non soleat aliqua dæmonis illusio subrepere, ex defectu tamen ipsius animæ potest aliquando reperiri deceptio: cum enim ipsamet anima sit quæ tales format discursus, ac rationes deducit, etsi media luce sibi divinitus communicata; quia tamen illam non plene possidet, nec illi perfecte subordinatur, at potius juxta propriam intellectus sui capacitatem ac limitationem utitur illa, sæpe contingit quod in rationum deductione, et in discursuum illatione decipiatur, et sic ex veris principiis falsas conclusiones colligat. Quod si fuerit anima circa hujusmodi nimium affecta, facilius justo Dei judicio in pœnam affectus inordinati et cu-

riositatis decipietur, credens hæc verba successiva a Deo procedere, cum tamen ab ipsa formentur.

753. In hac intellectuali cognitione sunt alia verba formalia, quæ anima sibi sentit ab alio proferri, nec de hoc potest dubitare. Et ista verba formalia differunt a successivis, quod formalia proferuntur ab alio ipsi animæ, successiva vero formantur ab ipsa anima; quæ differentia ex hoc amplius colligitur, quod verba successiva semper contingunt animæ collectæ, et circa eamdem veritatem quam in sua collectione contemplatur: sed verba formalia plerumque contingunt animæ non collectæ, ac minime cogitanti de re vel materia circa quam proferuntur. Hæc verba formalia quandoque sunt admodum expressa ac bene formata, quandoque minus, ita ut vix percipiantur; quandoque plura sunt, quandoque pauciora; quandoque cito transeunt, quandoque successive ad instructionem animæ formata diutius perdurant, sive a Deo sive ab Angelo proferantur, ut habetur ex illo Danielis IX: Et locutus est mihi Gabriel, dixitque, etc. Quando hujusmodi verba sunt tantum formalia, non habent alium specialem effectum in anima; cum enim ordinarie sint solum ad instructionem animæ, sufficit quod in ordine ad hunc finem animam instruant. Sed quando a Deo procedunt, summam in anima habent efficaciam: nam operantur effectum ad quem inducunt; unde promptam reddunt voluntatem ad exequendum id quod præcipitur. In istis verbis formalibus etiam potest esse illusio dæmonis, cum sæpius vix appareat an a Deo, an a diabolo proferantur; et cum ordinarie non alium habeant effectum præter instructionem, non possunt ab effectibus dignosci: maxime quia quandoque accidit quod illa quæ a dæmone proferuntur sint expressiora; unde non statim debet quis exequi quæ dictis verbis significantur, sed omnia prudenti et docto confessori vel directori fideliter exponat, cujus consilio se conformet.

754. De istis verbis formalibus multoties loquitur D. Thomas in suis operibus. Explicans illud Job XI: Utinam Deus loqueretur tecum, dicit sic: Loquitur homini cum ejus cordi aliquid de sua sapientia inspirat; secundum illud Psal. LXXXIV: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Labia autem sua aperit cum per aliquos effectus hominibus aliquid revelat. Explicans D. Thomas illud Psal. XXXVIII: Dic animæ meæ, dicit sic: Per

internam inspirationem cognoscam te esse salutem animæ meæ. Explicans idem D. Thomas illud Cantic. v: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, dicit sic: Quanto vicinius adventum sponsi mei persensi ad tactum secretæ inspirationis, tanto magis quidquid in me erat frigidum incaluit, ita ut nihil mihi libeat jam nisi lacrymis resolvi. Loquitur enim sponsus interna sui inspiratione, cum Christus sanctam animam inspirat, eique cæleste desiderium suggerit. Et ita eo loquente liquefit, quia quo magis cœlestibus afflatur desideriis, eo amplius terrenis moritur, et quasi insensibilis mundo efficitur, solumque desiderio cœlesti vivit. D. Thomas, p. p., q. 94, art. 1, in corpore, loquens de primo homine adducit et approbat doctrinam D. Augustini in lib. XI super Genesim ad litteram, quod fortassis Deus primis hominibus loquebatur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, etsi non tanta participatione divinæ essentiæ quantam capiunt Angeli. Et De veritate, q. 18, art. 3: Duplex est locutio: una exterior qua Deus nobis per prædicatores loquitur; quædam interior qua loquitur nobis per inspirationem internam: dicitur autem ipsa interior inspiratio, locutio quædam ad similitudinem exterioris locutionis; sicut enim in exteriori locutione proferimus ad ipsum audientem non ipsam rem quam notificare cupimus, sed signum illius rei, scilicet vocem significativam: ita Deus interius inspirando non exhibet essentiam suam ad videndum, sed aliquod suæ essentiæ signum, quod est aliqua spiritualis similitudo suæ essentiæ.

755. In hac intellectuali locutione sunt alia verba substantialia sic dicta, quia vivum et substantialem effectum in anima causant; contingunt eidem animæ sive in se ipsa collectæ, sive in aliis occupatæ; in quo conveniunt cum formalibus, sicut et in eo quod ab alio prolata formaliter imprimuntur animæ: sed in hoc differunt quod sunt vere ac perfecte practica; nam operantur quod significant, cum tamen verba pure formalia sint potius speculativa, et solum instruant ad agendum. Unde omnia verba formalia non sunt substantialia, bene tamen omnia verba substantialia sunt formalia: substantialia namque idem penitus important quod formalia, et aliquid amplius, quia simul instruunt cum formalibus, et operantur quod significant: quod non faciunt formalia. — Hæc verba substantialia confirmantur auctoritate sacræ Scripturæ, tam in veteri quam in novo Testa-

mento. In veteri quidem Testamento dixit Deus, Genes. XVII, Abrahæ: Ambula coram me, et esto perfectus; quod verbum perfecit hunc sanctum Patriarcham. Propterea dixit, Psal. LXVII, regius Propheta: Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Eccle. c. VIII habetur: Et sermo illius potestate plenus est. In novo autem Testamento sæpius exprimitur quomodo verbum Christi operabatur miracula diversa, quæ significabat, sive sanando infirmos, sive suscitando mortuos, sive mari vel ventis imperando. Propterea dicit Apostolus, quod sermo Dei est vivus et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, medullarum quoque et compagum. De verbis hujusmodi substantialibus loquitur S. Theresia; refert enim quomodo de visionibus suis timida, et ex metu delusionis turbata, et ab omnibus afflicta, ad hæc verba Christi: Ego sum, noli timere, statim omnis timor, omnis turbatio, et omnis afflictio evanescebat. Et certe hæc verba sunt animæ vita, virtus et bonum incomparabile. Hæc verba suum subito producunt effectum, absque ulla animæ industria; unde debet audiens tranquillus et quietus dicere tunc Domino cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus, et liberum ei præbere consensum. Propterea se quasi passive circa illa debet habere, nec ullam debet deceptionem timere: nec enim aut intellectus, aut diabolus similes effectus substantiales potest operari in anima; unde dicit Dominus, Jeremiæ XXIII: Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram? Et cum hujusmodi verba sint verba vitæ æternæ, et plurimum conducant ad unionem divinam, maxime quando sunt interiora, possunt cum humilitate ac resignatione desiderari, et cum gratiarum actione suscipi. Felix, ac ter beatus, cui hoc modo loquitur Dominus! — *Adde Append.*, n. 425.

ARTICULUS IX.

De divinis tactibus in anima.

756. Divus Thomas, De veritate, q. 28, art. 3, in corpore, dicit: Tactus sumitur active vel passive. Tactus active sumptus importat actionem Dei intime tangentis animam; tactus passive sumptus importat immediatum hujus intimæ actionis effectum

in anima, qui proprie dicit sensum suavissimum animæ tali causatum actione. Quamvis autem in præsenti magis explicetur tactus hujusmodi passive sumptus, tamquam receptus in anima, ex his tamen quæ dicuntur explicabitur etiam tactus active sumptus, a quo passivus dependet, et quem semper connotat; unde quidquid tactui passivo formaliter attribuetur quasi termino, debet tactui activo causaliter attribui tamquam principio.

757. Cum isti tactus sint actiones Dei, et circa voluntatem, circa quam solus Deus potest operari, ideo tactus isti solum a Deo procedere possunt, quia, ut dicit D. Thomas, 1 2, q. 9, art. 6, voluntas movetur a solo Deo, sicut ab exteriori principio. Isti tactus non sunt quantitativi, sed virtuales. Ita D. Thomas, p. p., q. 95, art. 1, ad 3: Duplex tactus: quantitatis et virtutis. Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore, secundo vero modo corpus potest tangi a re incorporea. Et q. 105, art. 2, ad 1: Secundum primum contactum Deus, cum sit incorporeus, non tangit nec tangitur: secundum autem virtualem contactum tangit quidem movendo creaturam, sed non tangitur: quia nullius creaturæ virtus naturalis potest ad ipsum pertingere. Et De veritate, q. 28, art. 3, in corpore: Actio non perficitur sine aliquo contactu, quo vel solum agens tangit patiens, quando patiens non est natum tangere agens, sicut cum corpora superiora agunt in ista inferiora, tangentia ea et non tacta ab eis; vel mutuo se tangunt agens et patiens, quando utrumque natum est tangere et tangi, sicut cum ignis tangit aquam, vel econverso. Unde et in spiritualibus quando natus est esse mutuus contactus, non completur actio sine contactu mutuo: alioquin sufficit quod agens tangat patiens. Ipse autem Deus qui justificat impium, tangit animam, gratiam in ea causando: unde et in Psal. CXLIII: Tange montes, Glossa: De gratia tua. Mens autem humana aliquo modo tangit Deum eum cognoscendo, vel amando; unde et in adultis, qui possunt Deum cognoscere et amare, requiritur aliquis usus liberi arbitrii quo Deum cognoscant et ament; et ista est conversio ad Deum, de qua dicitur Zachariæ I: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Hæc ille. De isto tactu virtuali intelligit D. Thomas illud Canticorum V: Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Dicit sic: Dilectus per foramen manum mittit, et ventrem tangit, cum

interna Conditor inspiratione visitat cor, et ad profectum virtutum accendit, sive etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus quia cum esset Deus, homo pro nobis fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens, cœlestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam æternam nobis daret. Et venter intremit, quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se concutiunt, dum stupere incipimus quanta dignatione hæc Conditor pro nobis agere dignatus est. Nam quod venter cor significet, ostendit Propheta dicens, Jerem. IV: Ventrem meum doleo. Quod quid esset ostendit subdens: Sensus cordis mei dissipati sunt. Hæc ille.

758. Tactus hujusmodi divinus diversimode contingit; quamvis enim semper in voluntate recipiatur (substantia siquidem animæ non potest se ipsam sentire vel quid percipere, nulla quippe substantia est de se ipsa immediate in creaturis operativa, sed operatur per suas potentias), diversimode tamen recipitur: quandoque enim perceptibiliter apparet in affectu voluntatis; quandoque vero, cum est intensissimus, altissimus, profundissimus et secretissimus, videtur penetrare ad ipsam animæ substantiam. Aliquando est valde distinctus, aliquando autem non ita; aliquando cito transit, aliquando diutius perseverat. Quomodocumque contingat a Deo, multum est sublimis et elevatus; sed cum ad ipsam animæ substantiam penetrare videtur, est ita sublimis, tamque pretiosus ac proficuus animæ, ut ipsamet anima capere non possit, nec etiam capit unde tantum bonum ipsi proveniat, nec propter quæ ejus opera tantam Deus ipsi gratiam concedat; non enim ex operatione vel industria animæ dependet, nec ex ejus meditatione vel contemplatione procedit, quamvis hæc omnia velut aptæ ac convenientes dispositiones ad hujusmodi favorem præparent animam.

759. Hanc gratiam concedit Dominus cui vult, quando, ubi, et quomodo vult; unde sæpius accidit quod viris sanctis post diuturnum orationis et contemplationis exercitium illam deneget, et e contra tyronibus ac incipientibus viam perfectionis in eminentissimo gradu concedat: sed Dominus est qui de suis donis ac gratuitis beneficiis disponit prout vult, et istis gratiam concedens, illis non fecit injuriam. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Rom. IX: Miserebor cui misertus sum, et misericordiam præstabo cui miserebor: igitur non est volentis

neque currentis, sed miserentis Dei, dicit quod Apostolus adducit auctoritatem quæ habetur Exodi xxxiii, ubi dicit Dominus Moysi, secundum litteram nostram: Miserebor cui voluero, et clemens ero in quo mihi placuero. Ubi manifeste non meritis, sed soli divinæ voluntati adscribitur divina misericordia. Et cum dicit: Igitur non volentis etc., concludit propositum ex præmissa auctoritate. Et potest hæc conclusio multipliciter intelligi. Uno modo sic: igitur ipsa salus hominis non est volentis neque currentis, idest non debetur alicui propter aliquam ejus voluntatem vel exteriorem operationem, quæ dicitur cursus, secundum illud I. Corinth. ix: Sic currite ut comprehendatis, sed ex misericordia Dei; idest procedit ex sola Dei misericordia. Potest autem et aliter intelligi, ut sit sensus: Omnia procedunt ex Dei misericordia, igitur non est volentis, scilicet velle; neque currentis, scilicet currere: sed utrumque est miserentis Dei, secundum illud I. Corinth. xv: Non autem ego, sed gratia Dei mecum.

760. Quamvis hujusmodi tactus in voluntate recipiatur, quodammodo tamen ad intellectum redundat: ex illo quippe expressa quædam intelligentia sive notitia Dei dimanat et excitatur, quæ suavissimam et altissimam Dei perceptionem ac velut impressionem importat; et juxta tactus ipsius sublimitatem ac eminentiam attenditur hujus notitiæ sublimitas ac eminentia. D. Thomas, 1 2, q. 110, art. 2, dicit quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo inquantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur in iii. Physic. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animæ infunditur. Et hoc ideo quia non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Et sic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum

illud Sapientiæ VIII: Et disponit omnia suaviter. Multo igitur magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum. Et sic donum gratiæ qualitas quædam est. Hæc ille. Ecce quomodo per gratiam voluntatem movet, et etiam intellectum; et excitantur istæ potentiæ ad tactum ejus; et suavissimam Dei perceptionem et impressionem important; et quia tactus iste gratiæ est sublimis et eminens, etiam notitia de Deo est sublimis. Et secundum istam doctrinam et veritatem, omnia quæ dicuntur de auxiliis divinæ gratiæ dicenda sunt de tactibus, quia auxilia divina sunt motiones Dei, quibus mediis tangit animam ad operationes supernaturales exercendas, et movendo et inflammando voluntatem, illustrat intellectum.

761. Et de istis tactibus loquitur D. Thomas, p. p., qu. 52, art. 4, ubi dicit quod voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest qui est principale ejus objectum. Et 1 2, q. 6, art. 1 ad 3: Deus movet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus: sed etiam sicut movens ipsam voluntatem, quia omnis motus tam voluntatis quam naturæ ab eo procedit sicut a primo movente; et sicut non est contra rationem naturæ quod motus naturæ sit a Deo, sicut a principio movente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei moventis, ita non est contra rationem actus voluntarii quod sit a Deo, in quantum voluntas a Deo movetur: est tamen communiter de ratione naturalis et voluntarii motus quod sint a principio intrinseco. Et Opusc. IX, qu. 38: Manifestum est enim quod Deus in anima agit non solum causando in ea aliquem habitum, puta gratiæ vel virtutis, sed etiam inclinando liberum arbitrium ad hoc vel illud: quod non proprie dicitur influere, sed magis movere ad actum.

762. Ad divinum tactum non cooperatur anima proxime et immediate, quamvis se remote disponat; sed mere passive ad illum recipiendum se habet: ita ut vere tunc dicatur divina patiens, quod etiam verum est in ordine ad consequentem notitiam. Inde est quod in utriusque receptione propriam non debet adhibere industriam. ne fructum utriusque impediat; sed

tantum suavem præbendo consensum, cum humilitate et gratiarum actione tantum recipiat bonum. — Hanc doctrinam declarat D. Thomas; explicans illud D. Pauli ad Philipp. II: Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro sua voluntate, dicit sic: In his verbis excludit quatuor falsas existimationes: unam hominum credentium, quod homo per liberum arbitrium possit salvari absque divino auxilio. Contra hoc dicit " Deus, etc.; „ Joan. XIV: Pater in me manens, ipse facit opera; et XV: Sine me nihil potestis facere. Alii omnino negant liberum arbitrium, dicentes quod homo necessitatur a fato vel a providentia divina. Et hoc excludit cum dicit: " In nobis. „ Tertio, Pelagianorum, sicut et primi dicentium electiones esse in nobis, sed prosecutiones operum in Deo, quia velle est a nobis, sed perficere a Deo; et hoc excludit dicens: " Et velle et perficere. „ Quarto quod Deus facit omne bonum in nobis, et hoc per merita nostra. Hoc excludit cum dicit: " Pro bona voluntate, „ scilicet sua, non pro meritis nostris, quia ante gratiam Dei nihil boni meriti est in nobis. Psal. L: Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua. — *Adde Append.* n. 426.

DISPUTATIO VI.

DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ

ARTICULUS I.

Quid sit purgatio passiva partis intellectivæ.

763. Quatuor causas assignavimus purgationis passivæ in parte sensitiva ad majorem ipsius notitiam: sic in præsenti operæ pretium est, ob eamdem rationem, quatuor causas purgationis passivæ in parte intellectiva manifestare: harum vero causarum duæ sunt intrinsecæ, ut docet D. Thomas multis in locis suorum operum, videlicet materialis et formalis: quarum materialis est prior utpote subjectum causæ formalis ipsi præ-

suppositum; aliæ duæ sunt extrinsecæ, scilicet efficiens et finalis, ex quibus finalis præcedit quidem in ordine intentionis, sed tamen subsequitur in ordine executionis, ut dicit D. Thomas, III. Contra gentes, cap. 17 ad 7. Prius enim causa efficiens influit physice, antequam finis acquiratur realiter, in quo est ordo executionis, quamvis finis ante moraliter moveat quam efficiens realiter influat, in quo est ordo intentionis.

764. Causa materialis purgationis passivæ in parte intellectiva est pars superior animæ seu hominis, dicta intellectiva ab intellectu principali ejus potentia. Et docet D. Thomas: Intellectus dicitur quasi intus legens, et idem intellectus nomen sumitur ab intima penetratione veritatis. In hac superiori parte consideratur anima rationalis, seu intellectiva, cum propriis potentiis secundum se sumptis; et, ut docet D. Thomas, Op. xxxv, in natura intellectuali sunt duæ solum potentiæ, scilicet intellectus et voluntas, quæ non indigentes organo corporali ad sui consistentiam, ipsam animam ubique, etiam in statu separationis concomitantur; quamvis in statu unionis indirecte corporeis organis, sive potentiis organicis indigeant. Intellectus igitur ob suam illimitationem, verum ut sic, abstrahendo a præsenti, præterito et futuro, tamquam proprium objectum respicit; voluntas autem, sive appetitus intellectualis, ob eamdem illimitationem respicit bonum ut sic universaliter, et non sub diversa ratione, sicut illud respicit appetitus sensitivus. Anima ergo secundum has potentias spirituales est subjectum in quo purgatio passiva partis intellectivæ exercetur modo statim explicando, et propterea dicitur causa materialis illius.

765. Causa formalis, in qua consistit purgatio passiva partis intellectivæ, est lux clarissima contemplationis, quæ intima cordis arcana et centrum animæ penetrans, omnes ejus defectus quantumcumque latentes et minimos, ei manifestat, et adjunctis circumstantiis, maxime personæ offendentis et offensæ, mirabiliter animam cruciat, intellectum tenebris obvolvendo, et voluntatem quadam abjectione et desperatione ad extremas angustias reducendo. Intellectus obvolvitur tenebris per hoc quod media illa luce clarissima sic in propriorum defectuum consideratione detinetur, ut ad divina et cœlestia non possit elevari; unde in crassa et tenebrosa miseriarum suarum caligine totus absorbetur, nec potest ad alia quæ recreare possent,

se divertere; voluntas autem quadam abjectione et desperatione ad extremas reducitur angustias, per hoc quod detectis tot tantisque miseriis et infirmitatibus propriis, non potest non horrere se ipsam, velut causam et radicem ipsarum; et sic ex una parte abjecte de se ipsa sentire, ex alia vero parte de divina bonitate quodammodo desperare, cum tot modis se eam offendisse supponat. Unde anima angustiata et nimis afflicta gemit, et in mediis suspirando et gemendo clamat angustiis, quia multiplicata sunt peccata ejus supra multitudinem stellarum ac numerum arenæ maris, et credit se indignam aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis suæ, quia impie egit, et malum coram Deo fecit irritans divinam justitiam. Vix sermone potest etiam ab expertis exponi, quantæ sint hujus noctis angustiæ, quantus horror, et quam intima spiritus afflicti tribulatio. Credit multoties anima quod multum tempore tentationum deficit, et quamvis aliquando videat se eis non consentire, sæpius tamen dubitat an eis consenserit. Cum tamen certissimum sit eam divina gratia roborari et in bono firmari, ut ipsamet aliquando percipit, dum in tantis calamitatibus ac tentationum tempestatibus, in Dei timore et amore constans et immobilis perseverat.

766. Hæc doctrina, quæ est D. Thomæ, multis in locis suorum operum confirmatur et explicatur. D. Thomas explicans illud ad Rom. I: Manifestum est in illis, dicit sic: Deus dupliciter aliquid homini manifestat. Uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit; Psal. XLII: Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Alio modo proponendo suæ sapientiæ signa exteriora. In purgatione passiva partis intellectivæ infundit lumen primo modo, et hoc lumen manifestat omnia conscientiæ propriæ secreta, et omnes maculas et atomos quarumcumque imperfectionum alias latentes; quod declaratur exemplo lucis materialis, quæ cum radio solis intensius aeri communicata minimos materiales atomos volitantes demonstrat, qui cum luce ordinaria erant imperceptibiles: ex qua manifestatione tot priorum defectuum sequitur quod anima se ipsam sic impuram et miseram contemplando, vilissimam et abjectissimam de se ipsa habeat æstimationem. D. Thomas, explicans illud Psal. XII: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: Prævalui

adversus eum, dicit sic: Idest, Doce me: petitio contra adversarium. Illumina, ne quando dicat inimicus exultando, prævalui adversus eum. Diabolus exultat quando tentat et trahit ad peccatum. Anima in purgatione passiva partis illuminativæ petit a Deo ut illuminet oculos suos, ne unquam obdormiat in morte, et dicat inimicus: Prævalui adversus eam, quia in purgatione multoties justi torquentur a dæmone. Dicebat quædam sancta quando posita erat in purgatione passiva: Video quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod sicut suspensus non habet aliquid sustentamenti, ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum, et omnes virtutes animæ subvertuntur, sciente et sperante anima mea.

767. In ista purgatione partis intellectivæ intellectus tenebris involvitur, et voluntas angustiis velut confunditur et annihilatur, et inveniuntur multæ tribulationes. D. Thomas explicans illud Psal. XVII: Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me; dolores inferni circumdederunt me, dicit sic: Nota quod ista tria sic sunt ad invicem ordinata, iniquitas, mors et infernus, quod ex iniquitate homo inducitur ad mortem, et per mortem deducitur ad infernum. Et sicut primum est via ad secundum, ita est secundum ad tertium. Quando quis non potest mortem effugere, tunc circumdant eum dolores, et tanto magis quanto sunt ineffugabiles. Via est iniquitas: quasi ideo timeo eam quia " torrentes iniquitatis conturbaverunt me. „ Torrens est fluxus aquæ decurrentis cum impetu; Job VI: Sicut torrens qui raptim transit in convallibus. Impetus ergo subitus iniquitatis interioris, puta subitæ tentationis et gravis, est torrens impellens ad peccatum; et ideo " conturbaverunt me. „ Deinde dicit: " Dolores inferni, „ idest similes infernalibus; vel dolores qui concipiuntur ex timore inferni. Et hi circumdant quando inevitabiles sunt. — Anima in ista purgatione considerat ista tria: iniquitatem, mortem et infernum. Ipsi videtur quod est plena iniquitatibus, et timet mortem et infernum, et ideo dicit cum Propheta, Psal. LXVIII: Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. D. Thomas, in prologo super epistolam ad Thessalonicenses, dicit: Per aquas autem significantur tribulationes. Primo, quia aquæ impellunt irruendo sicut tribulationes; Matth. VII: Venerunt flumina et flaverunt

venti, et irruerunt in domum illam. Secundo, aqua extinguit ignem; Eccli. xxx: Ignem ardentem extinguit aqua: sic tribulationes extinguunt impetus concupiscentiarum, ne homines ad libitum eas sequantur. Tertio, aquæ submergunt per inundationem; Threnor. III: Inundaverunt aquæ super caput meum. Anima in ista purgatione multas sustinet tribulationes, et aquæ illæ non extinguunt ignem libidinis, et quasi submergunt animam in profundum. Et vere potest dicere illud Jonæ prophetæ, qui in mediis doloribus corporeis spirituales has angustias et tribulationes expertus, Dominum alloquens et in ipsum sperans, sic ait: Projecisti me in profundum in corde maris; et flumen circumdedit me, omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt; et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum, circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.

768. Purgatio passiva partis intellectivæ multo terribilior et horribilior est quam sit purgatio passiva partis sensitivæ, quod colligitur tam ex principio formali quam ex motivo finali utriusque. Ex principio quidem formali, quia purgatio passiva partis sensitivæ habet pro causa formali subtractionem gratiæ sensibilis, ut dictum est: purgatio vero passiva partis intellectivæ habet pro causa formali divinam illuminationem, sive radium divinæ contemplationis infusæ, quæ intima cordis arcana manifestat, et minimos ac leves defectus animæ detegit, ex quo dolor ingens, et angustiæ inexplicabiles, ac sui ipsius odium et horror exsurgunt, et ex nimia contemplationis luce improportionata subjecto propter ejus impuritatem, offuscat intellectum, et palpabilibus tenebris involvit. Item in purgatione passiva sensitivæ partis portio cognoscitiva repletur obscuritatibus, et portio affectiva exsiccatur ariditatibus; in purgatione passiva partis intellectivæ intellectus tenebris obvolvitur, et voluntas angustiis velut confunditur et annihilatur: propterea si prior illa purgatio noctis obscuræ nomen obtinet, hæc posterior noctis nomine tenebrosæ et horridæ merito nuncupabitur; et si in illa admittuntur ordinariæ tenebræ, in ista palpabiles et extraordinariæ dominantur.

769. Causa efficiens est Deus benignus et misericors, qui

purgando suorum electorum animas, ad sui disponit unionem. Beatus Henricus Suson, ex ordine Prædicatorum, § 36, Dei sapientiam et amorem in hac parte expendit dicens: Considerare libet quam suaviter et amorose æterna Sapientia cuncta disponat; dum, quod plurimum sibi nocere plerique angustiis tentationibusque gravissimis pressi arbitrantur, ipsa ad summam eorum utilitatem inflectit: magnam siquidem purgatorii partem illa afflictio tollit, et eam patientibus impendio prodest, atque ingens præmium adducit. Quamvis enim ipsi multorum se criminum reos arbitrentur, sed coram Deo veri magnique martyres sunt, cum nulli dubium sit longe acerbiorem hujusmodi perpetuam afflictionem dolorem infligere quam unius carnificis ictus collo exceptus. Denique passionem hanc magnæ esse dilectionis indicium præsagiumque tam Scripturarum testimoniis quam ipsa veritate probatur, quippe quam et copiosa gratia et multorum secretorum revelatio subsequitur. Debent igitur præfati homines eam non solum patienter, sed et libenter sustinere, certi quod brevis hæc amaritudo et momentaneum tribulationis hujus supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in eis. Et fusius, § 42, æternam Sapientiam sic loquentem inducit: Non recte sapiunt illi qui unquam gravate et cum querimonia quamlibet afflictionem ferunt: omnino enim paterna castigatio et virga mea ex magno amore proficiscitur, et vere suavis ac benigna est, ut non immerito felix ille censendus sit a quo illam nunquam retraxero. Afflictio, inquam, non ex aliqua duritia aut asperitate mea, sed ex amore tenerrimo ac benignissimo trahit originem. Et hoc de qualibet cruce vel tribulatione dictum volo, sive ea ultro suscepta sit, sive nolenti aliunde acciderit, ubi plerumque necessitas mutatur in virtutem: qua tamen cruce is qui eam patitur nolit me invita esse absolutus, quamque amicabili ac humili cum patientia in mei æternam referat laudem.

770. Causa finalis est unio intima cum Deo, ad quam hujusmodi purgatio passiva partis intellectivæ condigne præparat animam et apte disponit; summæ namque puritati divinæ anima propriis imperfectionibus impura convenire non potest, nec nisi purificata et purificatione proportionata valet ei conjungi, et ab aliis omnibus creatis segregari. Nihil enim æque diligit Dominus ac animam humilem, quia respexit humilitatem an-

cillæ suæ, ut ait sanctissima Virgo; et non potest eam non exaltare juxta modum humilitatis, ita quod si ad infimum sui contemptum, et ad abyssum nihilitatis suæ fuerit reducta, ad summam divinæ majestatis unionem exaltabitur, quia, ut docet Dominus in Evangelio, qui se humiliat, exaltabitur. Constat autem quod anima in hac purgatione passiva partis intellectivæ constituta, ex clara suorum defectuum visione sic se despicit et horret, ut summe sit in se ipsa humilis, et velut in odio et horrore sui annihilata. — Ne tamen in desperationem decidat, quasi a Deo penitus despecta, nonnunquam in mediis illis tenebris clara et delectabilis lux irradiat. Quod præclare explicavit Bernardus, serm. XXI in Cantica, exponens illa verba: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Ait enim: Disce per hoc verbum a me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperare: correptionem et consolationem; altera foris exercet, altera visitat intus; illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit; illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur.

ARTICULUS II.

De motivis propter quæ Deus inducit purgationem partis intellectivæ.

771. Multa assignavimus motiva purgationis passivæ partis sensitivæ quæ etiam possunt convenire parti intellectivæ, et ne eadem repetamus, nova adducenda sunt. Primum motivum est ut imperfectiones et defectus tam actuales quam habituales in anima remanentes, quos purgatio partis sensitivæ non potuit eradicare, penitus evacuentur: sciendum namque est quod cum purgatio sensitiva potius ad hoc tendat quod partem sensitivam inferiorem attemperet et adaptet intellectuali parti ejus superiori; ne ejus unioni cum Deo motibus inordinatis resistat, quam quod immediate et directe concurrat ad dictam unionem: inde est quod non debet esse sic efficax in purgando subjecto quantum purgatio partis intellectivæ, quæ directe et immediate ad dictam concurrit unionem; cum sit longe major distantia inter impuritatem animæ et summam Dei puritatem

cui unitur, quam inter sensum et spiritum. Hujusmodi autem defectus habituales sunt ex parte intellectus distractio et evagatio spiritus a Deo ad creaturas. De isto defectu loquitur D. Thomas in IV, dist. 12, qu. 2, art. 1, quæstiunc. 4: Omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem propriæ dispositionis. Sicut autem dispositiones materiales se habent ad perfectionem formæ, ita actus se habent ad perfectionem finis; unde cum hoc sacramentum (loquitur de Eucharistia) perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur. Et ad evacuandas istas distractiones ponitur purgatio passiva partis intellectivæ. Divus Thomas 1 2, q. 33, art. 3, in corpore, dicit quod delectationes corporales impediunt usum rationis ratione distractionis, quia ad ea in quibus delectamur multum attendimus: cum autem intentio fortiter inhæserit alicui rei, debilitatur circa alias res, vel totaliter ab eis revocatur, et secundum hoc si delectatio corporalis fuerit magna, vel totaliter impediet usum rationis, ad se intentionem animi attrahendo, vel multum impediet. De evagatione spiritus a Deo ad creaturas disputat D. Thomas 2 2, q. 35, art. 4, ad 2: (*Quia*) nullus diu potest absque delectatione manere cum tristitia, necesse est quod ex tristitia aliquid dupliciter oriatur: uno modo ut homo recedat a contristantibus, alio modo ut ad alia transeat in quibus delectetur: sicut illi qui non possunt gaudere in spiritualibus, transeunt se ad corporales. Idem dicit D. Thomas, q. 11 de Malo, art. 4: Qui non possunt gaudere de delectationibus spiritualibus, ut plurimum transferunt se ad delectationes corporales, et secundum hoc, ex tristitia quæ concipitur in spiritualibus bonis, sequitur evagatio circa illicita, in quibus animus carnalis delectatur.

772. Defectus habitualis ex parte affectus sunt innatus amor proprius, et nimia ad gustus spirituales adhæsio. De amore proprio loquitur D. Thomas 1 2, q. 77, art. 4, ubi definit quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati. Et q. 84, art. 2, ad 3: In hoc homo se amat quod sui excellentiam vult: idem

enim est se amare quod sibi velle bonum; unde ad idem pertinet quod ponatur initium omnis peccati superbia, vel amor proprius. D. Thomas, 2 2, q. 25, art. 7, ad 1: Amor sui, qui est principium peccati, est ille qui est proprius malorum, perveniens usque ad contemptum Dei: quia mali etiam sic cupiunt exteriora bona, quod spiritualia contemnunt. Nimia adhæsio ad gustus spirituales est defectus habitualis ex parte affectus. Et adhæsio, ex D. Thoma in 3, dist. 26, q. 2, art. 4, est certitudo et firmitas virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile. Et quamvis principaliter et essentialiter sit tantum in cognitione, participative est etiam in aliis. Ad evacuandum istos duos defectus habituales, nimirum amorem proprium, et nimiam adhæsionem ad gustus spirituales, ponitur purgatio passiva partis intellectivæ.

773. Actuales defectus ex parte intellectus sunt decipi frequenter in visionibus et revelationibus, loquutionibus et prophetiis, et vera judicare falsa, et falsa vera. D. Thomas p. p., q. 94, art. 4, in corpore, dicit: Nomine deceptionis duo possunt intelligi: scilicet qualiscumque existimatio levis, qua aliquis adhæret falso tamquam vero sine assensu credulitatis; et iterum firma credulitas. Intellectus circa proprium objectum semper verus est. Unde ex ipso nunquam decipitur, sed omnis deceptio accidit in intellectu ex aliquo inferiori, puta phantasia, vel aliquo hujusmodi. Unde videmus quod quando naturale judicatorium non est ligatum, non decipimur per hujusmodi, sed solum quando ligatur, ut patet in dormientibus. Hæc ille. Multoties decipitur intellectus circa visiones, revelationes, ut dictum est in articulis de visionibus, revelationibus et locutionibus.

774. Defectus actuales ex parte affectus sunt præsumptio, superbia, arrogantia et audacia, procedentes ex abusu divinarum communicationum. D. Thomas 2 2, q. 21, art. 1, in corpore, dixit quod præsumptio videtur importare quamdam immoderantiam spei. Spei autem objectum est bonum arduum, possibile. Possibile autem est aliquid homini dupliciter: uno modo per propriam virtutem; alio modo non nisi per virtutem divinam. Circa utramque autem spem per immoderantiam potest esse præsumptio: nam circa spem per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præsumptio ex hoc quod

aliquis tendit in aliquod bonum ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit, secundum quod dicitur Judith VI: Præsumentes de se humilias. Et talis præsumptio opponitur virtuti magnanimitatis, quæ medium tenet in hujusmodi spe. Circa spem autem, qua aliquis inhæret divinæ potentiæ, potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc quod aliquis tendit in aliquod bonum ut possibile per virtutem et misericordiam divinam, quod possibile non est: sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Hæc autem præsumptio est proprie species peccati in Spiritum Sanctum, quia scilicet per hujusmodi præsumptionem tollitur vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato. Et solutione ad primum dicit quod peccatum quod est contra Deum secundum suum genus est gravius cæteris peccatis. Unde præsumptio qua quis inordinate innititur Deo, gravius peccatum est quam præsumptio qua quis innititur propriæ virtuti. Quod enim aliquis innitatur divinæ virtuti ad consequendum id quod Deo non convenit, hoc est diminuere divinam virtutem. Patet autem quod gravius peccat qui diminuit divinam virtutem, quam qui propriam virtutem superextollit. Præsumptio est defectus actualis ex parte affectus. Ad evacuandum istum defectum ponitur purgatio passiva partis intellectivæ.

775. Superbia est defectus actualis ex parte affectus seu voluntatis. D. Thomas, 1 2, q. 84, art. 2, loquens de superbia dicit quod superbia dicitur tripliciter. Uno modo secundum quod superbia significat inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, et sic est speciale peccatum. Alio modo, secundum quod importat quemdam actualem contemptum Dei quantum ad hunc effectum, qui est non subdi ejus præcepto: et sic dicit quod est generale peccatum. Tertio modo, secundum quod importat quamdam inclinationem ad hujusmodi contemptum ex corruptione naturæ; et sic dicit quod est initium omnis peccati. D. Thomas explicans illud Job XL: Respice cunctos superbos et confunde eos, dicit sic: Sciendum est autem, quod omnis malitia hominum a superbia initium habet, secundum illud Eccli. X: Initium omnis peccati superbia. Inter cuncta etiam vitia Deus maxime superbiam detestatur; unde dicitur Jacob. IV, quod Deus superbis resistit. Et hoc ideo quia superbi quasi

Deo rebellant, dum ei humiliter subdi non volunt, et ex hoc in omnia peccata incidunt, divinis præceptis contemptis. Unde et terreni principes maxime detestantur rebelles. Et ideo Dominus specialiter commemorat effectum suæ potentiæ, quem contra superbos exercet. Est autem duplex genus superborum. Quidam enim ex bonis quæ habent se super alios efferunt, sicut ille qui dicebat, Lucæ XVIII: Non sum sicut cæteri hominum; et hi proprie superbi dicuntur, ut ipsum nomen sonat. Est autem propria superborum pœna, discordia: quia dum quilibet alii superesse nititur et subjici recusat, ad invicem concordare non possunt; unde dicitur Proverb. XIII: Inter superbos semper jurgia sunt; et ad hoc designandum dicit: Disperge superbos in furore tuo: quasi dicat: exerce officium Dei, quod est dispergere, ut in unum convenire non possint. Per furorem autem Dei intelligitur gravis vindicta. Aliud autem genus superborum est qui sibi arrogant id quod supra ipsos est: et hi proprie arrogantes dicuntur; unde dicitur Jerem. XLVIII: Arrogantiam et altitudinem cordis ipsius ego scio, ait Dominus. Horum autem pœna propria est dejectio. Hæc ille. Et quia superbia est defectus actualis ex parte affectus, ad evacuandum istum defectum ponitur purgatio passiva partis intellectivæ.

776. Audacia est defectus actualis ex parte affectus, seu voluntatis. D. Thomas, 2 2, q. 127, art. 1, loquens de audacia dicit: Audacia est quædam passio. Passio autem quandoque quidem moderata est secundum rationem; quandoque autem caret moderatione, vel per excessum vel per defectum: et secundum hoc est passio vitiosa. Sumuntur autem quandoque nomina passionum a superabundanti: sicut ira dicitur non quæcumque, sed superabundans, prout scilicet est vitiosa. Et hoc etiam modo audacia per superabundantiam dicta ponitur esse peccatum. Et solutione ad 2 dicit quod operatio festina commendabilis est post consilium, quod est actus rationis. Sed si quis ante consilium vellet festine agere, non esset hoc laudabile, sed vitiosum. Esset enim quædam præcipitatio actionis, quod est vitium prudentiæ oppositum. Et ideo audacia quæ operatur ad velocitatem operandi intantum laudabilis est, inquantum a ratione ordinatur. Et quia audacia est defectus actualis ex parte affectus, ad evacuandum istum defectum ponitur purgatio passiva partis intellectivæ.

777. Secundum motivum est meritum copiosum, quod ex tribulatione et voluntaria purgationis hujus tolerantia consurgit. Unde Henricus Suson loquentem inducens divinam Sapientiam, sic ait: Si non doleret crux, non posset nomen tueri suum; sicut cruce nihil est molestius, ita nihil jucundius atque optabilius quam crucem pertulisse: crux et afflictio brevis quidem dolor est, sed prolixum gaudium; crux illi per quam dolet cui crux molesta est et invisa: ei vero qui illam fert æquanimiter, hoc præstat crux ut ipsum minime crux excruciet. Certe si tanta jugiter abundares spirituali suavitate, divinaque consolatione, et delectatione, et oblectatione, ut præ cœlesti illo rore perpetuo colliquesceres, ex his omnibus per se consideratis non tantum tibi accresceret meriti, neque pro his tanta tibi a me referenda esset gratia, neque perinde me tibi obligarent, ac quasi debitorem efficerent, ut crux una vel afflictio cum amore tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditate in qua me ex amore sustineas, et citius quidem vel decem everti possent ac excidere in magna voluptate et jucunda suavitate cordis, quam vel unus subruatur continua laborans adversitate et perpessione. Si astronomorum omnium præditus esses scientia, si tam copiose et eleganter posses de Deo dicere ac eloqui quam cunctæ hominum linguæ, non tibi tantum ista conferrent ad vitæ pietatem et sanctitatem, quam si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permitteres et resignares: illa namque bonis malisque communia sunt; hoc vero non nisi electorum est. O si quis justo posset perpendere ac ponderare judicio tempus et æternitatem, mallet ille profecto vel centum annis in ardenti jacere camino, quam vel minima levissimæ afflictionis carere mercede, in cœlis æterno percipienda: illud namque finem tandem habet, istud nullo clauditur termino. Hæc ille.

778. Tertium motivum est spes præmii vitæ æternæ, quod dictam purgationem consequitur. D. Thomas loquens de objecto spei, 2 2, q. 17, art. 7, dicit quod objectum spei est bonum futurum, arduum, possibile haberi. Ad hoc ergo quod aliquis speret, requiritur quod objectum spei proponatur ei ut possibile. Objectum autem spei est uno modo beatitudo æterna, et alio modo divinum auxilium; et gloria animæ est principale objectum, et non gloria corporis, quia est minimum quoddam comparatione ad gloriam animæ. Et est optima consolatio in

purgatione passiva spes salutis æternæ et gloria animæ. D. Bernardus, sermone de Cantico Ezechiæ, dicit: Est bona consolatio de spe salutis æternæ, in quam sublatis peccatis, quæ separabant inter hominem et Deum, per Dei gratiam reviviscit et hilarescit. In quo cum cœperit proficere, hoc est pie vivere, necesse est, teste Scriptura, persecutionem patiatur, ut recens gaudium vertatur in mœrorem, et dulcedo boni vix summis labiis attrectata in amaritudinem commutetur; ita ut libeat dicere: Versa est cithara mea in luctum, et cantatio mea in plorationem. Plorat ergo amarius amissam dulcedinem, quam prius fleverat admissam peccatorum amaritudinem; et hoc tamdiu facit, donec Deo miserante consolatio redit.

779. Quartum motivum est collectio sive aggregatio plurium bonorum, quæ Deus media purgatione passiva, præter dicta causat in anima ista. Et Henricus Suson, § 42, in persona æternæ Sapientiæ, sic enumerat, dicens: Age nunc, arrectis percipe auribus: afflictio quidem mundo huic despectui est, at apud me immensam dignitatem obtinet. Afflictio iram extinguit meam, gratiam meam conciliat et amicitiam, hominemque mihi gratum efficit et amabilem, utpote mihi conformem. Afflictio bonum est occultum quod nemo compensare queat, adeo ut etiam si quis centum annis crucem amicabilem flexis genibus a me precetur, nec sic tamen illam emereri possit. Afflictio hominem ex terrestri cœlestem efficit; afflictio tutissimum atque compendiosissimum iter est. Crede mihi, si quis probe cognitum haberet quanta sit crucis utilitas, haud dubie ceu donum præstantissimum ex Dei manibus eam susciperet. O quam multi erant jam æternæ perditioni addicti, et somnum dormierant sempiternum, quos tamen afflictio restauravit, et excitavit ad meliorem vitam! Afflictio a gravi servat ruina, præstat homini ut sese cognoscat, intra se ipsum se contineat, sibique constet, ac proximis fidem accommodet; conservat animam in humilitate docetque patientiam, tuetur castimoniam, æternæ beatitudinis adfert coronam. Afflictio peccati aufert sarcinam, minuit pœnas purgatorii, pellit tentationes, profligat vitia, spiritum renovat, veram confert fiduciam, mundam conscientiam atque animum stabilem et excelsum. Sicut rosarum eximii flores suavi vernantis maji rore tinguntur, ita animam afflictio vegetat et fœcundat: ipsa animum sapientia imbuit, redditque

hominem exercitatum. Qui afflictiones et tentationes non est expertus, quid, quæso, ille novit? Afflictio virga est amoris plena, et paterna castigatio electorum meorum: afflictio hominem, velit nolit, trahit, urget ad Deum. Patientia in adversis est hostia viva et odor suavissimus præcellentis balsami in conspectu divinæ majestatis meæ; totam cœlestis exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit.

780. D. Thomas super caput VII Job dicit: Notandum est quod Job in verbis hujus capitis tres rationes tetigit quare aliquis in hac vita flagellatur a Deo. Prima est ut cohibeatur ejus malitia, ne aliis posset nocere, et hanc rationem tangit cum dicit: Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Secunda, ut habeatur hominis experientia, ut scilicet virtus ejus manifestetur; et hanc tetigit cum dixit: Visitas eum diluculo et subito probas illum. Tertia est in pœnam peccatorum, et hanc tetigit cum dicit: Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum? D. Thomas super Psal. XL, in illa verba: Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, dicit sic: Ex primis verbis posset aliquis colligere quod misericors nullo modo affligeretur. Et ad hoc excludendum dicit quod quandoque lectus ejus repletur doloribus, et hoc fit ipsi misericordi. Aliquando ad correctionem. Job XXXIII: Increpat quandoque ad dolorem in lectulo. Vel ad humiliationem, sicut Paulo datus est stimulus carnis, II. Corinth. XII. Vel ad probationem. Et ideo dicit: Dominus opem ferat illi, idest misericordi existenti in tribulatione super lectum.— D. Thomas in cap. IV Job, lect. 1, in fine dicit: Multiplici autem virtute aliquis in tribulationibus confirmatur, ne deficiat. Primo quidem per reverentiam divinam, dum homines considerant mala quæ patiuntur ex divina providentia provenisse, sicut et Job supra dixerat: Sicut Domino placuit, ita et factum est; et ad hoc excludendum dicit: " Ubi est timor tuus? „ quo scilicet Deum revereri videbaris. Secundo, aliqui conservantur in animi firmitate: quæ quidem duos gradus habet. In quibusdam tanta est animi firmitas, ut eorum animus adversitatibus non nimium molestetur: et hoc ad fortitudinem pertinere videtur; unde dicit: " Ubi est fortitudo tua? „ Nec accipitur hic fortitudo secundum quod conservat hominem ne succumbat timori, sed ut non dejiciatur. Quidam vero gravem tristitiæ passionem ex adversitate patiun-

tur, sed ab ea per rationem bene dispositam non abducuntur; et hoc videtur ad patientiam pertinere: ut talis sit differentia inter patientiam et fortitudinem, qualem assignant Philosophi inter continentiam et castitatem; et ideo adjungit: " Patientia tua. „ Tertio vero conservantur aliqui ex amore honestæ actionis, et ex eo quod horrent turpiter agere: qui, etsi interius conturbentur in adversitatibus, tamen nec verbo, nec facto in aliquid indecens prorumpunt; et propter hoc addit: " Et perfectio viarum tuarum; „ per viam enim actiones intelliguntur quibus quasi quibusdam viis pervenitur ad finem; vel per viam possunt intelligi excogitata consilia quibus aliquis se evadere confidit, unde adversitates facilius tolerantur.

ARTICULUS III.

De effectibus purgationis passivæ partis intellectivæ.

781. Primus igitur effectus sive fructus hujus purgationis est clara sui cognitio, cum humilitate et maxima afflictione. Cujus ratio est, quia lux contemplationis infusæ, quæ est principium hujus purgationis, ex divina dispositione pervadit omnia conscientiæ propriæ secreta, et omnes maculas et atomos quarumcumque imperfectionum, alias latentes, manifestat: ex qua manifestatione tot propriorum defectuum sequitur cognitio, quod anima se ipsam sic impuram et miseram contemplando, vilissimam et abjectissimam de se ipsa habeat æstimationem. — Quod autem prædictam cognitionem concomitetur afflictio, ex diverso procedit principio. Primo quidem, quia generaliter loquendo propriorum defectuum cognitio plurimum est afflictiva: sicut enim est connaturale cuilibet rei propriam appetere perfectionem, sic connaturale est naturæ cognoscitivæ, de propria dolere imperfectione cognita. Secundo, quia lux purissima contemplationis infusæ, quæ est principium hujus purgationis, est improportionata debilitati et impuritati naturæ corruptæ, et se habet sicut lux solis in se ipso maxime visibilis respectu visus hominis, vel sicut lux aeris intensa respectu visus debilis, puta hominis infirmi: quæ in utroque casu propter excessum affligit potentiam, donec roboretur et ei proportionetur; sic se habet in præsenti casu lux illa spiritualis, quæ naturæ penitus im-

puræ communicata plurimum illam affligit, cum tamen postea purificatam recreet. Lux ista ex divina dispositione se habet sicut ignis purgatorii, qui virtute divina elevatus purgat affligendo spiritualem animam. Ut, dicit D. Thomas in 4, dist. 44, q. 2, art. 2, ignis corporeus, inquantum est instrumentum divinæ virtutis vindicantis, potest agere in animas: sic similiter ipsa lux animas impuras purgat tunc affligendo, quæ postea purificatas purgabit recreando.

782. Secundus effectus est omnimoda defectuum evacuatio et perfecta virtutum acquisitio. Cum enim hujusmodi purgatio ad intimam cum Deo unionem ordinetur, debet removere a subjecto dispositiones tali unioni repugnantes et contrarias, simulque proportionatas et conducentes inducere; si enim hoc requiritur in agentibus naturalibus, quod a subjectis removeant dispositiones formis introducendis contrarias, et simul causent tam prævie quam simultanee dispositiones prædictis formis convenientes; debet etiam in agentibus supernaturalibus admitti, quia gratia non destruit, sed perficit naturam: et hoc saltem est necessarium ad connaturalem et suavem formarum tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ introductionem. Constat autem quod defectus morales divinæ unioni contrariantur, virtutes autem ad illam disponunt: et consequenter per hanc purgationem passivam partis intellectivæ, unionis animæ cum Deo effectricem, debent omnes defectus morales ab anima totaliter evacuari, et simul omnes perfectiones virtutum in ea causari. Hoc autem accidit concurrente subjecto, tam physice, quam moraliter: physice quidem, per suos actus intensissimos, qui cognitorum tunc clare defectuum horrorem et aversionem, et virtutum illis contrariarum amorem et desiderium causant; moraliter autem, per meritum in illis angustiis acquisitum, per quod divinam flectit misericordiam, ut se ipsum illis defectibus emundet, et contrariis virtutibus illustret. Unde dicitur Eccli. xi, quod facile est in oculis Dei subito honestare pauperem, et quod benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. Unde ipsemet purgatur quasi se ipsum non cognoscens, quia expoliavit se veterem hominem cum actibus suis, et induit novum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum, (*et*) attonitus exclamat: Hæc mutatio dexteræ excelsi.

783. D. Thomas explicans illud D. Pauli ad Ephes. IV: Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, dicit sic: Tria sunt consideranda. Primo quid intelligatur per veterem hominem. Dicunt aliqui, quod hic homo vetus exterior, novus vero dicitur interior. Sed dicendum est quod homo vetus dicitur tam interior quam exterior, qui subjicitur vetustati quantum ad animam per peccatum, et quantum ad corpus quia membra corporis sunt arma peccati. Et sic subjectus homo peccato secundum animam et corpus, dicitur vetus homo, secundum quod illa vetusta sunt quæ sunt in via corruptionis, vel in ipso corrumpi, quia quod antiquatur et senescit, prope interitum est: ut dicitur ad Hebr. VIII. Et sic homo subjectus peccato dicitur vetus, quia est in via corruptionis. Nam unumquodque corrumpitur, cum recedit ab origine suæ naturæ. Natura autem hominis est ut desiderium ejus tendat ad id quod est secundum rationem. Perfectio autem et bonum rationis est veritas. Quando ergo ratio tendit ad errorem, et desiderium ex hoc errore corrumpitur, tunc vetus homo dicitur. " Renovamini spiritu, „ idest Spiritu Sancto. I. Corinth. III: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Item spiritus rationalis; Galat. V: Caro concupiscit adversus spiritum. Item spiritus phantasticus; Oseæ IX: Scitote, Israel, stultum Prophetam, insanum virum spiritualem, idest phantasticum. " Renovamini „ Spiritu Sancto; " renovamini „ spiritu rationali, idest spiritu mentis vestræ. Et ideo oportet renovari nos in præsenti secundum animam. " Et induite novum hominem; „ sicut uniuscujusque rei primum vetustatis principium fuit Adam, per quem peccatum in omnes intravit, ita principium primum novitatis et renovationis Christus est. Quæ autem sit renovatio ostendit, cum dicit, " qui secundum Deum creatus est. „ Hoc autem potest intelligi dupliciter. Uno modo sic ut ly qui referatur ad spiritum, idest: spiritus, qui est mens nostra, creatus est a Deo, scilicet in originali justitia, scilicet in sui novitate; vel recreatus nova creatione, ut esset justus. Vel ly qui potest referri ad novum hominem, scilicet Christum. Et tunc construetur sic: " Qui creatus est „ idest formatus in utero Virginis secundum Deum, idest non semine humano, sed Spiritu Sancto; vel creatus est secundum

esse gratiæ et plenitudinis, et hoc in justitia et sanctitate. Hæc ille. Sic evacuatur vetus homo in ista purgatione passiva partis intellectivæ, et renovatur in gratia et in virtutibus.

784. Tertius effectus est continua Dei memoria sive præsentia; cognitio namque sui et propriæ miseriæ perpetua, in hoc statu contemplationis, perfectam causat Dei notitiam. Miseria siquidem humana divinam reclamat misericordiam: et merito Deus animam inanem et vacuam rerum omnium creatarum imaginibus propria sui ipsius cognitione replet; si enim non datur vacuum in ordine naturæ, sic nec in ordine gratiæ: unde necesse est quod si Deus per hanc purgationem, animam cognitione et affectu rerum creatarum evacuat, simul illam sui cognitione et amore divino repleat, ut habeat perpetue præsentiam Dei quæ est effectus hujus purgationis passivæ. D. Thomas explicans illud I. Corinth. III: Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis: Loquitur, inquit sanctus, cum anima sancta quæ est templum Dei: et sola inhabitatio Dei templum Dei facit. Et quamvis Deus sit in omnibus creaturis. in quibus est per essentiam, potentiam et præsentiam, impiens omnia bonitatibus suis, secundum illud Jerem. XXIII: Cœlum et terram ego impleo; sed spiritualiter dicitur Deus habitare, tamquam in familiari domo, in sanctis, quorum mens capax est Dei per cognitionem et amorem, et anima sancta tamquam effectum purgationis passivæ habet cogitare se esse templum Dei, et habere illum perpetuo præsentem. Dicit D. Thomas opusc. 58, cap. 2: Si Dominum præsentem et omnia videntem et judicantem semper cogitemus, aut vix, aut numquam peccaremus. Si non peccaremus, bene utique operaremur, vitia destrueremus, quoniam studio bonorum operum ipsa succumbunt.

785. Quartus effectus est ardens quidam amor Dei, et multo major illo qui in purgatione passiva partis sensitivæ vigebat: postquam enim lux illa divinitus infusa contemplativam animam investiendo tenebris obvolvit, et impuritatibus emundavit, positis tandem ultimis dispositionibus, per prædictam cognitionem Dei generalem et obscuram de ejus divinis perfectionibus, affectum illius erga ipsum Deum inflammat; et sic divino amore ferventissimo, potius afflictivo (propter annexam propriorum defectuum intuitivam notitiam, et timorem damnationis, et æternæ a Deo separationis, quam se prædictis defectibus videt

meruisse) quam fruitivo tota medullitus ardet: eo prorsus modo quo lignum (ut in eadem comparatione persistamus) postquam flamma ignis, ob suam crassitiem et impuritatem fuit obscuratum, et ejus activitate quodammodo afflictum, ut ex ejus resistentis crepitu et quibusdam humoris expressi lacrymis percipitur, tandem siccitate, calore et raritate dispositum, totum ardet et in ignem transmutatur. Cum igitur anima contemplativa in hac purgatione constituta, non tam propria industria fervorem charitatis excitet in se ipsa, quam excitatum illum amoroso consensu patiatur, inde est quod talis fervor sit multo major et vehementior, et quod ipsa illo succensa ferventius ardeat, remotis jam terrenis affectibus per hanc purgationem, qui talem charitatis fervorem impediebant: per hoc enim quod luce contemplationis illustrata de omnibus rebus juxta proprium earum meritum recte judicat, cætera præter Deum despicit, in quibus manifestam advertit vanitatem cum Ecclesiaste dicente: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; se ipsam autem odio et horrore prosequitur, cum se tot miseriis et impuritatibus plenam intuetur: et sic totam se in Deo diligendo colligit, et ipsum tota virtute simul unita fortiter, sed nondum suaviter amat; et dicit illud Psal. XVII: Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

786. Audite D. Thomam in expositione horum verborum: " Diligam te, „ quia in te manebo. Joan. XIV: Manete in dilectione. Rom. VIII: Certus sum quia neque vita, neque mors, neque Angeli, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Christi. Quando quis reputat bonum suum dependere ab aliquo, hæc est ratio quare diligat eum. David reputabat totum bonum suum esse a Deo. Unde dicit: Diligam te; quia tu es " Fortitudo mea. „ Fortitudo habet firmare animum, ne quis recedat a bono propter difficultates imminentes. Homo indiget fortitudine ad duo. Primo in bonis, ut stabiliatur in eis; et ideo dicit: " Dominus firmamentum, „ idest firmum fundamentum. II. Reg. XXII: Dominus petra mea. — Item in malis, et hoc ad duo. Uno modo antequam adveniant, ut fugiat. Unde dicit: " Refugium meum. „ Proverb. XIV: Turris for-

tissima nomen Domini. Alio modo, postquam evenerint, ut liberet. Unde dicit: " Et liberator meus. „ Objectum spei est bonum arduum futurum, possibile adipisci. Sicut ergo quis amat propter bonum jam datum, ita sperat futurum ex fiducia ex amore concepta, et ex similibus inquantum credit similia in futurum recipere. Dicit ergo: " Deus meus, adjutor meus. „ Psal. XCIII: Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Et ideo sperabo in eum; speramus liberari a malis, quibus nondum subjecti sumus, quia defendit nos: primo, ne lædamur; secundo, quod ea vincamus, et pro victoria coronat. Quantum ad primum dicit: " Protector meus. „ Hieronymus habet: " Scutum, „ quod protegit ne transfigi possit a malis. Sic facit Deus. Psal. LXIII: Protexisti me, Deus, a conventu malignantium. Quantum ad secundum dicit: " Et cornu salutis, „ quia animalia cornu impingunt; ita virtus Dei contra adversarios resistit. Psal. XLIII: In te inimicos nostros ventilabimus cornu: et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. " Et susceptor meus. „ Quando quis vincit, suscipitur cum triumpho. Sic etiam facit Deus. Joan. XIV: Iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis. Psal. LXXII: Cum gloria suscepisti me. Laudans invocabo Dominum. Ex hoc laudem propriam non habeo: sed quæro tuam, quia tu fecisti. " Et invocabo te, „ secure cum efficacia. Hæc ille. Omnia (*ista*) dicuntur ab anima in hac purgatione.

787. Quintus effectus est colligere animam in se ipsa, et ipsam fortificare, et quietam reddere. Quod hæc nox purgationis intellectivæ colligat animam in se ipsa, constat ex dictis: quia ex una parte vanitatem et pericula manifestat, quæ in rerum temporalium sequela reperiuntur; ex alia vero parte propriæ conscientiæ secretiora detegit arcana; unde ipsam movendo ab externis segregat, et in sui consideratione penitus occupat: unde verificatur de ea illud Oseæ: Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus; et etiam ut ibi ab hostium insidiis secura permaneat; unde dicitur Cant. III: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Quod hæc nox purgationis intellectivæ fortificet et roboret animam, constat ex eo quod in mediis illis tenebris et angustiis minimis etiam imperfe-

ctionibus resistit, et in tali est deliberatione, quod potius millies moreretur, quam Deum offenderet; unde non solum a Deo roboratur, ut patienter hujus purgationis angustias toleret, sed etiam ut in amore Domini contra dæmonum insultus et tentationes perseveret. Denique hæc nox purgationis intellectivæ pacificat et quietam reddit animam in se ipsa, quia per illam tolluntur et eradicantur vitia, defectus evacuantur, et passiones inordinatæ refrænantur, quæ sola possunt animam in se ipsa turbare.

ARTICULUS IV.

De signis demonstrantibus purgationem passivam partis intellectivæ.

788. Philosophi communiter dicunt quod effectus sunt signa suæ causæ, et propterea constituunt demonstrationem quia, sive a posteriori, procedentem ab effectibus ad causas. Sed hoc diversimode intelligitur: nam quidam effectus sunt qui demonstrant perfecte non solum quod causa sit, sed etiam quid sit; et hi debent esse effectus adæquati causæ, totam ejus virtutem et perfectionem specificam participantes: cum enim nemo det quod non habet, et unumquodque operetur inquantum est in actu, in talibus effectibus et virtus et perfectio saltem specifica causæ perfectæ relucet, et sic per illos cognoscitur quid sit causa; quod etiam per illos cognoscatur quod causa sit, ex eo constat quod operari sequitur esse; et cum causa sit operata hujusmodi effectus, necesse est quod sit, vel fuerit præcedens suos effectus: et tales effectus univoci dicuntur et causa dicitur univoca. — Alii sunt effectus qui demonstrant quidem perfecte quod causa sit, sed non quid sit, quia non sunt similes in ratione specifica: unde non exprimunt perfectionem specificam causæ, sed ad summum rationem aliquam genericam aut analogam. — Alii sunt effectus qui non sunt proprii, sed communes, idest sic procedunt ab una causa quod possunt procedere ab alia: et hi non demonstrant quid causa sit, nec quod hæc in particulari sit. — Alii denique sunt effectus, qui quamvis sunt proprii alicujus causæ particularis, non tamen apparent, sed latent: et hi nullo modo possunt adducere in cognitionem

causæ, nec quid sit, nec quod sit. Hæc desumpta sunt a Divo Thoma ex pluribus locis suorum operum, quia de hac materia disputat in pluribus locis.

789. Doctrina præcedens applicatur præsenti materiæ. Quamvis purgatio passiva partis intellectivæ plures habeat effectus, ut dictum est, non tamen omnes in particulari sunt signa ejus demonstrativa, etiam tantum quod sit: quia plures nos latent, plures vero sunt effectus communes, qui et ab ipsa purgatione et ab alia causa procedere possunt: hæ namque angustiæ spiritus, quas articulo præcedenti in primum effectum hujus purgationis constituimus, sic possunt a Deo misericorditer purgante procedere, quod etiam possint ab ipso juste peccatum aliquod de novo, sed secrete commissum puniente causari: circa quod anima in hac purgatione constituta plurimum hæret, desudat et confusa tabescit mœrore; si enim sciret hanc purgationem a Deo sibi placato et propitio exhiberi in bonum divinæ unionis, plurimum lætaretur; sed quia timet esse pœnam peccatorum, et tamquam supplicium illi debitum infligi, maxime tristatur. Unde in præsenti quædam signa, et (*quidem*) infallibilia proponentur, quæ saltem simul sumpta demonstrabunt animabus, quando misericorditer in ordine ad divinam unionem hac purgatione passiva partis intellectivæ purificantur ac debite disponuntur.

790. Purgatio hæc passiva partis intellectivæ dupliciter sumitur, scilicet active ex parte Dei purgantis animam, et in hac acceptione formaliter importat divinam operationem, sive activam lucis supernaturalis infusionem, quæ proprios animæ manifestat defectus, illorum causat horrorem afflictivum et emundationem, et sic horror, afflictio et emundatio non sunt formaliter ipsa purgatio, sed tantum consequenter, sive effectus illius; vel sumitur passive ex parte animæ purgatæ per infusionem lucis supernaturalis proprios ei defectus manifestantis, ac inde horrorem afflictivum et mille angustias causantis: et in hac acceptione purgatio hujusmodi formaliter importat passionem hujus horroris afflictivi et angustiarum. Purgatio hæc passiva partis intellectivæ tam active quam passive sumpta vel est simplex et pura, vel est pœnalis: dicitur simplex et pura, quando non est pœna peccatorum, sed ut dispositio ad unionem divinam prærequisita exercetur, quamvis omnium peccatorum

et imperfectionum maculæ detergantur; dicitur vero pœnalis, quando in pœnam peccatorum a Deo primario causatur, quamvis eumdem purificandi habeat effectum. Non est dubium, quin omnes effectus purgationis intellectivæ supra numerati sint infallibilia et demonstrativa ejus signa, si purgatio in sua sumatur generalitate, prout abstrahit a simplici et pœnali, sed in præsenti ad majorem animæ consolationem infallibilia et demonstrativa purgationis puræ et simplicis apponentur signa, ut sciat se pure in bonum et non in pœnam exerceri, non ut ream, sed ut amicam in ordine ad divinam unionem.

791. Primum ergo signum purgationis intellectivæ puræ et simplicis est, quod anima ex una parte nihil sibi sit conscia, quantum attinet ad peccata de novo commissa, vel ad graves aliquas imperfectiones; et quod ex alia parte de statu deliciarum et suavitatis spiritualis, quam abunde participabat, ad cumulum angustiarum, ariditatis, tenebrarum et umbræ mortis statim se videat devolutam, et quodammodo in horroribus et pœnis purgatorii et velut inferni consepultam intueatur: quamvis enim præ spiritus angustia bonum simplicis et puræ purgationis ipsa ex se sola non percipiat; directoris tamen docti et experti (quo maxime tunc indiget) magisterio percipiet, si ei clare et efficaciter proponat; nullus perit nec peccat, nisi sciens et volens: unde debet in Domino confidere quod nullo sit vulnerata peccato, si nullius peccati recenter commissi sibi conscia sit.

792. Secundum signum est quod anima diutius a plene deliberatis peccatis, etiam minimis, abstineat, et nullam habeat ad exteriora propensionem, sed tantum continuam cum lacrymis et amaritudine suarum miseriarum intuitivam cognitionem, et ardens perfectionis desiderium: ex primo namque facile concluditur quod talis anima nullum de novo peccatum commisit, quo divina gratia vel charitatis amicitia fuerit privata; nam ex D. Thoma moraliter est impossibile quod qui divina privatus est gratia, et charitate non continetur, ut diutius absque casu in peccatum persistat: quia ex una parte non habet affectum ordinatum per gratiam et charitatem circa Deum, et ex alia parte peccato præcedente viam ad aliud aperuit: et aliunde si inordinato affectu alicui creaturæ per peccatum adhæsisset, inclinationem ad illam et ad exteriora propensionem

experiretur. Ex secundo autem concluditur quod hæc purgatio est viri sancti et perfecti, et non peccatoris.

793. Tertium signum est continua Dei contemplatio, et summa ejusdem dilectio: in mediis namque purgationis hujus tenebris anima in generali et confusa Dei cognitione continuo manet, et ardenti quamvis afflictivo charitatis igne fervet: quæ duo demonstrant necessario ipsam animam nulli creaturæ paulo ante adhæsisse inordinato cordis affectu, propter quem hic crucietur; sed in Dei perseverasse amore et cognitione, cum ejus amorem in mediis afflictionibus cum sui ipsius odio, et ejus cognitionem in mediis tenebris cum sui ipsius horrore conservet; unde dicitur Psal. XXXVIII: Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est; concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Dicit D. Thomas explicans ultima verba: " Concaluit cor meum intra me; „ idest concitatus est calor charitatis in corde meo. Proverb. VI: Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Sic impossibile est quod homo abscondat verba Dei, cum inflammatur cor charitate. Psal. CXVIII: Ignitum eloquium tuum, etc. Causa autem hujus concitationis est meditatio de divinis. Unde dicit: " Et in meditatione mea exardescet ignis. „ Nihil amatur nisi bonum et pulchrum. Unde in exterioribus amatoribus visio corporalis est causa amoris. Et ideo si vis accedere ad spiritualia, oportet quod accendatur cor tuum amore Dei. Licet autem in principio hujus purgationis amor Dei vix percipiatur, propter confusionem intellectus et ariditatem voluntatis: unde exiguus formaliter judicari potest, quamvis virtualiter et appretiative maximus debeat judicari, sic eo anima erga Deum afficitur, quod millies mortem durissimam pateretur, potius quam eum vel leviter sciens et volens offenderet; et major et gravior ejus afflictio in hoc sita est quod timet se Deum offendisse, et a gratia sive divina amicitia excidisse; omnesque quas patitur angustias despiceret, si se propter ipsum Deum eas pati judicaret: nullum timeret periculum, nullum vitaret laborem, nulla formidaret tormenta, ipsamque mortem pati suave et gloriosum crederet, ut Deo summe dilecto posset in aliquo deservire: tunc enim labores quietem, dolorem delicias, et contemptum esse gloriam arbitraretur.

ARTICULUS V.

Quomodo se gerere debeant qui purgatione passiva partis intellectivæ exercentur.

794. Documenta circa modum procedendi in purgatione passiva partis sensitivæ etiam pro hac purgatione passiva partis intellectivæ valde sunt utilia, et multo magis necessaria. Primum documentum pro hac purgatione est: supposita conformitate voluntatis nostræ cum divina, ipsum Deum humiliter, et cum fiducia filiali de paterno ejus auxilio impetrando, et perseveranter invocare debemus. Nec cessandum est, quamvis preces nostræ videantur exosæ Deo, et ipse tunc appareat judex implacabilis puniens peccata. Debet dicere cum Psalmista: O Domine, libera animam meam; misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. Vel cum eodem, Psalm. XXII: Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Audite D. Thomam: Tamquam dux et protector, et sic securus ero. Umbra mortis dicitur præsens tribulatio, et tribulatio est quasi mortis indicium. " In medio, „ idest in intimo sive vehementia tribulationis. Vel umbra mortis dicitur præsens vita caligine peccatorum obscura. Job III: Occupet eum caligo. Dicitur autem umbra mortis quæ non infert malum Deo præsente; Job XVII: Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me; Isaiæ XLIII: Cum transieris per aquas, tecum ero ne flumina operiant te; cum ambulaveris in igne non combureris. " Virga tua et baculus tuus, „ directio viæ; Psal. XLIV: Virga directionis virga regni tui: et baculus sustentationis. " Ipsa me consolata sunt, „ idest dederunt mihi consolationem in via; II. Cor. I: Deus totius consolationis, qui consolatur nos. Vel aliter: mitis et dura correctio tua dedit mihi consolationem. Hæc ille.

795. Secundum documentum est ut qui in hujusmodi purgatione exercetur, sibi persuadeat honestum et gloriosum esse in hac mortali vita tentationibus et angustiis affligi: imo esse signum distinctivum filiorum Dei, ad æternam beatitudinem

electorum, a reprobis filiis dæmonum. D. Thomas explicans illud D. Pauli, II. Cor. IV: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, dicit sic: Ostendit eorum patientiam in his quæ patiuntur. Et primo, ostendit mala quæ patiuntur in generali, secundo enumerat in speciali: " Aporiamur, sed non destituimur. „ Vere habemus hunc thesaurum in vasis fictilibus: quia " In omnibus tribulationem patimur, „ quasi dicat: Nullus modus tribulandi deest nobis. Actor. XIV: Per multas tribulationes. Nec mirum, quia, ut dicitur Lucæ ultimo, oportuit Christum pati, et sic intrare, etc. Et licet sic tribulemur, non tamen angustiamur. Homines, qui solum in mundo confidunt, angustiantur: sed nobis, licet tribulemur in mundo, quia tamen confidimus de Deo, et speramus in Christo, patet via auxilii a Deo, et ideo non angustiamur. " Aporiamur, „ idest depauperamur. Adeo pauperes sumus, ut necessaria desint. " Sed non destituimur „ a Deo, qui est thesaurus noster. Unde homines, qui sine Dei auxilio et spe sunt, si carent divitiis, destituuntur: sed qui solum de Deo confidunt, et sperant, quantumcumque aporiantur, non destituuntur. " Persecutionem patimur „ de loco ad locum, " Sed non derelinquimur „ a Deo, quin præbeat auxilium. Hebr. ultimo: Non te deseram. " Humiliamur, „ idest contemnimur, et pro nihilo reputamur; " sed non confundimur. „ Quasi dicat: Quia non subest causa, non curamus. Psal. XXX: In te, Domine, speravi, non confundar, etc. " Dejicimur „ ad mortis pericula, " Sed non perimus, „ idest a bono non cessamus, vel non perimus, quia Deus sustentat nos. " Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes. „ In Christo talis fuit processus. Nam a principio suæ conceptionis carnem habens passibilem, et passus, et mortuus fuit: sed tamen interius vivebat spirituali vita. Post resurrectionem vero illa spiritualis et gloriosa vita usque ad corpus derivata est, et factum est corpus gloriosum et immortale. " Mortificationem Jesu, „ idest propter Jesum, vel ad similitudinem mortis Jesu, quia propter veritatem passi sumus, sicut et Jesus. " In corpore nostro „ non solum

in mente; Psal. XLIII: Propter te mortificamur tota die. " Ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, „ idest quæ latet nunc in corde nostro, in corporibus nostris manifestetur, quando scilicet reformabit corpus humilitatis nostræ. Hæc ille. Ex quibus omnibus constat quam honestum et gloriosum, quamque proprium filiorum Dei (*sit*) in hac mortali vita angustiis affligi.

796. Tertium documentum est adhuc magis efficax: non quidem secundum se, sed tantum supposito amore concupiscentiæ, quo Deo propter retributionem deservimus, antequam perfecte per hanc purgationem ab imperfectionibus purificati ad divinum obsequium ex puro amore amicitiæ, sive ex solo placendi divinæ majestati motivo sublevemur. Unde qui propriæ vacat utilitati, et suæ salvationi invigilat, non tristetur, sed potius gaudeat, cum se in hujus purgationis pressura constitutum videbit. Et sciat quod regnum cœlorum, et æterna gloria, cum sit bonum summum, ex divina ordinatione difficulter acquiritur, ita ut non possit possideri, si triplici titulo non habeatur, scilicet hæreditate, emptione, et violentia virtutis: cum enim regnum cœlorum non gratis, sed juste per modum præmii et coronæ justitiæ a Domino traditur, ut ait Apostolus, non habetur titulo puræ donationis. Quod regnum cœlorum hæreditate possideatur docet Apostolus, ad Rom. VIII: Si filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Audite mirabilem doctrinam D. Thomæ in expositione horum verborum. Dicit Sanctus: Ponit majorem; et primo ostendit quod filiis debetur hæreditas, dicens: Si autem aliqui filii per Spiritum sunt, sequitur etiam quod sint hæredes, quia non solum filio naturali, sed etiam adoptivo debetur hæreditas. I. Petri I: Regeneravit nos in spem vivam in hæreditatem, etc. Psal. XV: Hæreditas mea præclara est mihi. — Secundo ostendit quid sit ista hæreditas. Et primo describit eam quantum ad Deum Patrem dicens: " Hæredes quidem Dei. „ Dicitur autem aliquis hæres alicujus existere, qui principalia ejus bona percipit seu adipiscitur, non autem qui aliqua munuscula recipit, sicut legitur Genesis XXV, quod Abraham dedit cuncta quæ possedit Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera. Bonum autem principale quo Deus dives est, est ipsemet. Est enim dives per se ipsum, et non per aliquid aliud, quia extrinsecc-

rum bonorum non indiget, ut dicitur in Psal. XV: Unde ipsum Deum adipiscuntur filii Dei pro hæreditate. Ps. XV: Dominus pars hæreditatis meæ. Thren. III: Pars mea Dominus, dicit anima mea. Sed cum filius hæreditatem non adipiscatur, nisi patre defuncto, videtur quod homo non potest esse hæres Dei, qui numquam decedit.

797. Dicendum est autem, dicit Sanctus, quod illud habet locum in bonis temporalibus quæ simul a multis possideri non possunt, et ideo necesse est unum decedere, ut alius succedat. Sed bona spiritualia simul a multis haberi possunt, et ideo non oportet patrem decedere, ut filii sint hæredes. Potest tamen dici quod Deus decedit nobis, inquantum est in nobis per fidem, erit autem nostra hæreditas inquantum videbimus eum per speciem. — Secundo describit hanc hæreditatem ex parte Christi, dicens: " Cohæredes autem Christi, „ quia ipse cum sit principalis filius, a quo nos filiationem participamus, ita est principalis hæres, cui in hæreditate conjungimur. Matth. XXII: Hic est hæres. — Deinde cum dicit: " Si tamen compatimur, „ ostendit et causam dilectionis hujus vitæ gloriosæ. Et primo ponit causam ex parte passionum; secundo ponit præeminentiam gloriæ ad passionem. " Existimo enim. „ Christus qui est principalis hæres ad hæreditatem gloriæ pervenit per passionem; Luc. ultimo: Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam? non autem nos faciliori modo debemus hæreditatem adipisci. Et ideo nos etiam oportet per passionem ad illam hæreditatem pervenire. Act. XIV: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Non enim statim immortale, et impassibile corpus accipimus, ut simul cum Christo pati possimus. Unde dicit: " Si tamen compatimur, „ idest simul cum Christo patienter sustinemus tribulationes hujus mundi. Hæc ille.

798. Quod regnum cœlorum emptione possideatur, probatur a D. Thoma duplici parabola, quæ referuntur a S. Matth., cap. IV: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, etc. Et emit agrum illum. Hoc est: vel bonam societatem sibi acquirit, vel emit sibi otium quod non habet, scilicet pacem spiritualem. Ad Philipp. III: Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Cant. VIII: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet

eam. Idem probat in alia parabola quæ sequitur in eodem Evangelista: Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendit omnia quæ habuit, et emit eam. D. Augustinus libro De spiritu, et anima, dicit: Ecce venale est regnum Dei: eme si vis, nec multum existimes de re magna propter pretii magnitudinem, tantum valet quantum habes; noli quærere quid habeas, sed qualis sis: res ista valet tantum quantum et tu; te da et habebis illam. Sed malus sum, inquies, et forte me non accipiet! Dando te illi bonus eris.

799. Regnum cœlorum virtutis violentia possidetur, docet Christus Dominus Matthæi XI: A tempore Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Quod exponens D. Thomas, dicit: Scitis quia in raptu quædam violentia est, et quidam conatus; unde oportet quod peccator ad hoc quod possit venire ad regnum cœlorum assurgat ad spiritualia, et conetur multum. Et D. Hieronymus in quadam epistola ait: Grandis violentia est generatos in terra cœlum quærere, et possidere per gratiam, quod non tenemus per naturam. Quomodo autem exercitatur hæc violentia, nisi in tribulationibus, et angustiis hujus purgationis intellectivæ? Audi sanctum Gregorium in quadam homilia dicentem: Regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Prædicta omnia confirmantur doctrina Christi Domini, qui prædicans beatitudines, sive media quibus solis ad beatitudinem pervenitur, illa constituit in tribulationibus et angustiis, videlicet in paupertate spiritus, in fame, et siti, in fletibus, in persecutionum tolerantia, in pacifica mansuetudine, et in aliis purgationis hujus exercitiis.

800. Joannes Taulerius eos qui hoc modo purgantur sic instruit et consolatur: Plerique, ait, aliqua molestia gravati ita mihi dicere consueverunt: Pater, male mecum agitur; diversis enim afflictionibus, multoque mœrore conturbor. Et ego recte cum eis agi pronuntio. Tum illi: Non, ajunt, Domini, sed mea culpa id actum. Ad quod rursus ego: Sive tua culpa id actum sit, sive non, crede ipsam afflictionis crucem a Deo tibi impositam, eidemque gratias agens sustine, et resigna te ipsum. Rursus illi: Sed magna intus ariditate obscuritateque contabesco. Quibus ego: Feras, ajo, dilecte fili, patienter, et melius te-

eum agetur, quam si in magna multaque sensibili devotione versareris. Et alibi sic ait: In gravissima illa pressura et tenebrosa desolatione homine constituto, pressuræ omnes, miseriæ, calamitates, quas jam pridem evicerat et superarat, iterum in eo consurgunt, denuo impugnant, totoque impetu navem illius magna cum tempestate concutiunt, et fluctibus suis impetunt exagitantque. Sed, obsecro, quicumque hæc sentis, noli timere dejici: modo navicula tua probe anchoræ fixa sit, venti ei et fluctus obesse non poterunt; ad mentem tibi veniat, quod Job ait: Post tenebras spero lucem.

ARTICULUS VI.

Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione contra fidem, et timore reprobationis, atque tentatione desperationis.

801. Fides est quoddam lumen supernaturale divinitus infusum quo creatus intellectus roboratur, ut veritates a Deo revelatas possit attingere. Cum enim, ut ait Philosophus, intellectus noster ob suam infirmitatem se habeat ad divinas veritates, quæ secundum se sunt manifestissimæ naturæ, sicut oculus noctuæ ad solem, necesse fuit quod ad illarum intuitum et assensum, intellectus illi supernaturali lumini subjiciatur, quod est quædam derivatio luminis gloriæ, quo beatorum intellectus in se ipso roboratus quidditative Deum intuetur; et utrumque hoc lumen est divini intellectus diminuta participatio, lumen quidem gloriæ major et perfectior, lumen autem fidei minor et imperfectior: unde per hæc infusa divinitatis lumina creatus intellectus videt clare, vel obscure, semper tamen supernaturaliter, quod divinus intellectus intra se connaturaliter intuetur.

802. Fides est basis et fundamentum spiritualis ædificii, et illa supposita facile est omnium aliarum virtutum exercitium. Qui enim credit Deum esse summe bonum, et summe misericordem, facile in illum sperat, illum suaviter amat, prompte colit, mandatis ejus obedit, et tandem vitat omnia quæ divinæ ipsius majestati possent displicere; et inde est quod diabolus

totis viribus conatur quo fides jam suscepta destruatur, certus quod illa destructa totalem victoriam reportabit, et maxime suam malitiam in hac materia circa eos exercet qui violenta hac purgatione pressi ambulant in tenebris et umbra mortis: impie suggerit illis quod falsa vel suspecta sunt fidei Christianæ documenta, cum in se ipsis experiantur tot mala, tot tribulationes et angustias; cum potius præmia mererentur ex diuturno virtutum exercitio. Permittit igitur aliquando Deus quod ad majorem electorum suorum purgationem et ad majus eorum meritum diabolus graves contra fidem tentationes excitet, quæ crudeliter animum excruciant. Eis objicit (quod etiam athei solent objicere) quam decepti forent, si quæ credunt vera non essent; vere essent miserrimi, cum in hac vita nullis fruerentur deliciis, et in alia nullo laborum præmio gauderent. Et quamvis diabolus experientia diutinæ resistentiæ doctus prævideat fideles Dei famulos huic tentationi non consensuros, urget tamen, si non ut vincat, saltem ut inquietet, et ab exercitio virtutum retrahat: sed ipsius malitia Deus utitur in bonum eorum quos purgat.

803. Si aliquis hujusmodi tentatione infidelitatis se exagitatum videt, debet primo sursum ad cœlum respicere, et cœleste fidei lumen a Patre luminum implorare, et ei dicere cum Apostolis: Auge nobis fidem; deinde debet diabolum tentatorem irridere, eique dicere: Quomodo mihi suggeris ut non credam, quod tumet credis, et contremiscis evidentia signorum convictus? Debet actus fidei multiplicare circa materiam in qua tentatur. Debet qui sic tentatur, propriæ imaginationi, diabolo, aliisque forte tentantibus hominibus fortiter in fide resistendo respondere: Magis credo Deo veritates fidei revelanti, quam ipsi tentanti mentienti. Dum igitur in mediis tenebris hujus purgationis aliqua contra fidem urget inimici tentatio, sumendum est scutum fidei, in quo possimus inimici tela nequissima repellere.

804. Qui Deo deserviunt puro penitus amore amicitiæ, rari sunt; plures autem sunt qui deserviunt amore concupiscentiæ, et propter retributionem: inde est quod nihil ita torquet fideles animas, ordinarie loquendo, quam si timeant esse se in numero reproborum, et aliquando damnatorum, licet timendum magis esset minimum malum culpæ quam omnia mala pœnæ

cum hæc sint tantum contra creaturam, illud autem divinas offendat personas. Cum igitur Deus in hac purgatione passiva partis intellectivæ tentationibus et angustiis suorum animas electorum, tamquam aurum in fornace, probare velit, et scoriam imperfectionum decoquendo purificare: nonnumquam timore et horrore reprobationis, et concomitante desperationis tentatione illas affligit. His plurimum cooperatur clarissima contemplatio per lucem infusam, omnes simul imperfectiones proprias ipsis manifestantem: non enim possunt, se tam miseras intuendo, nisi horrorem de seipsis concipere, et insuper judicare quod oculis divinæ Majestatis multo purioribus majori sunt in horrore et odio; et propterea se velut reprobas arbitrantur, et in desperationis pene barathrum devolvuntur, quod omnem alium doloris et afflictionis sensum supereminet.

805. Qui hujusmodi tentatione in hac purgatione diutius exercentur, omni compassione digni sunt, et vere ambulant in tenebris, et umbra mortis. Et certe quid durius, gravius et horribilius alicui esse potest, quam se ipsum in præcipitio damnationis confestim ruiturum contemplari, et quod brevi bonorum omnium jacturam, et omnium malorum ruinam incurret? Nihil æquale cogitari potest, maxime cum talem jacturam et ruinam scit esse æternam. Unde si tunc anima ad has angustias redacta (*ex*) se sola sit incapax consilii et solatii, debet a suo directore suaviter tractari, et ad spem salutis æternæ rationibus erigi: et licet se damnationem mereri propriis peccatis asserat, debet ei respondere, quod quamdiu vivimus est locus veniæ, et quod Deus novit mutare sententiam, si ipsa noverit saltem quoad propositum emendare delictum; debet director animæ sic afflictæ, confusæ, perturbatæ, et rugienti præ horrore, multorum exempla proponere, qui de perditione erepti ad magnam sanctitatem et æternam gloriam Dei misericordia pervenerunt. Proponat illi Saulum spirantem adhuc minarum et cædis in discipulos Domini fuisse conversum, et ex persecutore factum apostolum, ex vase dæmonis factum Vas electionis. Proponat illi sanctum Latronem, qui cum tota vita male vixisset, et coram Deo, et coram hominibus, unico contritionis et amoris actu meruit a Christo beatificari, et inter sanctos referri. Divus Thomas explicans illud Isaiæ v: Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis,

et lux obtenebrata est in caligine ejus, dicit sic: Hic ponit eorum desperationem. Et primo quantum ad auxilium de terra: " Aspiciemus in terram „ undique: " ecce tenebræ, „ quia omnes eos persequebantur; secundo, quantum ad auxilium de cœlo: " Et lux „ divinæ spei " obtenebrata est in caligine ejus. „ Jerem. IV: Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihil; et cœlos, et non erat lux in eis. Et connumerat se propheta in eis per compassionem. Et D. Thomas, 2 2, q. 20, art. 1 ad 2, dicit: Ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit desperatio, inquantum his bonis aliquis male utitur, occasionem ab eis accipiens desperandi.

ARTICULUS VII.

Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis.

806. Contingit aliquando quod Deus aliquos fideles suos servos veluti continua purgatione exerceat, et nullo pabulo consolationum recreet, sed semper in continuis tenebris ex parte intellectus, et in assiduis ariditatibus et angustiis ex parte voluntatis vivant; et quamvis sint in gratia, ita manet latens in centro animæ, ut ne minimæ quidem scintillæ prodeant ab ipsa. Hinc in virtutum actibus angustia, in orando tenebræ, in meditando fastidium, circa omnia bona tædium et anxietas ita aggravantur, ut in obscurum carcerem, in vincula sibi concedi videantur, et cum Jeremia, Threnor. III, lamentantur ad Dominum: In tenebrosis collocavit me. D. Thomas: In carcere quasi mortuum. Psal. CXLII: Posuit me in obscuris sicut mortuos sæculi. Et alibi: Me minavit et adduxit in tenebras, et non in lucem. In tenebras tribulationum, et non in lucem consolationis, quia post flagella non adhibuit consolationem solito more. Job III: Circumdedit me Deus tenebris. Thren., in princ. capitis secundi: Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion? In caligine ignorantiæ vel tristitiæ. Isaiæ LIX: Impegimus in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. — Circumædificavit adversum me ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Dicit Sanctus: Excludit evasionis remedium, pro-

pter hostium obsidionem; aggravavit compedem sicut eis qui mittuntur in carcerem, ut non possint effugere. Psal. LXXXVII: Traditus sum, et non egrediebar. — Job XIII: Posuisti in nervo pedem meum, observasti semitas ejus. — Sed cum clamavero, et cum rogavero exclusit orationem meam. Psal. XXI: Clamabo per diem, et non exaudies. — Conclusit vias meas lapidibus quadris: propter consiliorum impeditionem, gravibus impedimentis. Osee II: Sepiam vias tuas spinis. — Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. — Ponit pœnæ afflictionem, et ostendit quam copiose. Et primo, quantum ad multitudinem pœnarum: " replevit amaritudine, „ angustiis diversis; " inebriavit, „ abundanter intulit. — Tetendit arcum suum quasi inimicus. Ostendit divinam indignationem: " arcum, „ idest judicium firmavit ad percutiendum; Psal. VII: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum. — Cap. I: Quomodo sedet Civitas plena populo. Sanctus (*ait*): Moraliter anima sancta, " plena populo „ bonarum afflictionum; " Domina gentium, „ vitiorum; " princeps provinciarum, „ sensuum; " desolata „ bonorum suffragiis; " vidua „ sponsi amplexibus; " sub tributo „ vitiorum. Plorans ploravit in nocte. Anima plorat in nocte peccata, in maxillis conscientiæ, in qua loquitur hominis operatio. — Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis. Judas, anima quæ Deum confiteri debet. " Migravit „ ad vitia; " inter gentes, „ vitia, vel dæmones; " persecutores „ dæmones; " apprehenderunt „ in tribulatione, et in morte. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me Consolator. Dicit Sanctus: Ponit consolationis subtractionem. Vide, Domine, quoniam tribulor. Psal. XXX: Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor. Conturbatus venter meus: Proponit dolorem sub metaphora doloris interioris, et angustiæ cordis; Valde amaritudine replevit me Omnipotens. Hæc ille.

807. Aliter explicantur ab Hugone de sancto Charo Ordinis Prædicatorum. In tenebrosis collocavit me, ac si me indignum misericordia reputaret, sicut mortui qui transeunt ad infernum, et sunt ibi in æternum. Unde sancti videntur a Deo derelicti, sicut illi qui sunt in inferno, qui appellantur hic mortui sempiterni. Et alibi: Me minavit, et adduxit in tenebras, quasi impotentem et cæcum; et adduxit in tenebras captivitatis et

tribulationis : et non in lucem prosperitatis, vel libertatis, vel solatii. — Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion? idest animam " obtexit „ quasi solem nubibus, vel quasi viduam, vel cadaver veste lugubri, " in furore, „ non in ira. Vel aliter : " Quomodo obtexit „ quasi dicat : mirum est; " caligine „ idest mœsta tribulatione; " in furore Dominus, „ idest tanta percussione quæ videtur esse furor. — Circumædificavit adversum me, ut non egrediar. Et ponitur Ghimel quod interpretatur plenitudo afflictionis, quæ datur animæ, ne libere, audacter, et sine timore egrediatur. — Aggravavit compedem meum. Qui est triplex : culpæ; Psal. CXLV : Dominus solvit compeditos. Item pœnæ; Psal. CI : Ut audiret gemitus compeditorum. Item gratiæ ; Eccles. VI : Injice pedem meum in compedes illius. In anima quæ est in purgatione passiva partis intellectivæ, intelligitur de aggravatione pœnæ, miserias multiplicando. — Conclusit vias meas lapidibus quadris: propter ponderositatem, et stabilitatem. — Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio: " amaritudinibus „ tribulationis et angustiæ; " absinthio, „ angustiis et necessitatibus. — Tetendit arcum suum quasi inimicus. Arcus subito percutit, et incauto sagittæ sunt terrores. Deus animam in purgatione passiva subito percutit, et illam terret. — Quomodo sedet sola Civitas plena populo? Anima fidelis civitas est ; dicitur autem civitas, quia sicut in civitate in medio sunt cives nobiliores, et in suburbio vulgus ignobile : sic in mente quæ est pars superior animæ virtutes inhabitant, et in inferiori parte sunt motus sensualitatis. Sedet igitur hæc civitas quando terrenis conjuncta, sola propter paucitatem. — Vide, Domine, afflictionem meam. Loquitur anima suos defectus ostendens ad modum pauperis et egeni, qui sua ostendit vulnera, ut misereantur ejus homines.

808. Anima posita in purgatione passiva partis intellectivæ lamentatur cum sancto Job, cap. VI : Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. D. Thomas : Ostendit ex improviso se fuisse afflictum. Nam sagitta ex remotis et ex improviso venit ; et ut ostendat percussionis magnitudinem subjungit : " Quarum indignatio ebibit spiritum meum, „ idest me respirare non permisit, sed totaliter, quidquid in me virium aut consolationis esse poterat, sustulit. " Et terrores Dei militant contra me. „ Solent enim afflicti

ex spe melioris status consolari: sed cum post afflictionem aliquis iterum similia vel majora timet, nulla videtur esse consolatio residua. — Cum eodem, cap. VII: Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? D. Thomas: Deus mare coercet ne totam terræ superficiem occupet, ut sit locus animalibus ex terra nascentibus: sic etiam cete infra mare oceanum coercet, ne si in alia maria deduceretur, aliquibus posset esse etiam nocumentum. Et ideo inquirit Job utrum similis causa sit suæ afflictionis causa, propter quam coarctatur mare aut cetus, utrum scilicet afflictus sit, non propter aliquod suum detrimentum, sed propter aliquam utilitatem. Dicit autem se carcere circumdatum, eo quod ita oppressus erat tribulatione, quod ex nulla parte patebat sibi vel liberatio, vel consolatio. — Cum eodem lamentatur, cap. X: Et multiplicas iram tuam adversum me: et pœnæ militant in me. Divus Thomas: Idest effectum iræ tuæ adversum me, scilicet multipliciter punis. Et pœnæ militant in me, quasi cum quadam auctoritate, et sine contradictione me impugnant. — Cum eodem, cap. XIII: Manum tuam longe fac a me; et fortitudo tua non me terreat. D. Thomas: Non me percutias per flagella præsentia; et fortitudo non me terreat, quantum ad flagella futura. — Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam. D. Thomas: Non enim conveniens est quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima. Comparatur autem humana conditio folio quod vento rapitur, quia et in se ipso homo fragilis est, et infirmus, sicut folium quod de facili cadit, et nihilominus decursu temporis et varietate fortunæ ducitur ut folium vento: unde videtur inconvenienter dici quod Deus ad hoc solum aliquem hominem puniat, quo in eo suam potentiam ostendat. — Cum eodem lamentatur, c. XIX: Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit. D. Thomas: Tot impedimenta processibus meis apposuit, ut ea amovere non possim. Et in calle meo tenebras posuit, ut scilicet non videam qualiter sit procedendum. Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum. Divus Thomas: Hoc dicit ad designandum vehementiam iræ, nam furor est ira accensa. Solet autem furor, quo vehementior est, eo citius transire, et sic potest in futurum remanere spes de irato, sed si ira in odium transeat,

jam non videbitur spes ulla restare, et ad hoc signandum subdit : Et sic me habuit quasi hostem suum. Ab inimico autem non speratur remedium.

809. In hac purgatione lamentatur anima cum sancto Job, cap. VI: Ecce non est auxilium mihi in me. D. Thomas : Interdum homo , licet aliqua adversa patiatur, ita se suo et alieno auxilio et solatio contra adversa tuetur, ut vel parvum vel nullum inde dolorem concipiat. Unde vult ostendere sanctus Job se hujusmodi remediis esse destitutum. Et cap. X: Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. D. Thomas : Verba quæ exterius proferam, interiorem amaritudinem ostendent, scilicet ut det intelligere se in persona hominis amaricati loqui : sed ne rursus intelligatur quod ista eloqui dimissus sit per hoc quod ratio a tristitia superatur, subjungit: Dicam Deo : Noli me condemnare. Cum enim ratio a passione vincitur, homo contra Deum murmurat ; et quandoque usque ad blasphemiam procedit ; sed dum inter tribulationes hominis ratio recta manet, Deo se subdit, et ab ipso remedium præstolatur; Dicam Deo: Noli me condemnare. — In capite XIX dicit sanctus Job : Ecce clamabo, vim patiens, et nemo audiet; vociferabor, et non est qui judicet. D. Thomas: Si clamarem contra eos, qui me violenter opprimunt, nullus exaudiret ut auxilium ferret. Vociferabor, et non est qui judicet: idest si vociferarer conquerendo, non adesset judex qui me suo judicio liberaret. — Cap. XXIII dicit sanctus Job : Os meum replebo increpationibus. D. Thomas : Idest conquestionibus : non quidem ut credam divinum judicium esse injustum, sed per modum querentis: sicut solent disputantes contra dicta aliorum objicere, ut plenius veritatem intelligant. — Et probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. Divus Thomas : Primo exponit causam suæ adversitatis, quæ fuit ei inducta, ut ex ea approbatus hominibus appareret, sicut aurum approbatur, quod potest ignem sustinere: et sicut aurum non fit verum aurum ex igne, sed ejus veritas hominibus manifestatur, ita Job per adversitatem probatus est, non ut ejus virtus appareret coram Deo, sed ut hominibus manifestaretur. — In cap. XII dicit sanctus Job: Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? D. Thomas: Hoc ergo ostenditur quod omnia confitentur se a Deo esse facta. Speciale remedium a-

nimæ purgatione hujusmodi vexatæ est patientem Job imitari, suos videlicet amicos invocando, et lacrymabili voce, sed diversa intentione dicendo: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei; quia manus Domini tetigit me. Divus Thomas: Causa autem miserendi est miseria, quæ tanto gravior est, quanto a fortiori inducitur, et ideo subdit: Quia manus Domini tetigit me. Hæc ille.

810. Anima vero debet sanctos, et præsertim suos devotos in auxilium et intercessionem apud Deum invocare; sancti namque veri sunt amici: et inter eos maxime sanctum suum Angelum Custodem, cujus munus est animam sibi commissam custodire, dirigere, protegere, ac Deum in ipsam iratum placare. Unde, anima tali purgatione vexata, quoties gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ait Bernardus, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, et dic: Domine, salva nos, perimus. Quod si aliquos paradisi sanctos, et etiam fideles Dei servos bonum est invocare; utilius sane erit Jesum et Mariam in his angustiis inclamare; Jesum quidem, quem habemus advocatum apud Patrem, et qui est propitiatio pro peccatis nostris; Mariam autem, quia est mater misericordiæ.

ARTICULUS VIII.

Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur pluribus aliis mediis.

811. Permittit aliquando Deus quod diabolus existentibus in hac purgatione spiritum blasphemiæ suscitet, qui singulis eorum conceptionibus immixtus ad horribiles contra Deum et sanctos blasphemias quasi compellit interius in mente, et exterius ad eas pronuntiandum voce. Quidquid sanctum tunc vident, quidquid pium audiunt, quidquid devotum legunt, illo blasphemiæ spiritu in deteriorem partem detorquent. Et sic illis videntur computari, de quibus dicitur quod posuerunt in cœlum os suum. Vix concipi potest quales angustiæ in eorum anima generentur: horrent se ipsos, et inter reprobos (*se*) reputant, cum se tam indigna de Deo et sanctis ejus advertunt

cogitare. Quia, ut dicit D. Thomas, 2 2, q. 13, art. 3, blasphemia est maximum peccatorum, quia opponitur confessioni fidei, et ideo habet in se gravitatem infidelitatis, et aggravatur peccatum si superveniat detestatio voluntatis, et adhuc magis si prorumpat in verba, sicut et laus fidei augetur per dilectionem et confessionem. Unde cum infidelitas sit maximum peccatum secundum suum genus, consequens est quod etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, et ipsum aggravans. Et articulo 4 resolvit quod blasphemia est peccatum damnatorum ex illo Apocalyp. XVI: Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas. Ubi dicit Glossa quod in inferno positi, quamvis sciant se pro meritis puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habeat quod plagas eis inferat. Hoc autem esset blasphemia in præsenti: ergo et in futuro. Tunc patientia et humilitate opus est, sibique persuadere debent quod servi fideles Domini in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se; tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Credere debent quod hæc tentatio non est in illorum ruinam, sed in meritum: cum alias videant se paratos millies potius mori, quam minimum quid contra Deum cogitare vel dicere.

812. Perficitur etiam aliquando talis purgatio desperatione remedii; quod est gravissimum animæ supplicium, et simile damnatorum miseriæ. Omne quippe tormentum leve judicatur si momentaneum fuerit; gravissimum semper habetur, si diuturnum et perpetuum credatur. Complementum namque damnationis est videre quod inferni supplicia commensurantur æternitati, nec unquam sunt ulla duratione terminanda. Qui autem sic purgantur, cum fundamento credunt nullum suis malis fore remedium. Experiuntur quod ex devotionis suavitate, qua perfundebantur abundantius, in obscuritatem tenebrosam, in ariditatem maximam, et in quandam insensibilitatem suis, ut credunt, demeritis devenerunt. Quod exprimit S. Bernardus, Serm. 54 in Cantic., dicens: Superbia inventa est in me, et Dominus declinavit in ira a servo suo: hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia quam patior. Non

compungi ad lacrymas queo, non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi est illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, et gaudium, et pax in Spiritu sancto? Sed his patientia opus est, nam vel tempestas cessabit, vel cum tempestate pleni meritorum divitiis ad portum æternitatis pervenient.

813. Joannes Taulerius vir sanctus et expertissimus in doctrina mystica, Ordinis Prædicatorum, remedium pro singulis generale proposuit. Sciendum est, ait, fideliterque retinendum quod in homine Deum pure intendente sæpe gravis quædam pressura et angustia oboriatur, qua oppressus videtur sibi Deum non pure intendisse, et ita omnium laborum suorum fecisse jacturam, omnemque perdidisse operam. Hinc jam pacem pectoris amittit, animique mœrorem et perturbationem incurrit. Hæc autem pressura nonnumquam ex gravitate naturali, seu indispositione, vel complexionis malitia; nonnumquam ex influentia cœli, vel aeris inæqualitate; nonnumquam vero ex maligni spiritus operatione, qui per hujusmodi gravissimas immissiones suas hominem istum perturbare moliatur, accidere solet. Sed hæc suaviter declinanda sunt cum benigna tranquillaque mansuetudine: ita enim facilius vincuntur. Unde non satis recte faciunt quidam, qui pressuram hanc violenter et impetuose a se excutere, eamdemque perrumpere volunt, destruentes ac debilitantes per hoc capita sua, quique nimis inordinate ad doctores et Dei amicos pro consilio et auxilio accedunt, eripere se inde et evadere cupientes; unde sæpius magis implicantur, cum nemo facile inde eos extrahere et expedire queat. Quamobrem ubi ista pressura et tempestas in homine exsurgunt, haud secus faciat quam solent homines facere, ubi tempestas oritur, et pluviæ vel grandines cadunt: tunc enim fugiunt omnes sub tectum, donec tempestas sopiatur, et pluviæ cessent. Ita et ipse, ubi intra se simpliciter sentit ac deprehendit quod nihil velit neque desideret nisi Deum, dum hac pressura corripitur, modeste subtiliterque fugiat, donec integre sibi ipsi restituatur: simulque in vera resignatione ac patienti abstractione humiliter sustinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione Deum præstoletur: etiam si una hebdomada, vel uno mense, vel sex mensibus, unove anno, vel etiam diutius, sine cessatione illa perduret. Et quis novit quali

modo, quave ratione benignissimus Deus ad ipsum venire, suaque illi charismata et dona infundere velit? stet itaque cum benigna mansuetudine sub tecto divinæ voluntatis ac beneplaciti, certus quod hoc vel centuplo gratius sit, magisque placeat Deo quam si magna sensibili devotione affluueret, et multas virtutes Deo quotidie offerret, intusque florerent et virerent omnia, et ipse divino lumine irradiaretur. In pressura namque non ita facile quis se ipsum et sua quærere vel retinere potest, sicut in consolationis, ac sensibilis dulcedinis, devotionisque affluentia. In hac namque sæpe se natura admiscet, et dum anima in ea immodice delectatur, maculam contrahit. Hæc ille.

ARTICULUS IX.

De tentationibus occasione purgationis passivæ exsurgentibus, et de earum remediis.

814. Antequam de variis tentationibus insurgentibus ex occasione purgationis passivæ sermonem habeamus, operæ pretium erit aliqua breviter dicere de tentatione. Tentatio ex D. Thoma, p. p., q. 114, art. 2, nihil aliud est quam experimentum quod sumitur de aliquo, an sciat, vel possit, vel velit. Et sic proximus finis cujuslibet tentationis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus vel malus. Bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire qualis aliquis sit vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut eum promoveat; malus autem, quando hoc scire vult ut eum decipiat vel subvertat. Homo tentare dicitur ut sciat, ut juvet, et ut noceat. Diabolus semper tentat ut noceat. Deus autem tentare dicitur ut faciat alios scire. Caro et mundus dicuntur tentare instrumentaliter seu materialiter. Hæc ille.

815. D. Thomas, 2 2, q. 97, art. 1, dicit quod tentare contingit dupliciter. Uno quidem modo aperte, sicut cum quis tentatorem se profitetur: sicut Samson, Judic. xv, proposuit Philisthæis problema ad eos tentandum. Alio vero modo insidiose et occulte, sicut Pharisæi tentaverunt Christum, ut legitur Matthæi xxii. Rursus quandoque quidem expresse, puta cum quis

dicto vel facto intendit experimentum sumere de aliquo. Quandoque vero interpretative, quando scilicet, etsi hoc non intendat ut experimentum sumat, id tamen agit vel dicit quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum. Sic ergo homo tentat Deum, quandoque verbis, quandoque factis. Verbis quidem Deo colloquimur orando. Unde in sua petitione expresse aliquis Deum tentat quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem. Factis autem expresse aliquis Deum tentat, quando per ea quæ facit, intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ. Sed quasi interpretative Deum tentat qui etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem: sicut cum quis equum currere facit ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere; sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quam experimentum sumere de equi velocitate. Hæc ille.

816. Tentatio de se non est appetenda, quia non est utilis, nec bona, nisi per accidens, scilicet per auxilium gratiæ Dei; sed est mala de se. Ita D. Thomas 3 p., q. 41, art. 2, ad 2: Christus voluit tentari; quod quadruplici ratione hac probat Divus Thomas 3 p., q. 41, art. 1. Primo, ut nobis contra tentationes auxilium ferret. Unde Gregorius dicit, homil. 16 in Evangelia: Non erat indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. Secundo, propter nostram cautelam, ut nullus quantumcumque sanctus, se æstimet securum et immunem a tentatione. Tertio, propter exemplum, ut scilicet nos instrueret qualiter diaboli tentationes vincamus. Quarto, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur.

817. In purgatione passiva valde frequens est tentatio cessandi a bonis operibus. Hæc tentatio non tota simul, sed paulatim illabitur, sensim crescit, et quibusdam intensior gradibus invalescit. Cum igitur incipientes videant exhaustam gratiæ sensibilis affluentiam, corde deficiunt; sicut prius gratia devotionis animabantur, ita ut contra quascumque diaboli ten-

tationes firmi et immobiles persisterent, juxta Davidis sententiam: Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. Item: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Subtracto ergo tam singulari refugio, quicumque hoc modo purgatur, quodammodo inermis expositus est ictibus tentationum, et ideo pavidus efficitur et pusillanimis (quia, ut dicit D. Thomas, 2 2, q. 123, art. 2, pusillanimus ex animi parvitate se retrahit a magnis; et datur pusillanimitas ex parte causæ: quæ ex parte intellectus est ignorantia propriæ conditionis, ex parte appetitus est timor deficiendi in his quæ false æstimat excedere suam facultatem) nisi fidei et spei firmitate se muniat, et patientia et humilitate se defendat, quæ tunc maxime habet locum exercendi se, et magnam gloriam promerendi.

818. Post primum hujus tentationis gradum qui est pusillanimitatis, nisi resistatur, statim sequitur secundus, difficultatis scilicet et languoris bene operandi, quia ut dicit D. Thomas, 1 2, q. 28, art. 5, languor est effectus amoris. Quidam enim vellent habere bona opera, et non valent ad ea exequenda se ipsos vincere; de quibus, dicit D. Thomas, intelligitur illud Apostoli ad Rom. VII: Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Dicit Sanctus: " Velle adjacet mihi, „ idest propinquum est mihi, quasi sub mea potestate existens. Nihil enim est tam in hominis voluntate constitutum, quam hominis voluntas. Secundo ponit difficultatem, quantum ad consummationem effectus: " Perficere autem bonum non invenio, „ scilicet in mea potestate existens. Quidam tentantur ex difficultate bene operandi, et habent aliquam bonam voluntatem, sed non fortem. Ex difficultate obstacula inveniunt, quasi qui saxum magnum volvunt, et inde affliguntur, et incidunt in quamdam tristitiam et diffidentiam. Quidam enim horror terret eos, cum cogitant de profectu spirituali, quasi dicant apud se: Bona est victoria, sed dura pugna; dulce est præmium, sed labor merendi gravis: sic exploratores missi in terram promissionis reversi commendabant ubertatem terræ, ostensis fructibus, sed terruerunt populum pro difficultate impugnationis hostium et proceritate inhabitantium.

819. Tertius gradus hujus tentationis est fastidium bonorum operum, ex difficultate ac languore bene operandi procedens. — Ultimus gradus hujus tentationis est cessare a bono opere. Hic

præcedentes gradus necessario sequitur, nisi suffocetur exsurgens, aut progrediens in illis tentatio. Unde subtracta gratiæ sensibilis affluentia, ex parte Dei solo purificandi motivo, tyrones incauti propria malitia corde deficiunt, ubi ferventius animari deberent; difficultatem et languorem bene operandi malitiose affectant, quando puro charitatis motivo foret operandum; fastidium in omni opere bono voluntarie patiuntur, dum purioris gratiæ pascuntur abundantia. Isti pusillanimes debent animari, et debent dicere cum apostolo Paulo ad Philipp. IV: Scio humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum), et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat. Debent animari demonstrando paratum Dei auxilium: Deus ipse præcepit, Isaiæ XXXV: Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere: Deus ipse veniet, et salvabit vos; debent orare, et cum Propheta regio expectare eum qui salvum facit a pusillanimitate spiritus et tempestate.

820. Alia est tentatio retrocedendi a via perfectionis, ut cum aliquis tentatur ut cesset a bonis operibus, vel ab statu bene operandi qui est status religionis. A bonis operibus in quibus christiana perfectio consistit, ut est dilectio Dei, de qua loquens D. Thomas, opusc. XVIII, cap. 5, et ista est in præcepto, dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex tōto corde, mente, anima et fortitudine. Quod quidem impletur cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, et per consequens omnia quæ per se ipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum: vel quando homo intellectum suum Deo subjicit ea credens, quæ divinitus traduntur, secundum illud Apostoli, II. Corinth. X: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: et sic Deus diligitur ex tota mente; vel ut quæcumque homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat, unde dicebat Apost., II. Cor. V: Sive enim mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis, charitas enim Christi urget nos: et sic Deus ex tota anima diligitur; vel ut omnia exteriora nostra, verba et opera, ex divina charitate fiant, secundum illud Apostoli, I. Corinth. ultimo: Omnia enim vestra in charitate fiant: et sic Deus ex tota fortitudine diligitur. Ab isto opere perfectionis tentatur multoties homo ut cesset.

821. Tentatur etiam ut retrocedat ab statu bene operandi, qui est status religionis: quod quidem est multo deterius, et sæpe sacrilegium. Status religionis est status consiliorum, ut dicit D. Thomas, opusc. XVII, cap. 6, et consilia ad vitæ perfectionem pertinent, non quia in eis principaliter consistat perfectio, sed quia sunt via quædam, vel instrumenta ad perfectionem charitatis habendam: et sic religiosi pro hac charitate omnia agunt et tolerant; parentes, patriam, dignitates, divitias, delicias mundi hujus et voluptates universas contemnunt; pro hac jejuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectiones, cæterasque virtutes suscipiunt: ut per ista ab universis cogitationibus noxiis illæsum præparare cor nostrum et conservare possimus, et ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere. Ad extirpandas hujus tentationis radices recordetur Apostoli dicentis, II. ad Timoth. II: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. Audite præclaram doctrinam D. Thomæ super verba Apostoli " Nemo militans Deo. „ Dicit Sanctus: Sciendum est quod alius est finis militiæ spiritualis, et alius finis militiæ corporalis: quia finis militiæ corporalis est quod obtineat victoriam contra hostes patriæ, et ideo milites debent abstinere ab his quæ abstrahunt a pugna, puta a negotiis et deliciis; I. Corinth. IX: Qui in agone contendit ab omnibus se abstinet. Sed militiæ spiritualis finis est ut victoriam habeat de omnibus qui sunt contra Deum, et ideo oportet abstineant ab omnibus quæ distrahunt a Deo. Hæc autem sunt negotia sæcularia, quia sollicitudo hujus sæculi suffocat verbum; et ideo dicit: " implicat se. „ Objicit sibi D. Thomas: Negotia sæcularia sunt temporalia: hæc autem Apostolus fecit quando vixit de labore manuum suarum. Respondet dicendo quod Apostolus dicit: " Implicat „ et non dicit: exercet. Ille autem eis implicatur cujus cura et sollicitudo jungitur circa ipsa. Et tunc proprie ipsa hæc interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur non esse necesse implicari animum. Item non dicit simpliciter: implicatur, sed dicit " implicat se, „ quia quandoque implicatur et non se implicat. Implicat enim se, quando sine pietate et necessitate assumit negotia; sed quando necessitas officii pietatis et auctoritatis exercetur, tunc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate. Rom. XVI: Assistatis ei, in quocumque negotio

vestri indiguerit. Causa autem quare non debeat implicari, est, " ut ei placeat cui se probavit. „ I. Joan. II: Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Qui enim est miles Christi, devovit se ad militandum Deo, et ideo debet conari, ut ei placeat cui se devovit. Hæc ille.

822. Cum Deus vel incipientes viam perfectionis, vel etiam in ea proficientes purgatione passiva diutius exercet: sequitur quod aliqui non ita divinæ voluntati conformes in actus impatientiæ prorumpant; et, quod deterius est, contra Deum audeant murmurare. Hæc tentatio impatientiæ quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, et palpitat ex vehementi mœrore; quia ibi non invenit solatium. Patientissimus, imo exemplar patientiæ, Job sanctus in sacra Scriptura nobis proponitur, et tam rectus quod in nullo peccavit labiis suis: et tamen sua purgatione pressus, vel naturæ tantum sensum exprimens absque consensu, vel in persona eorum, qui hac tentatione vincuntur, loquens, in maximos actus impatientiæ videtur prorupisse. Audiamus ipsum cum expositione sancti Thomæ, cap. III: Post hæc aperuit Job os suum. Dicit Sanctus: " Post hæc, „ idest post septem taciturnitatis dies. Ex quo manifestum fit quod verba quæ sequuntur, secundum rationem prolata sunt, per tristitiam non perturbatam; si enim ex perturbatione mentis dicta fuissent, prius ea protulisset, quando vis tristitiæ vehementior erat: tristitia enim quælibet longitudine temporis mitigatur, et in principio magis sentitur; unde propter hoc tacuisse videtur, ne perturbatione mentis loqui videretur. — Quod etiam ostenditur per hoc quod dicitur: " aperuit os suum; „ cum enim aliquis loquitur ex impetu passionis, non ipse aperit os suum, sed passione agitur ad loquendum; non enim per passionem nostri actus domini sumus, sed per solam rationem. Loquendo autem, tristitiam, quam patiebatur, ostendit. Consuetum est apud sapientes ut ex ratione loquantur passionum motus quos sentiunt, sicut et Christus dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem; sic etiam Job loquendo tristitiam suam aperuit. — Unde sequitur: " maledixit diei suo. „ Quod videtur contra illud Apostoli, Rom. XII: Benedicite, et nolite maledicere. Sed sciendum est quod maledicere multipliciter dicitur. Cum enim maledicere nihil aliud sit quam malum dicere, toties dicitur maledicere, quoties contin-

git malum dicere. Contingit autem aliquem alicui maledicere, primo declarando malum, quod alicui debetur: et sic sententia judicis aliquem judicantis est causa pœnæ ejus qui condemnatur. Per hunc modum intelligitur quod Dominus dixit, Gen. III: Maledicta sit terra in opere suo. Secundo, imprecando malum, vel optando, sicut legitur in I. Reg. quod Philisthæus maledixit David in diis ejus. Tertio, convenit aliquem dicere malum simpliciter enunciando, vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro; sive vere, sive false. Prohibet igitur Apostolus maledicere tali maledictione, qua quis imprecatur malum alicui, vel cum false diffamatur: non autem eo modo quo judex reum condemnat, vel aliquis verax malum alicujus rei ordinate demonstrat, vel demonstrando præsens, vel recitando præteritum, vel præmittendo futurum. Sic enim intelligendum est Job suo diei maledixisse, quia eum malum esse denuntiavit, non secundum suam naturam qua a Deo creatus est, sed secundum illam Scripturæ consuetudinem qua tempus dicitur bonum, vel malum, secundum ea quæ in tempore aguntur, secundum illud Apostoli, Ephes. v: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Maledixit igitur Job diei suo, in quantum mala sibi in ipsa die accidisse commemorat. — Quomodo autem maledixerit, subditur: " Et locutus est: Pereat dies in qua natus sum; et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. „ Sciendum est autem quod licet esse et vivere secundum se sit appetibile, tamen esse et vivere in miseria est fugiendum, secundum quod hujusmodi: licet interdum esse in miseria libenter sustineatur propter aliquem finem. Miseria quam B. Job sustinebat ratione quidem poterat videri quantum ad aliquid utilis esse, sed inferior pars animæ, quæ ex illa tristitia afficiebatur, adversitatem totaliter repudiabat; unde et ipsum vivere sub tali adversitate odiosum ei erat: " Dies illa vertatur in tenebras. „ Dies nativitatis meæ debuisset esse tenebrosus, ut congrueret tenebris multis et miseriæ, quam patior. — " Non requirat eum Dominus desuper; „ quasi diceret: Non exigat Deus ab hominibus ut hunc diem celebrem agant. — " Et non sit in recordatione, „ scilicet hominum, quia nihil jucundum in illa die accidit, sed magis triste, ut ex eventu apparet. — " Nonne dissimulavi, „ scilicet injurias mihi factas, (*non offendens alium vel verbis*): — " Nonne silui? „ quasi dicat: nulli con-

tumeliosa aut injuriosa verba protuli; vel factis, et hoc removet a se dicens: " Nonne quievi? „ Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, Isai. LVII. Et quamvis innocens sum, tamen venit super me indignatio, idest pœna a Deo. Hæc ille.

823. De secundo, scilicet de murmuratione audiamus eumdem S. Job, cap. VI, cum expositione D. Thomæ. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? Dicit sanctus: Scilicet tot tribulationes. Si tribulationes et tristitias aliquo brevi tempore tolerare oporteret (*superari possent*): et ideo ad hoc removendum adjungit: " Aut quis finis meus, ut patienter agam? „ quasi dicat: quis terminus tribulationibus meis positus est, ut usque ad illum expectans, possim præsumere me patientiam servaturum? — Et ad horum expositionem subjungit dicens: " Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea. „ Fortitudo enim lapidis sine sensu est, fortitudo autem hominis est cum sensu eorum quæ noxia sunt; propter hoc subdit: " Nec caro mea ænea est, „ idest sine sensu, quia quantumcumque ratio mortalis hominis fortis sit, necesse est quod ex parte carnis experiatur sensum doloris. Etsi enim inesset B. Job fortitudo mentis, aderat tamen ex parte carnis sensus doloris, quem tristitia sequebatur. — " Ecce non est auxilium mihi in me. „ Etsi enim bona ejus aliqualiter direpta fuissent, posset hoc absque tristitia tolerare, si se posset adjuvare ad recuperandum bona amissa, et ad vindicandum injuriam illatam: sed hoc non poterat, omnibus divitiis, filiis, et proprii corporis sanitate destitutus. Rursus multa per nos ipsos non possumus, quæ possumus per amicos. Et ideo Job secundo ostendit se etiam auxilio amicorum destitutum esse, cum dicit: " Necessarii quoque mei, „ idest familiares et domestici, " recesserunt a me. „ Hæc ille.

824. Videant qui tali premuntur tentatione, ne succumbentes murmurent contra Dominum, filios Israel imitati, qui passim impatientia laborum et itineris victi contra Deum impie murmurabant. Et timeant ne immissis serpentibus ignitis, aut alio rigoroso patiantur supplicio. Saltem timeant ne cum sancto Job, eorum personam gerente, a Domino reprehendantur. Ad scrupulos tamen vitandos, noverint qui hujusmodi purgatione diutius affliguntur, se licite posse filiales ad Deum tamquam patrem amantissimum dirigere querimonias, et afflicti cordis sensum exprimere: sed prius cum sancto Job sileant

per aliquod tempus, ut sic impatientiæ et murmurationis motus evitent, et cautius ac humilius cum Deo se gerant.

825. Qui in purgatione passiva probatur, cum non advertat in se peccata, propter quæ judicet se iram Dei promereri; et videat aliunde se tot tantisque tribulationibus afflictum, subrepit tentatio quod Deus non sit justus, quandoquidem innocentem æque puniat ac impium. Similis tentatio Job sanctum et patientem apprehenderat, cum, cap. IX, dicebat: Unum est quod locutus sum: Et impium et innocentem ipse consumit. D. Thomas: Quasi dicat: non solum peccatoribus, sed etiam innocentibus mors a Deo immittitur; quæ tamen est maxima pœnarum præsentium: et sic non est verum quod dicis, quod solum pro peccatis propriis homo punitur a Deo. Quod autem mors a Deo sit dicitur Deuteron. XXXII: Ego occidam, et ego vivere faciam. Sed cum mors communiter omnibus immittatur a Deo, unum est quod durum videtur, scilicet quod innocentes præter necessitatem communem multiplices adversitates sustinent in hac vita, cujus rei causam investigare intendit: et ideo subdit: " Si flagellat, occidat semel; „ quasi dicat: detur quod flagellum mortis omnibus sit commune: videtur tamen rationabile quod innocentibus, qui ex propriis peccatis non sunt rei, præter mortem quæ debetur pro peccato communi, aliam pœnam infligere non deberet. Si enim, ut vos dicitis, nulla alia causa est quare juste aliter pœna alicui infligi possit, nisi peccatum, et manifestum est innocentes pati pœnam in hoc mundo, videtur quod sine causa puniantur, ac si ipsæ pœnæ propter se Deo placerent; ideo subdit: " Et de pœnis innocentium non rideat. „ De illis enim ridere solemus quæ nobis secundum se placent. Si autem hoc est inconveniens, quod pœnæ innocentium Deo secundum se placeant (inveniuntur enim innocentes frequenter in terris puniri), videtur sequi aliud inconveniens, scilicet quod istæ pœnæ ex divino judicio non procedant, sed ex malitia alicujus iniqui domini, qui potestatem habet in terra, et punit innocentes. Sed dicendum est cum sancto Job: Animadverto, summe Deus, te non impios tantum, sed et pios etiam in hac mortali vita ærumnis conficere. Age ergo. Me cœpisti graviter exercere: perge, precor, interficere me diu supplicantem, ac pro dolore liniendo tibi supplicantem! Videris quippe pios cultores tuos orantes despicere,

dum eos minime exaudis, neque ullum benevolentiæ aut beneficentiæ signum exhibes. Interime, precor, me, ne diuturnior cruciatus mœrentem in aliquam culpam propellat.

826. Quamvis autem justus quicumque purgatione tentatus, se semper aliqua pœna propter sua peccata dignum judicet: potest tamen irrepere tentatio quod contra justitiæ leges graviora sibi irrogentur supplicia. Quod in ipso Job, vel in propria persona secundum partis inferioris sensum, vel in aliorum persona loquente completum videmus. Ipse namque, c. VI, ait: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui! D. Thomas: Dicere non possum in me nulla esse peccata; confido tamen in me non esse mortalia, sed venialia; si ergo pro peccatis hujusmodi iram, idest pœnam a Deo merui, debuisset saltem in statera justitiæ appendi calamitas et peccatum, ut secundum æqualitatem unum alteri responderet: sed adversitas apparet multo major ipso peccato. Et hoc est quod subdit: " quasi arena maris, „ idest incomparabiliter, " hæc, „ scilicet calamitas, " gravior appareret. „ — Si sententia Eliphaz esset vera, quod adversitates in hoc mundo infliguntur solum secundum peccata, pro gravibus peccatis hæretici graves pœnas sustinerent. Sed hæc sua sententia non est vera, cum appareat multos sceleratos, quorum peccatis peccata Job comparata quasi nulla erant, quasdam leves adversitates sustinere. — Ex hoc autem ulterius procedit ad excusandum se a tristitia, quam verbis expresserat dicens: " Unde et verba mea plena dolore sunt, „ quasi concludendo infert, quia dolor ex adversitatis magnitudine causabatur. — Causam autem doloris subjungit duplicem. Causatur enim dolor interdum ex eis quæ aliquis am perpessus est; interdum vero ex iis, quæ pati timet. Primo ergo assignat causam sui doloris ex iis quæ perpessus fuerat, dicens: " Quia sagittæ Domini in me sunt. „ In quo ostendit ex improviso se fuisse afflictum. Nam sagitta ex remotis et ex improviso venit; et ut ostendat percussionis magnitudinem, subjungit: " Quorum indignatio ebibit spiritum meum, „ idest me respirare non permisit, sed totaliter quidquid in me virium aut consolationis esse poterat, sustulit. Deinde ostendit causam doloris ex iis quæ pati timebat, dicens: " Et terrores Dei militant contra me; „ solent enim afflicti ex spe melioris status consolari: sed cum post afflictionem aliquis iterum si-

milia vel majora timet, nulla videtur esse consolatio residua. Hæc ille.

827. Hæc tentatio sanctos etiam vexavit Prophetas, qui de rectissima Dei justitia nullatenus dubitabant. Unde Jeremias caput XII sic exorditur: Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Divus Thomas: Hic Propheta disputat de punientis justitia. Et primo ponitur Prophetæ disputatio; secundo Domini responsio. — Circa primum, primo captat benevolentiam ex persona judicis: " Justus quidem es tu, Domine; „ Psal. CXVIII: Justus es, Domine, et rectum judicium tuum; et ex honestate causæ: " Verumtamen juste loquar ad te; „ Job XIII: Ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio. Et sic uterque eorum tenet locum opponentis. Sed Habacuc tenet locum respondentis, cap. II: Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem. — Secundo, proponit causam quantum ad adversarios, proponens eorum prosperitatem quantum ad temporalium abundantiam. " Quare (*prosperatur*) via, „ processus, " impiorum, „ per infidelitatem, " qui prævaricantur, „ contra legem agendo, " et inique agunt „ contra proximum? Job XII: Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Psal. LXXII: Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et quantum ad prosperitatis augmentum: " plantasti, „ in bonis temporalibus; et per similitudinem arboris, " et radicem miserunt, „ confirmati prosperitatibus. — Tertio, ostendit pœnam per modum imprecationis. " Congrega eos; „ quasi dicat: quia justus es, non potest esse quod impios non punias. — Deinde ponit Domini responsum. Comminatur pœnam quantum ad divini auxilii destitutionem. " Reliqui domum meam, „ scilicet templum, ut non defendam. " Dimisi hæreditatem meam, „ populum Israel. Isaiæ XIX: Hæreditas mea Israel. Derelinquam populum meum, et recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricationum. — Et quantum ad hostium oppressionem: " Dedi dilectam, „ idest Judæos, quos quasi animam meam diligebam. Hæc ille. — Qui futuræ vitæ revelationem haberet, in qua et peccata in præsenti non punita punientur, et bona opera non præmiata præmiabuntur, posset merito arguere quomodo verum esse possit (*quod*) homines propter patrata scelera suppliciis afficiuntur; cur non omnes? Cur non illi quibus usque ad vene-

randam senectutem cuncta prospere succedunt? Quod si omnes puniuntur, cur non æque, cum aliqui pejores aliis mitius puniantur quam illi quos levius peccantes formidabilis ærumna consumit. Sed supposita fide de statu futuræ vitæ, propositis dubiis facile respondetur, quod ex occulto, semper tamen justo Dei judicio, impii qui hic prosperantur, æternis ob sua piacula reservantur suppliciis; justi vero, qui hic affliguntur, de propriis purgantur defectibus, ut in alia vita pro bonis operibus statim coronentur.

828. Præter alia quæ huic tentationi possent applicari remedia, convenientissimum et utilissimum videtur illud: si consideretur quod minimum peccatum contra divinam majestatem commissum, nulla secundum se pœna sufficienti potest expiari, cum sit malum superioris ordinis, et injuria Deo facta: quod maxime verum est, si fuerit peccatum mortale. Unde qui a Deo hic affligitur, debet reflectere supra sua peccata, et concludere quod Deus non potest esse injustus, puniendo peccata etiam cum maxima severitate: quod si deberet injustus dici, talis potius dicendus esset quia peccata punit citra condignum, non solum in hac præsenti vita, sed etiam in futura, cum tamen opera bona ultra condignum præmietur: quia misericordia ejus superexaltat judicium. Sed tamen absit a Deo nomen injustitiæ: quamvis enim peccata non ad æqualitatem castigat, hoc ideo est tum quia superabundanti satisfactione Christi placatus est, unde meritorum ejus intuitu mitius nobiscum agit; tum quia non potest infinitæ quoad intentionem peccatorum malitiæ condignum decerni supplicium positivum: sola pœna damni, quæ in privatione Dei consistit, ipsam adæquat.

829. Diabolus aliquando eos qui purgatione passiva torquentur suadet, quod si Deus hæc inferiora gubernaret et haberet providentiam istorum, non permitteret innocentes tamdiu et tam acriter vexari. Inde est quod dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Et Eliphaz male de sancto Job suspicatus, ipsum quasi providentiam Dei negantem sinistre inducit, et arguit in hunc modum malitiose (c. xx): An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit? D. Thomas: Idest tota universitate creaturarum. Et super stellarum verticem sublimetur? idest super altissimam creaturarum? et hujus cogitationis conclusionem subdit, et dicit: " Quid enim novit Deus? „ scilicet de istis in-

ferioribus rebus. Aliqui negant Deum habere cognitionem et providentiam rerum humanarum propter altitudinem suæ substantiæ, cui proportionari dicunt suam scientiam, ita ut nihil sciat nisi se ipsum, putantes quod scientia ejus vilesceret si se ad inferiora extenderet; et quod Deus solum cognoscit creaturas in universali cognoscendo naturam entis, vel universales causas; unde subdit: " Et quasi per caliginem judicat. „ Cognoscere aliquid solum in universali, est cognoscere imperfecte, et ideo hujusmodi cognitionem vocat quasi caliginosam, sicut contingit de eo quod a remotis videtur quasi caliginose, quia percipitur esse homo, sed non quis homo sit; et adhibet similitudinem de iis quæ apud homines contingunt, apud quos qui in aliquo loco latet, sicut non videtur ab iis qui extra locum sunt, ita nec eos videt; unde dicit: " Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat. „ Quasi dicat: sicut ipse latet nos, quasi nubibus occultatus, in quantum ea quæ supra nubes sunt plene cognoscere non valemus: ita e contrario nec ipse ea quæ ad nos pertinent, quasi sub nubibus existentia, ipsa non videt; sicut Ezech. IX ex persona quorumdam dicitur: Dereliquit Dominus terram, Dominus non videt; putabat enim quod quia ea quæ in terris sunt multis defectibus et inordinationibus subjacent, divina providentia non reguntur: sed solum cœlestia, quorum ordo indeficiens perseverat. Unde sequitur: " Et circa cardines cœli perambulat. „ Dicitur autem cardo in quo volvitur ostium. Unde per hoc designat Dei providentia cœlum moveri; ex cujus motu, sicut ex quodam ostio, providentia divina usque ad hæc inferiora descendat. Sicut enim dicunt quod Deus cognoscit humana, sed in universali: ita dicunt quod gubernat humana, sed per universales causas, quas per se gubernat. Hæc ille.

830. Non aliud suspicandi et arguendi falsus hic amicus habuit fundamentum, quam videre ex una parte sanctissimum virum Job ad extremas redactum miserias, factum ex divite pauperrimum, filiis misere pereuntibus orbatum, ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis percussum, et ab omnibus derisum: ex alia vero parte ipsum audire lugubre conquerentem apud Dominum, et diem natalis sui maledicentem: illum ergo ex semetipso metiens, temere judicavit quod Dei providentiam negaret.

831. Sancti etiam viri, sæviente malorum tempestate, Deum velut dormientem considerant: unde est illa conquestio Psalmistæ, XLIII: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis: exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas in finem. D. Thomas explicans istos versiculos, sic ait: " Quoniam propter te mortificamur tota die: „ Ponit causam quare patiantur, quia causa facit martyrem; et ideo dicit " propter te mortificamur tota die. „ I. Petri IV: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus non erubescat. — " Æstimati sumus ut oves occisionis, „ ad utilitatem hominum, vel ad patientiam martyrum; quasi dicat: Quare mortificamur tota die, et tamen non reclamamus, sed sustinemus, sicut oves ductæ ad occisionem? sic etiam fuit in Christo. — " Exsurge, quare obdormis, Domine? „ Hic invocat auxilium Dei. Et primo ponitur quæstio admirantis; secundo, petitio divini auxilii. Admiramur ergo quia permittit sanctos suos sic affligi. Et hoc potest esse aut ex defectu voluntatis, aut cognitionis. Quod non velit, contingit dupliciter: vel propter pigritiam, vel propter contemptum. Quantum ad primum dicit: " Quare obdormis, Domine; „ quasi dicat: Numquid propter pigritiam permittis nos affligi? Et dicitur obdormire propter effectum. Psal. XX: Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Quantum ad secundum dicit: " Et ne repellas in finem, „ scilicet finaliter, etsi videaris nos repulisse ad tempus. Hæc ille. — Non ideo divinam negant providentiam, ut constat ex his quæ Psalmista præmiserat: postquam enim multa infortunia fidelibus Dei servis ingruentia dinumerasset, ait: Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis, si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum: nonne Deus requirit ista? ipse enim novit abscondita cordis. Sed Deum fusis precibus excitant, ut desideratum sibi præstet auxilium, velut humano more, dum dormientem excitamus amicum, ut nobis tempore necessitatis succurrendo promptius auxilietur.

832. Procuret ergo qui in statu purgationis exercetur, patienter illam ferre, cum Deo submissius agere: et sibi persuadens quod non in destructionem, sed in ædificationem; non in perditionem, sed in propriam perfectionem inducitur, remediis

superius adductis utatur ; et speret post tenebras quietem, et post purgativas dispositiones divinam illustrationem ac unionem fixam, et aliquando indissolubilem.

833. Modus resistendi tentationibus est duplex: Primus quidem declinando jacula tentatoris, ut in vacuum recidant ; secundus autem retorquendo jacula in ipsum tentatorem. Primus resistendi modus tunc exercetur quando tentatus tentationem advertens illam despicit, et se ad alia divertit; secundus exercetur, quando vitii, de quo procedit tentatio, cognita malitia, virtutis contrariæ ferventiores actus eliciuntur : sic enim, ut ait Apostolus ad Rom. VIII, de peccato damnatur peccatum. — Semper autem in tolerantia tentationum adhibenda est humilis resignatio, et conformatio omnimoda cum divina voluntate. Unde Joannes Taulerius Ordinis Prædicatorum, XI Instit., ait: Quod si forte aliqua in adversis impatientia te moveri sentias, resiste quantum potes, et sustine : sicut et omnium hominum perfectissimus, Jesus Christus, adeo ab imminentis ei passionis præmeditatione pulsabatur, ut in multa cordis angustia diceret : Tristis est anima mea usque ad mortem. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. O quantum pulsabat animum ejus imminens passio, ut in agonia positus etiam sanguinem sudarot ! Ita tu in afflictione constituta, sub quanta potes celeritate vires omnes recollige, ipsamque afflictionem in sua origine regenerans (ex amore siquidem illo, qui Deus ipse est, originem duxit), ipsam velut auream oblationem offerre rationabiliter, Patrique cœlesti exhibere humiliter contende, sic dicens : O omnis paternitatis Pater, en ego pauper et infirma filia tua afflictionem hanc de paterna manu tua velut nobilissimum pretiosissimumque dilectionis munus suscipio. O Pater dilectissime, si me passionis hujus calicem bibere oportet, instar infirmi alicujus, qui pro ægrotationis molestia relevanda amarum poculum sumere compellitur, non mea, sed tua voluntas fiat. Hoc tantum rogo et obsecro, amantissime Pater, ut, quia sine te nihil possum, virtutem et gratiam mihi tribuas eam juxta beneplacitum tuum sufferendi. Dumque istud feceris, certa esto æterni ac clementissimi Patris oculos apertos atque directos esse ad respiciendum angustias tuas, tibique opportuno tempore succurrendum, si saltem expectare voles. Sicut pater aliquis prædilectum filium suum diu in pœnis et

angustiis relinquere non potest, quin ei succurrat, ipsum in ejus afflictione paterna pietate fòveat, recreetque. — Præterea in adversitate posita neque desperare, neque de paterno corde diffidere debes, dicendo : oblitus est mei Deus, reliquit me Dominus. Cogita potius quia quem diligit Deus, castigat, et flagellat omnem filium quem recipit. Enimvero videbat ipse dilectissimum Filium suum præ angustia sanguinem sudare, ad columnam ligatum flagellis acerbissime cædi, et demum in cruce velut fœnum arescere : nec tamen in tanta passione constitutum minus eum amabat; imo tam ei tunc charus erat in cruce suspensus, quam modo in cœlis in paterno ipsius sinu constitutus. Et eodem plane modo omnibus ejus charis amicis accidisse constat; quorum alii assati, et alii decocti, alii in cinerem, alii in pulverem redacti sunt : et ita demum etiam tecum agitur, o anima nobilis. Si enim Domino Deo tuo complacere, et ab eo familiariter diligi cupis, ab ipso quoque singulari dilectione singularem passionem suscipe : quæ si in finem usque perseveraveris, perfecta et salva eris, sicut ipsum veritatis os Christus Dominus testatur. In afflictione namque animi resignatio est ante Deum velut cithara dulcisona, vel suavis harmonia : in ejus siquidem chordis, idest animæ viribus, tam dulciter in intima devotione canit ipse Spiritus sanctus, ut suaviter earum voces cœlestis Patris aures occulto quodam et in interno silentio penetrent. Hæc ille.

Adde Append., nn. 427-428.

INDEX

QUÆSTIO I.

DISPUTATIO PROŒMIALIS.

ARTICULUS I. — Quid sit theologia mystica . . . . . *pag.* 1
ART. II. — Quodnam sit objectum theologiæ mysticæ . . . „ 7
ART. III. — Utrum in exercitio theologiæ mysticæ anima contemplativa tantummodo patiatur . „ 11
ART. IV. — In exercitio theologiæ mysticæ non potest esse amor sine aliqua prævia cognitione . „ 14
ART. V. — In exercitio theologiæ mysticæ potest voluntas plus amare quam intellectus cognoscere . . . . . „ 18
ART. VI. — Quid sit ingredi divinam caliginem, vel ascendere ad superessentialem divinarum tenebrarum radium . . . . „ 23
ART. VII. — Quomodo intelligatur illud dictum mysticæ theologiæ: In contemplatione silentium et otium servare . . . . . „ 27
ART. VIII. — Quomodo sunt intelligendi mystici Doctores quando dicunt, quod anima in statu intimæ unionis annihilatur et liquefit . . . . . „ 30
ART. IX. — Quomodo sunt intelligendæ istæ phrases mysticæ theologiæ: In statu intimæ unionis Deus osculatur et amplectitur animam; et sponsalitia et matrimonium spirituale init cum anima „ 36
ART. X. — In quo aliæ phrases mysticæ explicantur . . . . „ 45

QUÆSTIO II.

DE VIA PURGATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA INCIPIENTIUM.

DISPUTATIO I.

DE PURGATIONE ACTIVA PARTIS COGNOSCITIVÆ.

ART. I. — De duplici statu humanæ naturæ . . . . . *pag.* 55
ART. II. — Utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes et perfectos . *pag.* 59
ART. III. — Debent incipientes cognoscere gravitatem peccati mortalis, et purgari ab ipso . . „ 64
ART. IV. — Debent incipientes peccata venialia vitare . . . „ 78
ART. V. — Debent incipientes habere notitiam claram virtutum „ 84
ART. VI. — De multiplici imperfectione incipientium . . . „ 92

DISPUTATIO II.

DE PURGATIONE ACTIVA SENSUUM EXTERNORUM.

ART. I. — De potentia visiva et mortificatione ejus . . . *pag.* 110
ART. II. — De potentia auditiva „ 114
ART. III. — De potentia odorativa „ 118
ART. IV. — De potentia gustus „ 123
ART. V. — De potentia tactus „ 127

DISPUTATIO III.

DE MORTIFICATIONE SENSUUM INTERNORUM.

ART. I. — De sensu communi *pag.* 132
ART. II. — De phantasia seu imaginativa . . . . . „ 135
ART. III. — De cogitativa seu æstimativa . . . . . „ 138
ART. IV. — De memoria seu reminiscentia . . . . . „ 140

DISPUTATIO IV.

DE PURGATIONE PARTIS INTELLECTIVÆ.

ART. I. — Intellectus purgandus est ab ignorantia vel cæcitate *pag.* 152
ART. II. — Intellectus purgandus est a phantasiis . . . . „ 155
ART. III. — Intellectus purgandus est a culpa . . . . . „ 157
ART. IV. — Intellectus purgandus est a judicio proprio in rebus agendis . . . . . „ 159
ART. V. — De purgatione propriæ voluntatis . . . . . „ 163

DISPUTATIO V.

DE ORATIONE.

ART. I. — Quid sit oratio *pag.* 167
ART. II. — De partibus orationis „ 171
ART. III. — Oratio est petitio decentium a Deo, vel ascensus mentis ad Deum. Clamor illius est in corde, et debet continuari quantum durat devotio . . . „ 184
ART. IV. — Oratio semper habet efficaciam impetrandi si habeat conditiones quæ adducuntur a divo Thoma in diversis locis suorum operum . . . . . „ 187
ART. V. — Tria faciunt orationem commendabilem in doctrina divi Thomæ . . . . . „ 190
ART. VI. — De circumstantiis quæ faciunt orationem esse exaudibilem . . . . . „ 192
ART. VII. — Oratio fit ad excitandum affectum nostrum, non autem ad docendum Deum, neque ad mutandam dispositionem divinæ Providentiæ et ad alios fines . „ 195
ART. VIII. Oratio soli Deo porrigitur, ut per eum implenda; sanctis vero, et angelis, et hominibus, ut per eos impetranda suis meritis et precibus . . . . . „ 199
ART. IX. — Orandum est pro omnibus . . . . . „ 202
ART. X. — Christus oravit secundum humanitatem . . . . . „ 206

DISPUTATIO VI.

DE MEDITATIONE.

ART. I. — Quid sit meditatio . *pag.* 210
ART. II. — Meditatio est primus gradus vitæ contemplativæ, et ordinate non possumus sine illa ascendere ad contemplationem . „ 213
ART. III. — Contrarium est omni bonæ philosophiæ velle ascendere ad contemplationem divinam sine exercitio meditationis imaginariæ . . . . . „ 217
ART. IV. — Meditatio imaginaria est primus gradus vitæ contemplativæ, secundum doctrinam Apostolorum, ut testatur D. Dionysius . . . . . „ 221
ART. V. — Quomodo debeat exerceri meditatio figurarum absque detrimento salutis . . . . . „ 224
ART. VI. — Ex discursu imaginario nos debemus transferre ad ponderationem rei meditatæ . . „ 228
ART. VII. — Mysteria humanitatis Christi sunt principalis materia circa quam debet versari meditatio . . . . . *pag.* 231
ART. VIII. — Frequens meditatio beneficiorum quæ nobis contulit Deus per humanitatem suam, est via recta et secura ad perfectionem . . . . . „ 235
ART. IX. — Meditatio debet ordinari ad mortificationem passionum et ad imitationem virtutum Christi Domini . . . . . „ 240
ART. X. — Lux quæ deservit meditationi naturali, ut perfecta sit, debet illustrari a supernaturali luce . . . . . „ 244
ART. XI. — In meditatione multoties aperiendum est ostium intellectus luci divinæ ad veram ponderationem rei meditatæ . . . „ 248
ART. XII. — Quomodo debeat conformari intellectus rationi per fidem, ut lux divina possit illustrare meditationem . . . „ 252
ART. XIII. — Auctores mystici cum proprietate vocant operationem passivam, quæ movetur ab illuminatione et ab influentia divina „ 255
ART. XIV. — In quo aliqua pertinentia ad meditationem explicantur . . . . . „ 258
ART. XV. — De exercitio practico trium graduum quibus fructuosa meditatio debet ad Deum ascendere . . . . . „ 262
ART. XVI. — Meditatio ut sit recta et conformis naturæ et vocationi Dei, debemus obedire patri spirituali docto et experto . . . „ 265

DISPUTATIO VII.

DE APPETITU ET DE PASSIONIBUS EJUS.

ART. I. — Quid sit appetitus et quot sint passiones ejus . . *pag.* 269
ART. II. — De prima passione, quæ vocatur amor . . . . . „ 271
ART. III. — De secunda passione, quæ vocatur odium . . . . „ 275
ART. IV. De passione desiderii, seu concupiscentiæ . . . . „ 278
ART. V. — De fuga, seu abominatione . . . . . „ 283
ART. VI. — De passione delectationis . . . . . „ 284
ART. VII. — De passione doloris, seu tristitiæ . . . . . „ 287
ART. VIII. — De passione spei „ 291
ART. IX. — De passione desperationis . . . . . „ 293

Art. X. — De passione timoris *pag.* 295
Art. XI. — De passione audaciæ „ 299
Art. XII. — De passione iræ . „ 301

DISPUTATIO VIII.

DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Art. I. — De causis purgationis passivæ in parte sensitiva . *pag.* 306
Art. II. — In quo formaliter consistat purgatio passiva partis sensitivæ . . . . . „ 309
Art. III. — De tædio, ariditate et desolatione quæ reperitur in purgatione passiva . . . . „ 314
Art. IV. — Ex multiplici capite necessaria est purgatio passiva partis sensitivæ . . . . . „ 320
Art. V. — De signis demonstrantibus purgationem passivam partis sensitivæ . . . . . „ 326
Art. VI. — De effectibus purgationis passivæ partis sensitivæ „ 328
Art. VII. — Quomodo se gerere debeant incipientes tempore purgationis passivæ . . . . . „ 331
Art. VIII. — Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando tentatione contra castitatem „ 333
Art. IX. — Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur aliquando manifesta dæmonum persecutione et hominum . . . . . „ 336
Art. X. — Purgatio passiva partis sensitivæ perficitur rerum sensibilium jactura, privatione bonorum corporis, et carentia bonorum animæ . . . . . „ 339

QUÆSTIO III.

DE VIA ILLUMINATIVA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ PROPRIA PROFICIENTIUM.

DISPUTATIO I.

DE ILLUMINATIONE ACTIVA PARTIS COGNOSCITIVÆ PER CONTEMPLATIONEM.

Art. I. — De proficientibus in vita spirituali . . . . . *pag.* 344
Art. II. — Quid sit contemplatio „ 346
Art. III. — Contemplatio primo dividitur in eam quæ est catholicorum fidelium, et in eam quæ est philosophorum gentilium . „ 353
Art. IV. — Dividitur contemplatio fidelium in acquisitam et infusam . . . . . „ 358
Art. V. — De contemplatione acquisita mediante lumine fidei . *pag.* 362
Art. VI. — Contemplatio acquisita dividitur in eam quæ est per affirmationem, et in eam quæ est per negationem . . . . . „ 371
Art. VII. — Contemplatio acquisita dividitur in eam quæ est per ascensum et in eam quæ est per descensum . . . . . „ 374
Art. VIII. — Contemplatio acquisita dividitur per tres motus: circularem, rectum et obliquum „ 378

DISPUTATIO II.

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI.

Art. I. — De donis in communi *pag.* 382
Art. II. — De dono intellectus „ 391
Art. III. — De dono sapientiæ et scientiæ . . . . . „ 397
Art. IV. — De dono consilii . „ 403
Art. V. — De donis pietatis, fortitudinis et timoris . . . „ 408

DISPUTATIO III.

DE CONTEMPLATIONE SUPERNATURALI ET INFUSA.

Art. I. — Quid sit contemplatio supernaturalis et infusa . . *pag.* 417
Art. II. — De quatuor causis contemplationis infusæ, et de proprietatibus et effectibus illius . „ 421
Art. III. — Debent omnes ad supernaturalem contemplationem aspirare . . . . . „ 428
Art. IV. — De mediis quibus ad contemplationem supernaturalem pervenitur . . . . . „ 433
Art. V. — Quid animæ agendum est quando contemplationis gratia subtrahitur . . . . . „ 437
Art. VI. — Supernaturalis gratia contemplationis aliquando conceditur imperfectis, aliquando denegatur perfectis . . . „ 441
Art. VII. — Contemplatio supernaturalis ordinarie miscetur imaginationi, licet aliquando aliter contingat . . . . . „ 445
Art. VIII. — Datur aliquando contemplatio perfectior in caligine divina . . . . . „ 450
Art. IX. — Contemplatio supernaturalis aliquando cum sensuum alienatione contingit . . „ 455
Art. X. — Contemplatio supernaturalis aliquando ad claram Dei visionem pertingit . . . „ 460

DISPUTATIO IV.

DE PRINCIPIO FORMALI ELICITIVO AC MEDIO CONTEMPLATIONIS SUPERNATURALIS.

ART. I. — Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum scientiæ . . . . . *pag.* 465
ART. II. — Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum sapientiæ . . . . . „ 471
ART. III. — Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est donum intellectus . . . . . „ 477
ART. IV. — Principium formale et elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est altius donis Spiritus sancti . . . „ 480
ART. V. — Principium formale elicitivum contemplationis supernaturalis aliquando est lumen gloriæ . . . . . „ 485
ART. VI. — Multiplex est medium in quo supernaturalis contemplatio perficitur . . . . . „ 491

DISPUTATIO V.

DE DIVINIS VISIONIBUS, REVELATIONIBUS, LOCUTIONIBUS ET ALIIS.

ART. I. — De visione corporali rerum cœlestium . . . *pag.* 495
ART. II. — De visione imaginaria „ 505
ART. III. — De visione intellectuali „ 512
ART. IV. — De revelationibus supernaturalibus . . . . „ 516
ART. V. — In quo ponuntur regulæ ad discernendum veras revelationes a falsis . . . . . „ 523
ART. VI. — Multæ sunt aliæ circumstantiæ examinandæ in revelationibus . . . . . *pag.* 528
ART. VII. — Optima praxis tam ex parte directoris et doctoris, quam ex parte addiscentis . . . „ 533
ART. VIII. — De divinis locutionibus . . . . . „ 537
ART. IX. — De divinis tactibus in anima . . . . . „ 543

DISPUTATIO VI.

DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ.

ART. I. — Quid sit purgatio passiva partis intellectivæ . . . *pag.* 548
ART. II. — De motivis propter quæ Deus inducit purgationem partis intellectivæ . . . . . „ 554
ART. III. — De effectibus purgationis passivæ partis intellectivæ „ 562
ART. IV. — De signis demonstrantibus purgationem passivam partis intellectivæ . . . . . „ 568
ART. V. — Quomodo se gerere debeant qui purgatione passiva partis intellectivæ exercentur . „ 572
ART. VI. — Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando tentatione contra fidem, et timore reprobationis, atque tentatione desperationis . . . . . „ 577
ART. VII. — Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur aliquando totali subtractione consolationis „ 580
ART. VIII. — Purgatio passiva partis intellectivæ perficitur pluribus aliis mediis . . . . . „ 585
ART. IX. — De tentationibus occasione purgationis passivæ exsurgentibus, et de eorum remediis. „ 588

247.02
V243

3526

VALLGORNERA, THOS.,O.P.

AUTHOR

Mystica Theologia Divi Thomae

TITLE

Vol. I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER